HIPPOCRATIS COI, CHIRVRGIA,


NVNC PRIMVM GRÆCE RESTITVTA LATINITATE donata, & commentariis illuſtrata.

A STEPH. MANIALDO M. Doct.



PARISIIS,
Apud IOANN. LIBERT, via Diui Ioan. Lateranenſis è Regione Collegij Cameracenſis. 1619.

Cum Priuilegio Regio.



Henrico IIII. Christianissimo & inuictissimo Galliæ & Nauarræ Regi, Steph. Manialdus. *S. P. D.*

Chirvrgiam vetustissimam medicinæ partem tibi nunc offero, Christianissime atq; inuictissime Rex, opus hominum vitæ salutare & imprimis necessariũ, Maiestati tuæ non inutile, nec iniucundum, tanto etiam Rege nõ indignum. Cùm enim à pueritia, diuturnis maximisque bellis præfueris, cùm sæpius cum hoste conflixeris, & celebres pluresq; victorias retuleris, cùm etiam adhuc pro libertate imperij Gallici maxima bella fœlicissimè sustineas, plurimaque tibi conficienda sint in posterum, vt prouincias malę quietas ad obsequium redigas, vt hostes procul arceas, & antiquum Gallię penè collapsæ splendo-

rem restituas, quid vtilius hactenus, quid posthac excogitari potest magis necessarium, quàm Chirurgiæ præsidium? In bellicis enim expeditionib⁹ medicus vulnerarius siue Chirurgus Homero iure censetur πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. In his enim non aqua, non igne magis vtimur, quàm Chirurgorum auxilio. Quæ quamuis verissima sint, leuioris tamen operæ hoc opus, tibi ad excelsissimum humani generis fastigium euecto dicare, temerarium & ineptum videbitur iis, qui calumniæ telum tegere & inumbrare reuerentię velo se simulabunt. Agere quidem illi mecum videntur seuerè, sed tamen verè. Opus enim hoc Maiestate tua videtur indignum, sterilis materia est, horrida, imo sordida & inculta, & in qua iuuandi voluntatē placendi gratiæ prætuli. Si tamen Chirurgiæ vsum profectumque spectes, si Hippocratē philosophorum & medicorum lumē

vel quasi numen inspicias, iudicabis opus hoc, Rex augustissime, Maiestate tua non indignum. Chirurgiam enim offero non inconstantem aut inter pollem, sed puram, sinceram, numeris omnibus absolutam, certis firmisque principiis sic stabilitam, vt nulla temporis diuturnitas abolere, nulla posterorũ portentosa garrulitas immutare potuerit. Author enim & parens huius diuinæ scientiæ fuit Hippocrates Cous, qui mentiri & fallere nescit, & à quo nihil perperam prolatum, vir vt arte insignis sic genere nobilis, ad Herculem enim & Æsculapiũ originem generis referunt, vt sit ab illo vigesimus, ab hoc decimus nonus. Huius autem medicinæ partis præcepta sic certissima condidit, & perfectissima excoluit, vt nihil ad perfectionem addi possit, vt mirum sit tam puram integramq; lucem in homine tenebricoso potuisse inueniri. Admi-

randa certè, vel miſeranda potius fuit noſtrorum hominum ſocordia, qui partem hanc medicinæ hominibus adeo fructuoſam & vtilem, à magno illo Hippocrate clariſſimè conditam & excultam, in tenebris iacere tandiu permiſerint, Chirurgis inuidentes, eoſque tanto theſauro fraudantes. Galenus fidiſſimus Hippocratis interpres inter Græcos Chirurgiæ huius duos libellos commentariis illuſtrauit, qui temporis iniuria, & magna medicę artis iactura perierunt. Noſtra memoria Vidius Florentinus doctiſſimus & elegantiſſimus medicus tres Hippocraticæ Chirurgiæ libros latinos edidit & cõmentariis auxit, quibus ſenis mentem non ſemper expreſſit, & vim verborum ſępius non vidit, dignus tamen ſua gloria, magnaque illi habenda gratia, quod partẽ hanc medicinæ tot difficultatibus inuolutã & abſtruſam, euoluere & in lucẽ pro-

ferre tentarit, facémque aliis prætulerit, ad hæc diuina Hippocratis mysteria explicanda & illustranda, suóque labore, posteros maxima parte laboris leuarit. Quod mihi animum addidit, vt tam vtilem stabilémque artem à tenebris vindicarem, & Hippocratem penè neglectum & à paucis intellectũ reducem suo nitori restituerem, & è densissima nocte in clarissimã lucem ceu postliminio reuocarem, vt tandẽ aliquando Chirurgi nostri è suis errorum plenis labyrinthis Hippocrate duce egrediantur, nec amplius ἀποκριτικὴν κακουργίαν, sed Hippocraticam Chirurgiam exerceant, magno publicę sanitatis commodo, magnóque chirurgicæ artis ornamento. Difficile sanè summéque arduum munus suscipio, variisque hominum censuris obnoxium, dum obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, vetustis nouam authoritatem

dare conor, dum ſenis linguam muto. Quid præſtiterim iudicent alij, ego ſane profiteor me pluribus locis, in quibus denſa notabatur caligo, lumen aliquod attuliſſe, multa fortaſſe adiici potuerunt, quæ nos præterierunt, ſed nos ſucciſiuis temporibus & nocturnis lucubrationibus iſta curamus, dies ęgrotis impendimus. Quòd ſi huius vitæ vſura aliqua mihi concedatur, otiumq; ſuppeditetur, pleniore iterum ſtylo hanc partem locupletare & illuſtrare non grauabor, cœteroſque chirurgicos Hippocratis libellos cum Galeni commentariis emendare & latinos facere non recuſabo. Sed hæc cōmentatio plurimi eſt otij quo ego maximè nunc egeo. Hoc interim opus, qualecumque tandem ſit, auguſtiſſimi nominis tui auſpicio inchoatū in lucē proferre & in hominū manus venire voluimus; vt virtutum tuarum ſplendore illuſtrius appareret, & plus

authoritatis apud omnes haberet: multa n. valdè pretiosa ideo videntur, quia regibus sunt dicata, ne quis forte credat me tenuem obscurumq; hominem aliquid voluisse moliri, quod ad maiestatis tuæ sublimitatem exornandam pertineret: desipiã profectò, si tantam solis lucem, accensa lucernula, splendidiorem reddere coner. Quis enim heroicam corporis tui maiestatem, firmumque robur, quis regium ingenium, egregium iudicium, singularem memoriã non admiratur? Quis tecum genitas virtutes clementiam & fortitudinem non agnoscit? Quis iustitiam & pietatem non suspicit? Æquum tamen visum fuit, Hippocratem restitutum ei offerre, quem summa Diuinitatis prouidentia potissimum delegit, vt florentissimum hoc regnum varijs bellorum tempestatibus & funestis quorumdam tragœdiis penè collapsum instauraret

& in integrum restitueret: mentem siquidem tantæ molis capacem vni tibi largitus videtur Deus, quem ardentibus votis oro, vt te suo præsidio contra hostes tueatur, teque ab omnibus periculis protegat. inspiretque voluntatem, qua semper iustitiam & pietatem colas, quod est omnibus salutare, tibi ad fælicitatem & nominis æternitatem, nobis autem ad quietem & tranquillitatem, eundémque summum Regum Regem per Iesum Christum quotidianis precibus precor, vt te quem florentissimi regni voluit esse custodem, custodiat quàm diutissimè florentem & incolumem. Vale Burdigalæ calendis Ianuariis, 1596.

HENRICO FLVSSATI CANDALAE Illustrissimo Boiorum Principi, Duci Aluini &c. Pari Franciæ, Cubiculariorum Regis Primicerio, centum cataphractorum equitum ductori, Xanctonum, Engolismorũ, et Lemouicũ Præsidi. STEPH. MANIALDVS regius consiliarius Albret. in Castromaur. Prætor, et Ecclesrum. Gallicrum. apud Regem Christianißimũ orator.

PRODIT tandem in lucem, tuis auspicijs, meo ductu (Henrice Flussas Candala illustrissime) liber, quem iure quodam meo in eadem familia, eodem patre genitum & natum, fratrem meum & quidem germanum ausim appellare. (Est enim & animi non minus quam corporis quædam veluti so-

holes & propago.) Is annos complures desideratus et iam pene conclamatus illius incuria & negligentia, cuius fidei fuerat commissus, fœlici quodam fato non tam inuentus quam repertus, à me fratris officium iucundissima simul et acerbissima, communis vtriusque nostrum parentis commemoratione, blande, sed vehementer tamen poposcit. Huic vero vel inuitamento vel postulationi non potui, sed nec debui sane reluctari. Itaque patris exemplum secutus, qui eum magno Regi, sed qui iam (proh dolor!) rebus humanis est ereptus, consecrarat: quando par alius occurrit nemo, feci quod proximum erat, vt aliquem seligerem, qui ab hac dignitate, non ita magno distaret interuallo. Is tu visus es (Princ. Nobiliss.) qui non sanguinis modo & propinquitatis, sed virtutis etiam & fortitudinis cognatione & affinitate quadam, Regem illum contingis. Huc etiam illud accedit, quod cum argumentum libri totum, ad eam

artis Medicæ partem, quam Chirurgiam vocant, pertineat: cuius vsus in bello & armis præcipuus est: nemini debuit offerri potius quam tibi, qui martium nescio quid & profiteris & spiras: quod tu non tumida & inani iactantia, sed reipsa & factis toti Europæ demonstrasti. Testis sit prima tua adolescentia, qua tu, non quod vulgo quidem, sed pernicioso exemplo, fieri consueuit: In Christianorum cæde & sanguine, sed edita Turcarum strage, & gentis barbaræ fracta atque edomita superbia, prima rudimenta, & veluti tyrocinia bellicæ virtutis tuæ posuisti. Quæ tam præclara initia spondent in templo memoriæ insculptum aliquando nomen tuum, nullis potius fore titulis decorandum, quam Herculis Christiani perfidiæ & impietatis & barbariæ domitoris. Denique illustrissima & splendidissima Candallarum familia à me exigit: vt propensioni, & animo fœlicis memoriæ patris mei obsecutus, memo-

riam tuorum maiorum in te colam, quos ille viuos (non modo generis nobilitate ſed omni etiam virtutis genere florentes) & obſeruauit & reueritus eſt: vſque adeo vt ſi viueret, nil dubitandum ſit, quin poſt-humum hunc & ſubcinericium ingenij ſui fœtum, pene expoſitum, tuæ tutelæ (cuius ob virtutem tuam & generis ſplendorem, authoritas & potentia & gratia ſumma eſt) eſſet non minori ſtudio, quam ſubmiſſione animi commendaturus. Id eſt quod ego (cordatiſſime Princeps) à te peto, atque rogo maiorem in modum per ſtudium familiæ tuæ, quod vt in meo parente fuit, ſic in me fore ſummum ſancte polliceor. Quod ego vt voueo, faxit etiam Deus aliquando poſſim reipſa tibi probare. Lutetiæ Pariſiorum Kalend. Nouemb. M.DC.XVII.

In restitutam & latino sermone donatam, à D. Manialdo insigni Burdegalensiũ doctore Medico Hippocratis artem Chirurgicam.

GAllia, quæ propria quæris tibi vulnera dextra,
Quamq; agit insanus dura per arma furor,
Hactenus emissum qui sisteret arte cruorem
Defuit, At deinceps qui tibi sistat, habes: (nat,
Hic sua dũ Hippocrati, simul & tua vulnera sa-
Da facilem medico mox valitura manum.

In idem opus.

DVM doctus nimis & nimis peritus
Phœbææ Hippocrates vigeret artis,
Hoc videns Deus artifex medendi
Hoc videns simul inuidensque, dextra
Telis vndique præpotente missis
Sic opus lacerum manus peritæ
Et totam propè sic peremit artem,
Vt spes à propria salutis arte
Tanto Artis domino diu iacenti
Nulla protinus esset expetenda,
Donec tu noua Manialde Phœbi
Proles, puberibus ferens ab Ida
Dictamum foliis, tuo perennem
Quæsisti Hippocrati, tibique vitam.

I. SPAGNETVS in suprema Burdigalens. curia Præses.

In Chirurgiam Hippocratis quam Stephanus Manialdus medicus Burdigalensis restituit.

Lvxata Hippocratis quæ mẽbra reponeret, olim
Inuenta Hippocratis est recidiua manus.
Imo Pythagoræ nisi nos ludibria fallunt,
Ad quorum stupuit Græcia tota fidem.
Hippocratis Manialdi-inijt mens enthea mentem,
In Manialdo iterum spiret vt Hippocrates.
Fœlices animæ rabiem quæ vincitis Orci,
Atque aliquid fati demitis imperio.

In eandem.

Qvæcunque Hippocratem depositum diu, &
Confectum carie restituit manus,
Ne illa Aesculapio brachium, Apollini
Crus fractum in meliores reuocet moras.

P. Borramæus Burdigal.
faciebat.

Εἰς αὐτόν.

Οὔτις ἀειπερόχων, χωλεύων, ἠδὲ παραβλώψ,
Κηλήτης, στρεβλὸς, μηδ' ἀνάπηρος ἔῃ.
Εἴ γάρ τίς τε πεζῶν, παίξας τε, μαχεσσάμενός τε
Τραύματα πολλὰ φέρει, φάρμακα πόλλ' ἔλαχε.
Ἱπποκράτη κεκακωμένον ὁ Στέφανος Μαναλδὸς
Ἕλκεσιν ἐξ ἐχθρῶν, σῶσε καὶ ἠυτρέπικε.
Νῦν γοῦν θαῤῥαλέως τιτρώσκεο, αἶψα παρέσται
Ἠκὴ, καὶ γὰρ ἔχεις δεύτερον Ἱπποκράτην.

ΣΤΕΦΑΝΟΣ ΒΡΑΣΣΕΡΙΟΣ.

Ad eundem.

SI caram potuit referre lucem
Exſtincto Hippolyto feriſque tracto
Doctus Phœbigena, hunc citans in auras
Herbarum auxilio potentiaque,
Qui nunc ordinibus ſedet Deorum
Quod cæcas potuit fugare nubes
Noctis perpetuæ tibi locorum
Quis conceditur? ecquid eſſe credam
Quod tanti faciam ac tuum libellum?
Nam ſi tu lacero aſperéque tracto
Diuino Hippocrati mederis ipſe
Qui dudum horridulo iacens ſepulchro
Scriptis illepidûm & parum piorum
Reuixit moriens tua medela,
Tu princeps medico mederis ipſi
Qui lumen medicis facemque præfert.
O noſter Manialde, literarum
Lumen, gloria, commodumque ſecli.

Stephanus Braſſerius.

Adlocutio ad Clarifs. Doctifs. eundemq; integerrimum virum Steph. Manialdum libri authorem.

DOctrinæ ingenij, veræ probitatis, & acris
Iudicij, moriens hæc monumenta tui
Tu dederas (Manialde) ratus generi haud satis esse
Vtilis humano, quod tua vita fuit.
Ni nobis etiam prodesses funere raptus.
Cura tibi nostræ tanta salutis erat.
Obruta sed tenebris æternis ista iacerent,
Fleret & hæc orbis munera adempta sibi.
Ni tibi te proles dignißima succeßisset,
Effigies animi filius ille tui.
Quæ latuere diu, dias qui in luminis oras
Educta, & nobis reddidit, atque sibi.
Illius & ne qua pietas tibi parte deesset,
Candalidæ hoc, quantum est, esse sacrum voluit.
Hoc tu non poteras fato præreptus acerbo,
Hic si esses, factum tu tamen hoc cuperes.
Nam neque Candalidis fuerat tibi cultior vllus,
Nec te Candalidis charior vllus erat.
Namque ardens virtus illos tibi iunxit, & illis
Te coniunxerunt ingenium & probitas.
Sed quid ego te absentem, & ceu viuum, lumine caßum
Alloquor, huc me in te summus adegit amor.
Summus amor spatiis longe distantia iungit,
Summus amor vitam reddit & exanimi.
Quamquam tu viuis vita meliore, receptus
Es Cœlo, in terris viuere vita grauis.
Cœli progenies terris data, reddita cœlo
Eheu debueras serius esse tuo.
Sed nos fallit amor, cœli tibi congrua sedes
Quo dignum in terra nil erat, vna fuit.

IOHANNES CAMERO E.B.P. & SS. T.P.

Ad Dominum Stephanum Manialdum Medicum Burdigalensem.

Vlcera, fracturas, luxataq; mẽbra chirur-
Abstergit, solidat, ponit et Hippocrates (gus
Sedulus Hippocratis doctrinã voluis, at ille
Doctrina medicum te Manialde facit.
Vlcera, fracturas, luxataq; mẽbra, caducus
Librorum carie passus & Hippocrates,
Vlcera, fracturas, luxataq; mẽbra chirur-
Abstergis, solidas, ponis et Hippocrati, (gus
Næ tu gratus homo, ἐστὶν μὲν τὸ αὐτὸ πελαργεῖν,
Sic pius Hippocrati, factus es Hippocrates.

Ræmundus Massacus Clariaci Agenensis, & collegij Aurelianensis facultatis Medicæ Decanus.

Εἰς τὴν Στεφάνου τοῦ Μανιάλδου, τοῦ λαμπροτάτου τῶν Βουρδιγαλαίων ἰατροῦ χειρουργίαν Ἱπποκρατικὴν Ἰωάννες ὁ Οὐερδόγκιος.

Ἦτε πλάνην, ὥς τ' ἠγαθέου περὶ σώματι τραῦμα
Ἱπποκράτους βίβλοις, ὦ Μανιάλδε, τεαῖς
Ἐκπλύνεις, ἠδ' ἀκέῃς; ἤ κεν λεχθέντ' ἀπὸ τοῦδε
Γραψάντος κρυπτῶς, ἠδὲ λίαν βραχέως
Εὐπορέουσι λόγοις, ἠδ' ἀδήλοισιν ἀνοίγῃς;
Ἄξιος εἶ πάντως τοῦ στεφάνου, Στέφανε,
Πᾶσα γὰρ ἐκ σέοθεν χειρουργία Κῶα βιώσκει,
Καὶ ῥάστη πάντων νῦν παλάμαις τρίβεται.

Idem ab eodem totidem verſibus latinè redditum.

Seu mendum, & veluti diuini in corpore vulnus
Hippocratis, docte hoc ô Manialde, libro
Eluis, & reparas: ſeu, quæ à ſcriptore feruntur
Aut nimis obſcurè, aut fortè nimis breuiter
Vbere, & egregiè nitido ſermone recludis:
Debetur στέφανος *iure tibi, Stephane,*
Omnis enim per te Chirurgia Coa reuixit,
Cunctorumque manu iam facilis teritur.

Anagrammatiſmus,

Manialdus, DAS LVMINA.

Diui ni Hippocratis tenebris DAS LVMINA *dẽſis,*
Impoſitum idcirco nominis omen habes.

De eodem verſibus ropalicis.

Ἦν κλέος ἰητρῶν Μανιαλδὸς ψυχοδοτήρων,
Φῶς λαμπρὸν περιφέρειν συγγράμμασιν Ἱπ-
ποκρατείοις,
Καὶ νόσοις παρέχων θεραπείας ποικιλόβουλον.

Steph. Manialdus fil.

Pauli Manialdi Med. Doct. de Chirurgia Hippocratis à patre restituta.

EPIGRAMMA.

Pęonię Hippocrates mysteria cõdidit artis,
Diuinisque dedit scripta voluminibus.
Quæ non natiuo vt quondam splendore refulgent,
Obruta tot tenebris, saucia tot maculis.
Restituis scriptis priscum verumq; nitorẽ,
Autori genium reddis & ingenium.
Dum tenebras pellis, dum sordida vulnera sanas,
Dum medicam Hippocrati das Manialde manum.

EXTRAICT DV PRIVILEGE.



LOVYS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE A Nos amez & feaux Conseillers tenans nos Cours de Parlements, Baillifs, Seneschaux ou leurs Lieutenans & autres Iusticiers & officiers qu'il appartiendra Salut. Nos chers & bien amez IEAN LIBERT Marchant Libraire Iuré à Paris & GILBERT VERNOY Marchant Libraire à Bordeaux Nous ont fait dire & remonstrer qne leurs ayant esté mis en main vn Liure intitulé *Hippocratis Coi, Chirurgia: Nunc primum Græcè Restituta latinitate donata, & commentarijs illustrata* A STEPH. MANIALDO M. *Doct.* ils desireroient le faire Imprimer & donner au public. C'est pourquoy les exposans nous ont tres-humblement fait supplier les vouloir octroyer nos lettres sur ce necessaires, humblement requerans Icelles. A CES CAVSES Nous auons par ces presentes permis & permettons ausdicts Libert & Vernoy d'Imprimer ou faire Imprimer ledit Liure par tel Imprimeur qui bon leur semblera durant le temps de NEVF ANNEES pendant lequel nous faisons tres-expresses deffences à tous Libraires, Imprimeurs & autres quelconques de l'Imprimer vendre ny debiter si ce nest du consentement desdits exposans à peine de confiscation & de mil liures d'amande Si VOVS MANDONS & à chacun de vous enioignōs que nostre present Priuilege & permission, & du contenu cy dessus vous faites & souffrez les exposans ou ceux qui auront droit d'eux, iouyr & vser plainement & paisiblement sans qu'il soit besoin d'autre signification de cesdites presentes que d'en faire mettre vn extraict au commencement ou à la fin dudit Liure CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, donné à Paris le 4. Iour de Mars l'An de grace 1619. & de nostre regne le 9.

PAR LE ROY EN SON CONSEIL

SALOMON.



ἹΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΠΕΡΙ ἸΗΤΡΟΥ.



ΤΟ μὲν γράμμα ἐστὶν ἰητροῦ προστασίη, καὶ παράγγελμα πῶς χρὴ κατασκευάζειν ἰητρεῖον. ἰητροῦ μὲν εἶναι προστασίην, ὁρῆν εὔχρως τε καὶ εὔσαρκος ἔστω πρὸς τὴν ὑπάρχουσαν αὐτῷ φύσιν, ἀξιοῦνται γὰρ ὑπὸ τῶν πολλῶν, οἱ μὴ εὖ διακείμενοι τὸ σῶμα οὕτως, ὡς οὐδ' ἂν ἑτέρων ἐπιμεληθῆναι καλῶς. ἔπειτα τὰ περὶ αὐτὸν καθαρίως ἔχειν, ἐσθῆτι χρηστῇ, καὶ χρίσμασιν εὐόδμοις, ὀδμὴν ἔχουσιν ἀνυπόπτως πρὸς ἅπαντα, τοῦτο γὰρ ἡδέως ἔχειν ξυμβαίνει τοὺς νοσέοντας.

HIPPOCRATIS DE MEDICO SIVE CHIRVRGI inſtitutione.

HOc Libro de Chirurgi inſtitutione agemus, & tabernæ Chirurgi-

cæ inſtruendæ præcepta trademus. Ad Chirurgi inſtitutionem pertinet proſpicere, vt bono colore, plenoque corporis habitu ſit quantum natura eius patitur. Vulgus enim exiſtimat eum, qui ſano nõn eſt corpore neque alijs bene poſſe conſulere. Præterea in externis mundiciei ſtudeat, vt ſit veſtitu decoro vnguentis odoratis, odorem ſuſpectum nuſquam habentibus. hoc enim ægrotantes delectare ſolet.



HIRVRGIA Medicinæ pars eſt, quæ morbos manu curat, cuius effectus inter omnes medicinæ partus euidentiſſimus eſt, eiuſque artis praxis cognitione & adminiſtratione facillima, quòd ſub ſẽsũ cadat. idcirco veteres medici diſcipulos ſuos in chirurgicis morbis & operibus primũ inſtituebant. Hic autẽ libellus inſtitutionem eiuſmodi continet. Inſcribitur verò περὶ ἰητροῦ, de Medico manu curante & vulnerario, qui chirurgus eſt, eiuſque officina ἰητρεῖον dicitur, Sic enim explicat Galenus commentario in ſententiam quintam libri primi de officina medici, & in exegeſi linguarum Hippocratis κατ' ἰητρεῖον, exponit, τὰ κατ' χειρουργίαν. Nos autem περὶ ἰητροῦ, vertimus, de Chirurgi inſtitutione, Sic enim Galeno adſcriptus liber qui dicitur, ἰατρὸς, nominatur etiam εἰσαγωγὴ, medi-

cus, siue institutio aut introductio. Hic autem liber genuinus Hippocratis esse non videtur, si λέξιν & τάξιν consideres, & à Galeno nusquam citatus inuenitur, habet etiam nonnulla, quę grauitatem & veritatem Hippocraticam non redolent, fuit tamen ab Hippocratis filijs aut discipulis conscriptus, & inter Hippocraticos libros semper relatus. Primùm autem in Chirurgo aut medico futuro requirit εὐχροίαν καὶ εὐεξίαν siue εὐσαρκίαν, id est floridum colorem, bonumque & plenum corporis habitum, vt vel solo aspectu ægros erigat in spem certam recuperandæ valetudinis. Contra Plato libro tertio de republica vult medicum esse μὴ πάνυ ὑγιεινὸν φύσει, medici enim, inquit, peritissimi & ad artem exercendam præstantissimi euaderent si ab ineunte ætate, præterquam quod artis cognitionem ex præceptoris ore discerent, vsum quoque illius maturè adhiberent, & plurima & pessimè affecta corpora inspicerent atque tractarent, & ipsi in sese omnia morborum genera experiantur, sintque natura non multum sana atque incolumi, neque enim corpus corpore curant, sed animi industria & perspicacitate. Sed valetudinario medico nemo se libenter committit, quoniam vulgus existimat eum qui sano non sit corpore, neque alijs bene prospicere posse. Neque solum in medico aut Chirurgo bonum corporis habitum requirit, sed etiam in rebus externis mundiciem & puritatē, quę consistit in vestitu & vnguentis. Sit autem vestis χρηστὴ, ἀφελὴς, εὐσχήμων, vtilis, simplex, elegans, hic & in libro περὶ εὐσχημοσύνης, non

autem ſumptuoſa & ſuperflua. Vani enim & ignaui medici, quique μετ' αἰσχροκερδείης καὶ ἀσχημοσύνης, artem profitentur, ex veſtitu facilè dignoſcuntur, atque vt ait author libri περὶ εὐσχημοσύνης, οἱ ἐσθῆτι φανέως κεκοσμημένοι, πολὺ μᾶλλον φευκτέοι, qui ſplendidus ornati ſunt, multò magis ſunt fugiendi. Vnguenta etiam odorata medico & Chirurgo concedit, vt ęgros ſuauitate odoris delectet, Plinius hanc voluptatem vocat alienam, etenim odorem qui gerit ipſe non ſentit. In hoc contextu καθαίρειν retinui, quod eſt, καθαρεύειν, niteſcere purum eſſe, in puritate degere, legunt quidam καθαρῶς ἔχειν.

Δεῖ δὲ τοῦτον σκοπέειν τάδε περὶ τὴν ψυχὴν, σώφρονα, μὴ μόνον τὸ σιγᾶν, ἀλλὰ καὶ περὶ τὸν βίον πάνυ εὔτακτον, μέγιστα γὰρ ἔχει πρὸς δόξαν ἀγαθά. τὸ δὲ ἦθος εἶναι καλὸν καὶ ἀγαθόν. τοιοῦτον δ' ὄντα πᾶσι καὶ σεμνὸν καὶ φιλάνθρωπον. τὸ γὰρ προπετὲς καὶ τὸ πρόχειρον καταφρονεῖται, κἂν πάνυ χρήσιμον ᾖ. σκοπὸν δὲ ἐπὶ τῆς ἐξουσίης. τὰ γὰρ αὐτὰ παρὰ τοῖς αὐτέοις σπανίως ἔχουσιν, ἀγαπᾶται. σχήμασι δὲ ἀπὸ μὲν προσώπου συννοῦν μὴ πικρῶς, αὐθάδης γὰρ δοκέει εἶναι καὶ μισάνθρωπος. ὁ δὲ εἰς γέλωτα ἀνιέμενος, καὶ λίην ἱλαρὸς, φορτικὸς ὑπολαμβάνεται, φυλακτέον δὲ τὸ τοιοῦτον οὐχ ἥκιστα, δίκαιον δὲ πρὸς πᾶσαν ὁμιλίην εἶναι. χρὴ γὰρ πολλὰ ἐπικουρέειν δικαιοσύνην, πρὸς δὲ ἰητρὸν οὐ μικρὰ συναλλάγματα τοῖσι νοσοῦσίν ἐστιν, καὶ γὰρ αὐτοὺς ὑποχει-

εἰσὺς ποιέουσιν τοῖς ἰητροῖς, καὶ πᾶσαν ὥρην ἐντυγχάνουσιν γυναιξὶν, παρθένοις, καὶ τοῖς ἀξίοις πλείστου κτήμασιν. ἐγκρατέως οὖν δεῖ πρὸς ἅπαντα ἔχειν ταῦτα. τὴν μὲν οὖν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα οὕτω διακεῖσθαι.

ANnimaduerte autem circa animũ oportet, vt ſit prudens non ſolum tacendo, ſed & in omni reliqua vita bene compoſitus, hoc enim ad opinionem comparandam plurimũ conducit. Bonis etiam ac honeſtis moribus præditus ſit, talis autem cum fuerit omnibus & modeſtus & humanus ſit. promptitudo & celeritas contemnuntur, quamuis plurimum conferant. Conſiderandum autem quantum liceat, eadem enim apud eoſdem quandiu rara ſunt, in pretio ſunt figuram faciei habeat cogitabundam, non tamen iracundè, ſuperbus enim eſſe videretur & inhumanus. Qui in risũ propẽſior eſt & nimiũ Hilaris moleſtus habetur, hoc verò vel maximè vitandum eſt. Iuſtus autem in omni conuerſatione ſit iuſtitiam enim plurimũ auxiliari & adeſſe conuenit, cũ medico autem non exigua ſunt ægris commercia, nam & ſe medicis tractandos ſubmittunt, & medici omni fere tem-

pore inter mulieres. Virgines & ſuppellectilem pretioſam verſantur. Continẽter igitur ad hæc omnia ſe habere oportet ſicque & animo & corpore diſpoſitum eſſe conuenit.

IN Chirurgo inſtituẽdo rationem habet tum corporis, tum animi, quid in corpore & circa corpus requiratur, paucis propoſuit, nunc inquirit quæ ſint animi virtutes Chirurgo neceſſariæ duas autem præcipuas virtutes ei tribuit, prudentiam nempe & iuſtitiam. Prudens erit, Si ſit taciturnus, *ἰατρὸς γὰρ ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος*, garrulus & loquax medicus, ægrotanti alter morbus, nec debet Chirurgus cũ idiotis multa fabulari, libro *περὶ εὐσχημοσύνης*, & ſi quid inter curandum viderit, audieritve, aut etiã ad medendum nõ adhibitus in cõmuni hominũ vita cognouerit, ſiquidem ea non efferre pręſtet tacebit, & tanquam arcana apud ſe continebit *ἐν τῷ ὅρκῳ*. Ad prudentiam referuntur hęc, vt ſit in omni reliqua vita bene compoſitus, vt ſit bonus, honeſtus, modeſtus, humanus, ad iuuandum promptus & paratus, cum erit opus facie ſit meditabundus, in riſum non nimium exolutus nec nimium Hilaris. Ad iuſtitiam verò pertinet, vt ſanctè & caſtè vitam ſuam inſtituat, artemque exerceat, ęgrum citò, tutò & iucundè curet, eum in reditu non habeat, morbum ne protrahat, arti ſuę auaré pretium non ſtatuat, mulierum & virginum pudicitię non inſidietur, opes ęgrotantis ſupellectilem

& cætera pretiosa nec clam nec palam attingat. Comite prudentia & iustitia personam Chirurgo dignam sustinebit, gloriamque & laudem sibi comparabit.

Τὰ δὲ εἰς τὴν ἰητρικὴν τέχνην παραγγέλματα, δι' ὧν ἐστὶν εἶναι τεχνικὸν, ἀπ' ἀρχῆς συνοπτέον, ἀφ' ὧν καὶ μανθάνειν ἄνθρωπος ἄρξαιτο. τὰ τοίνυν ἐν ἰητρείῳ θεραπευόμενα, σχεδὸν μανθανόντων ἐστίν. δεῖ δὲ πρῶτον μὲν τόπον ἔχειν τῆς οἰκίης. ἔσται δὲ οὕτω ἐὰν μήτε πνεῦμα εἰς αὐτὸν παραγινόμενον ἐνοχλῇ, μήθ' ἥλιος, ἢ αὐγὴ λυπέῃ. Φῶς δὲ παλαυγὲς μὲν τοῖς θεραπεύουσιν ἄλυπον, οὐχ ὁμοίως δὲ τοῖς θεραπευομένοις ὑπάρχει. πάντως μὲν οὖν τοιαύτην τὴν αὐγὴν μάλιστα φευκτέον, ἣ τὴν ξυβαίνει τοὺς ὀφθαλμοὺς νοσεῖν. τὸ μὲν οὖν φῶς τοιοῦτον εἶναι παρήγγελται. τοῦτο δὲ, ὅπως μηδαμῶς ἐναντίως ἕξει τῷ προσώπῳ τὰς αὐγάς, προσενοχλεῖ γὰρ τὴν ὄψιν ἀσθενέως ἔχουσαν. πᾶσα δ' ἱκανὴ πρόφασις, ἀσθενέοντας ὀφθαλμοὺς ἐπιταράξαι, τῷ μὲν οὖν φωτὶ, τοῦτον τὸν τρόπον χρηστέον ἐστίν.

PORrò præcepta ad artem medicam pertinentia, per quæ artifex esse poterit, ab initio considerabimus, ab iis quæ primum homo discere incipit, exorsi. Quę igitur in Chirurgica taberna curantur, ad discentes fere pertinent. Primùm quidem locum domus habere

oportet, Sit autem eiusmodi, vt neque ventus ad ipsum accedens molestus sit, neque sol aut splendor offendat. Splendida quidem lux medentibus non est molesta, ægrotantes tamen offendit talem igitur splendorem penitus fulgere oportet per quem contingit oculos ægrotare, atque hoc de luce sit præceptũ & hoc etiam, vt nequaquam faciem Splendori oppositam habeat, visum. n. debilem fatigat. Omnis autem occasio sufficiens est ad oculos debiles perturbandos. Luce igitur hoc modo vtendum est.

MEdicina morborum externorum & internorum curam profitetur. Chirurgus in taberna sua, vbi organa & instrumenta artis omnia presto sunt, externis manum admouet, internos morbos in ęgrorum ædibus curat medicus, ob id clinicus dictus, quod non in officina, sed ἐν ταῖς τῶν νοσούντων κλίναις, medicinam faciat. Hippocrates autem traditur instituisse hanc medicinam quę clinice vocatur. Plinius libri 29. capite primo. Hoc autem libro tyrones medicos & Chirurgos instituens de morbis externis tantum loquitur, qui in Officina Chirurgi curantur, hos enim ad tyrones pertinere dicit, internorum non meminit, quoniam eorum cognitio & curatio ad prouectos iam in arte pertinet. Quæ de loco, tabernæ commodo

& de luce præscripsit, clariora sunt, & explanationem non desiderant. de duplici specie luminis, communi nempe & artificiosa, de lumine etiam aduerso & auerso, vide primum librum de officina Chirurgi, sententia octaua & nona.

Τοὺς δὲ δίφρους ὁμαλοὺς εἶναι τοῖς ὕψεσιν ὅτι μάλιστα, ὅπως κατ᾽ αὐτοὺς ὦσιν. χαλκώματι δὲ, πλὴν τῶν ὀργάνων, μηδενὶ χρήσθω. καλλωπισμὸς γὰρ τις εἶναι μοι δοκεῖ φορτικὸς, σκεύεσι τοιουτέοισι χρῆσθαι. τὸ δ᾽ ὕδωρ παρέχειν δεῖ πότιμον τοῖς θεραπευομένοις καὶ καθαρόν. τοῖς δὲ ἀπομάγμασι καθαροῖς καὶ μαλθακοῖς χρῆσθαι, πρὸς μὲν τοὺς ὀφθαλμοὺς ὀθονίοις, πρὸς δὲ τὰ τραύματα σπόγγοις. αὐτόματα γὰρ ταῦτα βοηθεῖν δοκεῖ καλῶς. τὰ δ᾽ ὄργανα πάντα εὔηρη πρὸς τὴν χρείαν ὑπάρχειν δεῖ τῷ μεγέθει, καὶ βάρει, καὶ λεπτότητι.

SEllę autem æquales altitudine sint imprimis, vt eodem modo sedeant Chirurgus & ægrotus Æramento exceptis instrumentis nullo vtatur. Ornatus enim superfluus esse videtur talibus vasis vti. Ijs qui curantur aquam exhibere par est potabilem & puram. Abstersorijs puris mollibusque vtendum, in oculis linteis, in vulneribus spongijs, hęc enim sponte sua & per se plurimum prodesse videntur. Omnia autem instrumē-

ta ad vſum expedita eſſe conuenit magnitudine, pondere & tenuitate.

NOn ſolum quæ ad tabernæ locum idoneũ eligendum, & ad lumen commodum vſurpandum pertinent, ſcire debet Chirurgus ſed etiam commodam medentis & ęgrotantis ſeſſionem cognoſcere æquales ergo ſint in officinis Sellæ, vt dextrè ſe poſſit Chirurgus ægrotanti accommodare, neque verò ſolum in tabernis requiruntur Sellæ, ſed vaſa etiam & inſtrumenta, & quędam exterſoria. Vaſa autem ſuperflua & luxu diffluentia non comparet, luxu enim externo famam & authoritatem non ſibi conciliabit, nec Chirurgi perſonam cum laude ſuſtinere poterit, ſed modeſtia, morum probitate & artis cognitione, non probat autem ęrea vaſa, propter luxum & oſtentationem, æs enim apud veteres ante argentum & aurum ſummo erat in pretio, æſque inter metalla nobilitatem admirationemque diu obtinuit, Inſtrumenta ærea concedit, quia rubiginem non ita celeriter contrahunt. quæritur tamen ferreane an ęnea ſumi debeant, qui ferro æs præferũt, hoc leuius eſſe, & facilius tractari, minuſque rubiginem trahere quam ferrum inquiunt. Cõtra qui ferrum æri anteponunt, validiorem huius materiam laudant, ære enim firmius, efficacius, robuſtiuſque ferrum eſt. Itàque licet & ex ære, & ex ferro hæc fabricare. præter ſellas, vaſa, & inſtrumenta, requiruntur in taberna Chirurgi, ea quæ ad excrementa eluenda & ſordes auferendas pertinent, cuiuſmodi ſunt a-

qua lintea & spongiæ. Aqua autem quę ad ablu-
endas sordes adhibetur, & ad chirurgica vasa &
instrumenda lauanda & mundanda sit potabi-
lis & pura, non enim intelligit aquam quæ
potui sit exhibenda ægris, sed quæ ad Chi-
rurgicos vsus adhibetur. Sic libro περὶ ὑγρῶν
χρήσεως, ὕδωρ ποτὸν, κατ' ἰητρεῖον κράτιστον. Aqua po-
tabilis in Officina Chirurgi optima nam & fer-
ramentis & æramentis optima, & medicamen-
tis plurimis conuenientissima. Corpori autem
adhibita, aut humectat, aut refrigerat aut cale-
facit. Cætera abstersoria pura sint & munda,
potissimumque lintea & spongiæ, quæ etiam
per se, non solum detergent, sed etiam desic-
cant instrumenta etiã sint. εὐήρη πρὸς τὴν χρείαν,
ad vsum medicum expedita, agilia & tractabilia
Sint etiam exposita vbi oportet, ne operam im-
pediant néue longius distent, quàm vt prehen-
di possint, sed collocentur iuxta eam corporis
partem quæ tractatur. quod si ab altero præbe-
antur, is paulo ante paratus sit, exequatur autẽ
vbi imperaueris, circa finem commentarij pri-
mi de officina medici.

Τὰ δὲ προσφερόμενα ἅπαντα μὲν χρὴ συνω-
ρίῳ ὅπως συνοίσῃ, μάλιστα δὲ, πλεῖστον εἰ ὁμι-
λεῖν μέλλει τῷ νοσοῦντι μέρει. Ταῦτα δὲ ἐστὶν ἐ-
πιδέσματα, καὶ φάρμακα, καὶ τὰ περὶ τὸ ἕλκος
ὀθόνια, καὶ τὰ καταπλάσματα. πλεῖστον γὰρ χρό-
νον ταῦτα περὶ τοὺς νοσέοντας ἐστὶ τόπους. ἡ δὲ με-
τὰ ταῦτα ἀφαίρεσις τούτων, ἀνάψυξίς τε καὶ περι-
κάθαρσις, καὶ τῶν ὑδάτων καταντλήσις ὀλίγου



τινός ἐστι χρόνου, καὶ τί ποιῆσαι ὅπου χρὴ, μᾶλλόν τε καὶ ἧσσον ἐσκέφθαι δεῖ. τούτων γὰρ ἀμφοτέρων ἡ χρῆσις εὐκαιρός τε, καὶ μὴ γενομένων, μεγάλην ἔχει διαφορήν.

OMnia verò quæ adhibentur conſiderare oportet vt conferant, potiſſimumque, ſi circa ægram partem diu hærere debeant. talia verò ſunt ligamẽta, pharmaça, lintea circa vulnus, & & cataplaſmata longiſſimo enim tempore hæc in locis affectis permanent. at verò horum ablatio, refrigeratio, mundificatio & aquarum perfuſio breuioris ſunt more animaduertendum etiam cũ aliquid facere oporteat, plus-ne an minus facere expediat. Vtrorumque enim horum vſus tempeſtiuus vel intempeſtiuus magni eſt momenti.

AVxilia Chirurgica conſiſtunt vel in Organis & inſtrumentis vel in oblatis & admotis, hoc loco τὰ προσφερόμενα, ſiue oblata, ſunt auxilia & remedia quæ admouentur partibus affectis. Inſtrumenta in corpus agunt ſubito & violenter, admota verò lentius & mitius. Oblatorum quatuor ſpecies proponit, faſcias, medicamenta, lintea; cataplaſmata, in quibus conſiderandum præcipuè, ne quid temere & fruſtra adhibeatur, cũ enim diutius in parte af-

fecta relinquantur etiam absente Chirurgo, plurimum noxæ, & detrimenti possunt afferre si intempestiuè admoueantur, vt contra plurimũ emolumenti affert tempestiuus horum vsus.

Ἔστι δὲ οἰκείη ἐπίδεσις τῆς ἰητρικῆς, ἀφ᾽ ἧς ὠφελεῖσθαι τὸν θεραπεύοντα. μέγιστα δὲ ὠφελεῖ δύο ταῦτα, οἷς ἐστι χρηστέον, πιέσαι ὅκου δεῖ, καὶ ἀνειμένως ἐπιδῆσαι. πρὸς δὲ τοὺς χρόνους τῆς ὥρης, ποτὲ δεῖ σκεπαστικῶς καὶ μή, συνορῆν ὅκως μὴ δὲ ἀσθενῆ λεληθὼς ποτέρῳ τούτων ἐνιαχοῦ χρηστέον. εὐρύθμους δὲ ἐπιδέσιας καὶ θεητρικάς, μηδὲν ὠφελούσας ἀπογινώσκειν. Φορτικὸν γὰρ τὸ τοιοῦτον, καὶ παντελῶς ἀλαζονικόν, πολλάκις τε βλάβην οἶσον τῷ θεραπευομένῳ. ζητεῖται δ᾽ ὁ νοσέων οὐ καλλωπισμόν, ἀλλὰ τὸ συμφέρον.

CONueniens autem Medicinæ deligatio est, ex qua æger auxilium sentit. Maxime verò conferunt hæc duo quibus vtendum est, comprimere vbi oportet, & remissè deligare. Secundum autem anni tempora aliquando contegere oportet, aliquando verò minime. Simul etiam animaduertendum ne imbecilliore vtaris, cum te lateat vtra deligationis specie alicubi sit vtendum. Concinnas autem & ad ostentationem comparatas deligatio-

nes, nihilque iuuantes reijcito id enim moleſtum & arrogans, ſæpiuſque damnum ægrotanti affert. Quærit autem ægrotus non ornatum, Sed auxilium.

HIc de vinculis & faſcijs diſputat, quantũ tyronibus ſufficiat. Conueniens autem & Chirurgo digna eſt deligatio, ex qua æger auxilium ſentit, deligationis autem duas ſpecies proponit, arctam & laxam, quę morbis & partibus ſunt accommodandæ adiungit duas alias ſpecies ex his dependentes, denſam & raram eſt autem denſa cùm pars contegitur, non ſolum faſcijs, ſed aliquando etiam lana ſuccida & panniculis ad muniendum, fulciendum & firmãdum, rara autem eſt ea quę vincit tantum non contegit. Secundum anni tempora aliquãdo contegere oportet partes affectas, aliquando verò minime, Sic Hippocrates quarto libro de articulis ſententia 24. quùm hybernum tẽpus fuerit, lanam ſuccidam vino madentem atque oleo tepido imponit vulneribus articulorum, qui ad pedem ſunt, laxatis oſſibus tibiæ, ne ob refrigerationem, neruorum diſtentio ſuperueniat. Et quemadmodum hieme curationem calidiorem admouet, ſic contra ęſtate tu frigidiorem admouebis, ait Galenus in commentario huius ſententię. Cæterùm ἐνιχοῦ quod in omnibus codicibus legitur, mendoſum ſuſpicor, & reſtituo ἐνιαχοῦ, id eſt alicubi deligationes verò elegantes & hiſtrionicas, ſiue

ad spectaculum & ostentationem comparatas repudiat, quando nihil iuuant. Alioquin concinnas & decoras deligationes maximè probat in Chirurgo Hippocrates sententia prima libri secundi de officina medici, nam εὐρυθμίη oculos delectat, & authoritatem etiam Chirurgo apud ęgrotos conciliat, quod ipsis ęgrotis vtilissimum est, magis enim homines iuuat Chirurgus, vbi apud eos in honore & admiratione est, quandoquidem magis obsequuntur, & iussis eius obediunt non secus ac numinis cuiusdam, duplex autem est εὐρυθμία & elegantia vinculi, quùm adhibetur in manuum motu consistit, quùm iam adhibitum est, in ambitu linteolorum. vtraque autem elegantia Chirurgo digna est, propter nobilitatem enim subiecti debet Chirurgus non solum vtilitati studere sed etiam elegantiae, vt docet Galenus initio libri de fascijs.

Ἐπὶ δὲ τῶν χειρουργιῶν ὅσαι διὰ τομῆς εἰσὶν ἢ καύσιος, τὸ ταχέως ἢ βραδέως ὁμοίως ἐπαινεῖται. χρῆσις γάρ ἐστιν ἀμφοτέρων. ἐν οἷς μὲν γάρ ἐστι διὰ μιῆς τομῆς ἡ χειρουργία, χρὴ ποιέεσθαι ταχεῖαν τὴν διαίρεσιν. ἐπεὶ γὰρ συμβαίνει τοὺς τεμνομένους πονέειν, τὸ λυπέον μὲν ὡς ἐλάχιστον χρόνον δεῖ παρεῖναι· τοῦτο δὲ ἔσται, ταχείης τῆς τομῆς γενομένης. ὅπου δὲ πολλὰς ἀναγκαῖον γενέσθαι τὰς τομὰς, βραδείῃ χρηστέον τῇ χειρουργίᾳ, ὁ μὲν γὰρ ταχὺς, ξυνεχῆ ποιέει τὸν πόνον καὶ πουλύν, ὁ δὲ διαλιπὼν, ἀνάπαυσιν ἔχει τινά.

τύπων τοῖς θεραπευομένοις.

IN Chirurgicis operibus quæ per ſe-ctionem aut vſtionem fiunt, celeritas aut tarditas æque laudatur vtriuſque e-nim neceſſarius eſt vſus in quibus enim Chirurgia per vnicam ſectionem fit, ce-leriter ſecare oportet. Quùm enim con-tingat eos qui ſecantur dolere, quod dolorem affert, quam minimo tempore adeſſe conuenit, hoc autem fiet, ſi ſe-ctio celeriter perficiatur. Vbi verò mul-tæ ſectiones requiruntur, lenta Chirur-gia vtendum eſt. Qui enim celer eſt, continuum multumque dolorem indu-cit, qui verò intermittit, requiem ali-quam ægrotis exhibet.

QVa moderatione vtendum ſit in operib. Chirurgicis, quæ per ſectionem aut vſtio-nem fiunt, nũc aperit. Aliquando enim celeri-ter & feſtinanter peragendę ſunt eiuſmodi ac-ctiones aliquando veró tardius adurendae aut ſecandę ſunt partes affectae, feſtinatio non-nunquam periculoſa, longaque curationis ratio ſine dolore plerumque eſt. Itaque bre-uitas vel diuturnitas temporis in ſectionibus & vſtionibus Chirurgo imprimis conſideranda & obſeruanda in quibus morbis vnica ſectio aut vſtio ſufficit, ea celeriter & expeditè perficien-da, ne diuturni & longi doloris vehementia ae-gri

gri vires deficiant, cum verò plures faciendæ sunt sectiones, aut repetenda sæpius vstio, non vno eodemque tempore debent administrari, sed interposito aliquo temporis spatio, ne multarum operationum continuo dolore conficiatur aeger intermissio enim dolorem minuit & collapsas vires reficit. quamuis autem diuidantur tempore sectiones aut vstiones, quaelibet tamen celeriter & expeditè fieri debet, atque vbi euitari dolor potest ἀνωδύνως iucundè & ἀσφαλέως tutô. Ad celeritatem cōfert plurimum promptitudo & praeparatio machinamentorū & instrumentorum, vt disponantur, vbi oportet, ne operam impediant, néue longiùs distent, quam vt prehendi possint, sed collocentur iuxta corporis partem, quæ tractatur, quod si ab altero præbeantur, is paulo ante paratus sit, exequatur autem vbi imperaueris. Assistentes vero id quod curatur, eo modo præbere debēt quo traditum fuerit, reliquum vero corpus continere sic, vt immobile præstent, vt docet Hippocrates circa finem libri primi commentariorum de officina medici.

Τὸ δ᾽ αὐτὸ ἐπὶ τῶν ὀργάνων λέγοιτ᾽ ἄν· τοῖς δὲ μαχαιρίοις ὀξέσι δεῖν χρῆσθαι καὶ πλατέσιν οὐκ ἐπὶ πάντων ὁμοίως παραγγέλλομεν, μέρη γάρ τινά ἐστι τοῦ σώματος, ἃ ἐν τάχει μὲν ἔχει τὴν ῥύμην τοῦ αἵματος, καὶ κατασχεῖν ἐστιν οὐ ῥηΐδιον, ταῦτα δέ ἐστιν, οἵ τε κίρσοι, καί τινες ἄλλαι φλέβες. τὰς μὲν τομὰς χρὴ εἶναι τῶν τοιουτέων στενάς· οὐ γὰρ οἷόν τε τὴν ῥύσιν γενέσθαι κατακορῆ. ξυμφέρει δέ ποτε

ἀπὸ τῶν τοιουτέων αἵματος ἀφαίρεσιν ποιέεσθαι· πρὸς δὲ τοὺς ἀκινδύνους τόπους, καὶ περὶ οὓς μὴ λεπτόν ἐστι τὸ αἷμα, πλατυτέροις χρῆσθαι μαχαιρίοισι. τὸ γὰρ αἷμα πορεύοιτ' ἂν, ἄλλως δὲ οὐδαμῶς. πάνυ δ' ἐστὶν αἰσχρῶς, μὴ ξυμβαίνειν ἀπὸ τῆς χειρουργίης ὅ,τι θέλει.

IDem de instrumentis dici potest. Gladiolis acutis ac latis vti nõ in omnibus similiter præcipimus. Nam partes quædam corporis sunt, quæ celerem sanguinis fluxum habent, quem sistere non est facile cuiusmodi sunt varices, & aliæ quædam venæ. Itaque in talibus angustas sectiones oportet esse, non enim fluxus moderatus esse potest. Cõducit autem aliquando à talibus sanguinem detrahere. In locis verò non periculosis, & in quibus non tenuis continetur sanguis latioribus gladiolis vtendum. Sic enim sanguis prodierit aliter nequaquam. Valde autem turpe est, consequi ex Chirurgia quod velis.

NOn solum breuitas aut diuturnitas temporis consideranda est in sectionibus aut vstionibus humani corporis, sed videndum diligenter, quibus instrumentis fieri debeant eiusmodi operationes. Hic exempli gratia gladio-

los proponit. Acutis & angustis vtendum est, cùm secatur pars, in qua subsunt venæ & arterię, ne superueniat sanguinis profusio, quae non facile supprimi possit. Fiunt autem incisiones latioribus Gladiolis, cum secatur pars in qua nec venae maiores latent, nec arteriae: aut cum sanguinem crassum euacuare volumus, qui per angustum foramen, non facile educeretur caeterum ῥύσιν καταπορῆ, verti, fluxum moderatum, quum tantum sanguinis effluit, quantum satis est ad satietatem & voluntatem Chirurgi, profusio autem sanguinis moderata esse non potest, cum copiosius fluit, & plusquam par sit profunditur incisis latiore Gladiolo varicibus aut arterijs.

Σικύων δὴ δύο τρόπους εἶναι χρησίμους, ὅτε μὲν γὰρ ῥεῦμα ξυνεστηκὸς πόῤῥω τῆς ἐπιφαινομένης σαρκὸς, τὸν μὲν κύκλον αὐτῆς εἶναι δεῖ βραχὺν αὐτὴν δὲ μὴ γαστρώδη, προμήκη τὸ πρὸς τὴν χεῖρα μέρος, μὴ βαρεῖαν, τοιαύτην γὰρ οὖσαν. ἕλκειν ἐς ἰθὺ ξυμβαίνει, καὶ τοὺς ἀφεστῶτας ἰχῶρας καλῶς ἀνεσπᾶσθαι πρὸς τὴν σάρκα. τοῦ δὲ πόνου πλείονος κατεσκεδασμένου τῆς σαρκὸς, τὰ μὲν ἄλλα παραπλησίην, τὸν δὲ κύκλον μέγαν, οὕτω γὰρ ἐκ πλείστων μερῶν εὑρήσεις ἄγουσαν ἐς ὃν δεῖ τὸ λυποῦν τόπον. οὐ γὰρ οἷόν τε μέγαν εἶναι τὸν κύκλον, μὴ συναγομένης τῆς σαρκὸς ἐκ πλείονος τόπου. Βαρεῖα δ' οὖσα, ῥέπει καὶ ἐς τοὺς ἄνω τόπους, κάτω δὲ μᾶλλον τὴν ἀφαίρεσιν, καὶ πολλάκις ὑπολείπεσθαι τὰς νόσους· τοῖσι μὲν οὖν ἐφεστῶσι ῥεύμασιν, καὶ μα-

κρα ἀπέχουσιν ἀπὸ τῶν ἄνω τόπων, οἱ πλατεῖς κύκλοι πολλὰ ξυνεπισπῶνται παρὰ τῆς ἄλλης σαρκός. ἐπιπροσθεῖν οὖν ξυμβαίνει τὴν ἐντεῦθεν εἱλκομένην νοτίδα τῷ ξυναγομένῳ κάτωθεν ἰχῶρει, καὶ τὰ μὲν ἐνοχλεῦντα ὑπολείπεσθαι τὰ δ' οὐδὲν λυπέοντα ἀφαιρεῖσθαι. μέγεθος δὲ σικύης τὶ χρήσιμον στοχάζεσθαι χρὴ πρὸς τὰ μέρη τοῦ σώματος, οἷς ἂν δέῃ προσβάλλειν.

CVcurbitularum verò modi commodi ſunt, quando enim fluxus procul ab extima carne fuerit impactus circulum cucurbitulæ anguſtum eſſe conuenit ipſamque non ventroſam, ſed oblongam parte ad manum vergẽte neque grauem quæ enim talis eſt, in directum trahere ſolet, & ſeroſos humores procul diſtantes probè ad carnem attrahere. Quum autem dolor plurimus per carnem diſperſus eſt, in reliquis quidẽ conſimilem cucurbitulam eſſe oportet ſed circulum magnum, Sic enim ex plurimis partibus id quod dolorem facit, educere cómperies ad locum conuenientem nemo enim magnum circulum eſſe putat, ſi non ex ampliore loco caro comprehendatur. Si verò grauis ſit pondere ſuo partes ſuperiores premet,

& ad subiectas potius detractionem repellet, sæpiusque morbos relinquet intactos. Fluxionibus autem imminentibus & longè distantibus à carnis superficie, lati circuli multum ex vicina carne simul attrahunt. Contingit igitur humiditatem inde detractam apponi collecto in profundo seroso humori, & ea quidem quæ infestant, relinqui, quæ verò nullum dolorem afferunt detrahi. Cucurbitulæ porro magnitudinem iuxta corporis partes, quibus imponere oportuerit æstimare conuenit.

INter instrumenta Chirurgica, cucurbitula seu cucurbita medicinalis numeratur, est autem instrumentum concauum quod ad multos vsus, cum flamma vel sine flamma corporis partibus imponitur. Cucurbitularum vero duo genera apud veteres fuerunt, aeneum & corneum ænea altera parte patet. altera clausa est. Cornea alter à parte æque patens, altera foramen habet exiguum, in æneam, linamentum ardens conijcitur, ac si os eius corpori aptatur, imprimiturque donec inhæreat. Cornea per se corpori imponitur deinde vbi ea parte qua exiguum foramen est ore spiritus adductus est superque cera cauum id clausum est, æque inhærescit. Vtraque non ex his tantum materiæ generibus, sed ex quolibet alio recte fit. Ex Celso libri secundi capite vndecimo, Alij cucurbitulis vtūtur

vitreis, vt sanguinis qui vacuatur mensura in extractione pellucescat, Paulo libri 6. capite 41 Aenearum apud veteres frequentior erat vsus, nunc vitreis magis vtimur. Corneæ, secundum locum etiam nunc obtinent. Cucurbitularum præcepta tradit, quæ tyroni Chirurgo sunt necessaria, pleniorem de cucurbitulis, earumque vsu tractationem ad prouectiores in arte pertinentem omittit. Cucurbitularum autem imponendarum duos modos vtiles proponit, vel enim cucurbitula angustioris partibus aptatur, vel circuli latioris, vtriusque corpus non debet esse ventricosum, sed prolixum & oblongum, vtraque etiam cucurbitula leuis sit necesse est, non autem grauis, præterea cum cucurbitulæ partibus subiectis sint adæquādæ, idcirco plurimum inter se magnitudine & paruitate differre debent. Cucurbitula autem oris compressioris humorem altius impactum & procul distantem in directum trahit versus cutis superficiem. Cucurbitula vero quæ habet circulum magnum, siue os amplum & latum adhibetur, cum humor qui morbum facit varijs in locis continetur & dolor plurimus per carnem dispersus est eiusmodi enim cucurbitula multam carnem cōprehendis, humoresque dispersos ad locum cōuenientem trahit & educit. Leuis autem esse debet Cucurbitula, quia grauitas coarctans cutis meatus suo pondere extractionis motum impedit, & in profundum repellit apponitque Seroso humori intus collecto.

Ὅταν δὲ κατακρούειν, κάτωθεν δέχεσθαι τὸ γὰρ αἷμα φανερὸν εἶναι δεῖ τῶν χειρουργουμένων τόπων; ἄλλως δὲ οὐδὲ τὸν κύκλον τὸν ἑλκυσθέντα χρὴ κατακρούειν, εὐτονωτέρη γάρ ἐστιν ἡ σὰρξ τοῦ πονήσαντος. μαχαιρίοις δὲ τοῖς καμπύλοις, ἐξ ἄκρου μὴ λίην στενοῖς ἐνίοτε γὰρ ἰχῶρες ἔρχονται γλισχροὶ καὶ παχεῖς, κίνδυνος οὖν ἐστιν ἐναποστῆναι τῇσι τομῇσιν, ὅταν στεναὶ τμηθέωσιν.

QVùm ſcarificare voles, ab inferioribus partibus incipe. Oportet enim ſanguinem partium ſcalpello conciſarum manifeſtum eſſe, neque aliter circulum excitatum pertundere conuenit. Caro enim partis dolentis tenſa eſt. Gladiolis autem incuruis non admodum anguſtis ſcarificare oportet, aliquando enim ichores lenti & craſſi profluunt, periculum igitur eſt ne ſub inciſionibus retineantur, ſi paruæ fuerint & anguſtæ.

CVcurbicula alia leuis & ſimplex eſt, κούφη σικύα græcis, cùm imponitur integra cute, altera eſt cum ſcarificationibus μετὰ κατασχασμῶν, cum corporibus aptatur cute antè ſcalpello cōciſa, itaque cucurbiculis ſcarificationem adnectit, paucíſque demonſtrat quid tyro chirurgus deſc arificationibus præſcire debeat. Cùm ergo

ſcarificationis neceſſarius erit vſus, ab inferioribus partibus eſt initium ſumendum. Sic enim interpretor κάτωθεν ἄρχεσθαι. plagas profundas facere, vertit Zuingerus. altius plagas adigere & profundiores ſectiones facere, interpretatur Fœſius in œconomia Hippocratis, in particulis, κατ' κουρῇ, ſcarificationem ſubter cucurbitulam adhibere, explicat Cornarius quam verſionem probat Mercurialis, Mentem authoris & verborum vim nullus animaduertit, κάτωθεν ἄρχεσθαι, eſt ab inferiore parte incipere. Sic enim vniuſcuiuſque partis ſcarificatæ manifeſtus eſt ſanguis. Si verò à ſuperioribus incipias ſcarificationem, ſanguis defluens obſcurabit eum qui ab inferioribus partibus profluet, nec certo dignoſcere poteris, vtrum à parte inferiore conciſa defluat ſanguis, præterea ſanguis à ſuperioribus defluens impediet ne partes inferiores ſcarificare tutô poſſis. Antylus conſulit ſcarificationis principium ab infernis partibus ſumendum eſſe, ne ſanguis per ſuperficiem decurrens, obſcuret eam partem, quæ poſtea ſcarificanda venit. Cæterùm in ſcarificationibus non ſemper altiores & profundiores inciſiones requiruntur, ſed triplex conſtituitur à Galeno, lib. 2. ad Glauconem, eiuſmodi inciſionum differentia, aut enim tenuis & in ſuperficie leuis eſt, aut magna & profunda, aut longitudine & profunditate inter eas media. Quæ in ſuperficie fiunt, non attrahunt è longinquo, non reuellunt, non deriuant, ſed in ſumma tantum cute hærentem humorem educunt. altæ vero & longæ plurimum ſanguinis exhauriunt. cuius rei oribaſius locu-

ples eſt teſtis, qui ſibi ſcarificato crure, cùm peſtilentia laboraret, duas fere ſanguinis libras detraxit, è remotiſſimis etiam partibus effundunt, adeo vt animi deliquium nonnunquam afferãt intermediæ autem ab his incommodis liberæ ſunt, quocirca his potius vtendum eſt, cum ſcarificationis vſus inciderit. Ea autem tribus de cauſis ſuſcipitur, ad reuulſionem, ad deriuationem, ad vacuationem humoris tùm toto corpore redundantis, tùm in ea parte quæ inciditur, impacti. Scarificatio autem, quæ reuulſionis gratia inſtituitur, aut vacuationis è toto corpore, haud temerè in alijs partibus, quàm in cruribus vſurpata eſt à veteribus medicis. Circulum etiam per impoſitam cucurbitulam excitatum ſcarificabis ſumpto initio ab inferiori parte, cum enim caro circuli ſit tenſa, propter humorem attractum, qui partem diſtendit, decurret liberius ſanguis à parte ſuperiore in decliuem, impedietque ſcarificationem loci inferioris, neque dignoſces vtrum ab inferiore ſcarificato profluat ſanguis. Gladiolos autem ad ſcarificationem adhibet incuruos, in ſummo non admodum anguſtos aut acutos, ſed paulo latiores quales ſunt ſcalpri raſorij, vt tenaces & craſſi humores profluant, qui in anguſtis & paruis inciſionibus, ſub cute hærentes retinerentur. Præterea conſulit Antylus ſcarificationem non κατὰ στιγμὴν, ἀλλὰ κατὰ συρμὸν, hoc eſt non punctim ſed cæſim faciendam eſſe.

Τὰς δὲ ἐπὶ τῶν βραχιόνων φλέβας τῆσι καταλήψεσι χρὴ φυλάσσειν. ἡ γὰρ καλύπτουσα

σὰρξ πολλοῖς οὐ καλῶς συνήρμοσται τῇ φλεβὶ τῆς γὰρ σαρκὸς ὀλισθηρῆς οὔσης οὐ καθ' ἑαυτὰς ξυμβαίνει τὰς τομὰς ἀμφοτέρων γίνεσθαι, τὴν γὰρ φλέβα ἐκφυσᾶσθαι ξυμβαίνει καλυφθεῖσαν, καὶ τὴν ῥύσιν τοῦ αἵματος κωλύεσθαι, πολλοῖσι δὲ καὶ πύος διὰ τοῦτο ξυνίστασθαι δοκεῖ δὴ δύο βλάβας φέρειν ἡ τοιαύτη χειρουργίη, τῷ μὲν τμηθέντι πόνον, τῷ δὲ τέμνοντι πολλὴν ἀδοξίην. τὸ δ' αὐτὸ κατὰ πασῶν παρήγγελται γίνεσθαι· τὰ μὲν οὖν κατ' ἰητρεῖον ἀναγκαῖα ὄργανα καὶ περὶ ἃ δεῖ τεχνικὸν εἶναι τὸν μανθάνοντα, ταῦτ' ἐστιν. ὀδονταγρῇσι γὰρ καὶ σταφυλάγρῃσι χρῆσθαι τὸν τυχόντα ἐστιν. ἁπλῆ γὰρ ἡ χρῆσις αὐτῶν εἶναι δοκεῖ.

BRrachiorum autem venas vinculo apprehenſas conſtringere oportet. in multis enim caro veniam tegens non probe venę coheret, cumq; caro lubrica & laxa eſt, non contingit carnem & venam è directo ſecari, venam vero contectam inflari contingit & ſanguinis fluxum impediri, multiſque ob id, pus etiã congregatur videtur autem eiuſmodi Chirurgia duo mala ſecum afferre, ſecto dolorem ſecanti verò multam ignominiam. Hoc idem in omnibus venis ſecandis præceptum eſto. Hæc igitur in taberna Chirurgica inſtrumenta ne-

cessaria sunt, circa quorum vsum artificiosum esse oportet discipulum volsellis autem dentium & vuarum quilibet vti potest, simplex enim earum vsus esse videtur.

PRæcepta phlebotomiæ proponit quæ tyroni Chirurgo obseruanda sunt, in secandis venis brachiorum & reliqui etiam corporis brachiorum autem venas frequentius tres incidimus, circa cubiti flexuram, nempe μασχαλιαῖαν, axillarem, cubiti interiorem, vulgo basilicam; ὠμιαῖαν, humeralem cubiti superiorem, vulgo cephalicam: & μέσην siue mediam. In morbis capitis ac ijs qui supra collum sunt, humeralem incidimus in morbis qui infra ceruicem affligũt axillarem secamus, media vtrisque conuenit. Albucrasis in reliquo corpore viginti quatuor venas enumerat ex quibus mitti solet sanguis, duas pone aures, vnam in medio frontis, duas circa magnum oculorum canthum, duas in labro superiori, totidem in inferiori, duas sub lingua vnam in extremitate nasi, duas iugulares duas in vtraque manu in vtraque tibia, popliteam, Sapheiam, & malleoli extetiorem, quæ ischias dicitur, quibus addere potes hæmorroidas, quæque ad lienem nigricant, & internas narium venas, quas aliquando vel scalpelli mucrone diuidimus, vel quibusdam asperis irritamus. Quid obseruandum sit in sectione venarum in brachiis paucis ostendit, suadetque vt priusquam sectio fiat, vinculo & fascia partem

constringat, vt vno ictu & carnem & venam pertundat, neque solum brachium deligare oportet, sed etiam manu partem confricare dum incalescat, vt sanguine pro lecto vena tumentior in conspectum veniat. Infra etiam illigari mos est, quum tremula inconstansque vena ad scalpelli quemuis impulsum subterfugit, aut è sua sede dissilit. Quibus autem densa cutis est, & quibus angustæ venæ, aut in altum demersæ, multa carne vel adipe obductæ sunt, iis multo arctius vinculum iniici debet, Ligatura etiam sit propinqua, quumque ligaueris, & superuenerit inflatio, soluto vinculo frictione multa inflationem discute, & rursus partem constringe, sed prospiciendum diligenter ne flatu tumidum locum pro vena pertundas animaduerte etiam sedulo, ne vinculo cutem è suo loco ante sectionem, aut post eam, dimoueas. Cùm ait venam carne obductam inflari, codices græci ἐκφυσᾶσθαι legunt, quod est expirare, efflare & expuere, Cornarius videtur legisse ἐμφυσᾶσθαι, vertit enim inflari. Porro in venis reliqui corporis aperiendis, non idem perpetuo præceptum obseruatur. Minores enim pedum manuúmque venas, quia vinculis non satis implentur, in calentem aquam demittimus, quæ & profluenti sanguini impetum facit. Venas etiam linguæ subditas, transuersas incidimus, euitantes constrictionem, ὀδοντάγρα instrumentum est chirurgicum euellendis dentibus idoneum. σταφυλάγρα vero instrumentum aliud chirurgicum, quo vna fluxione laxior attollitur, aut quo comprehendi-

tur ea vuæ pars quam amputare volumus.

Περὶ δὲ φυμάτων καὶ ἑλκέων, ὁκόσα μειζόνων ἐστὶ νοσημάτων. τὰ μὲν φύματα τεχνικώτατον ὑπειληφέναι, καὶ δύνασθαι διαλύειν, καὶ τὰς συστάσιας αὐτῶν κωλύειν. ἐχόμενον δὲ τουτέων, στέλλειν εἰς τὸν ἐπιφανῆ τόπον, ὡς εἰς βραχύτατον, καὶ τὴν σύστασιν ὁμαλῶς διὰ παντὸς ἐποιεῖσθαι τοῦ φύματος. ἀνωμάλως γὰρ ἔχοντος αὐτοῦ, ῥαγῆναί τε καὶ δυσθεράπευτον τὸν ἕλκος κίνδυνός ἐστι γενέσθαι. ἐξομαλίζειν τε χρὴ πεσσοντα πανομοίως, καὶ μήτε διαιρεῖν πρότερον, μήτε αὐτόματον εἰᾶν ῥαγῆναι· τὰ δὲ ἐκπέψαι δυνάμενα ὁμαλῶς ἐν ἑτέροις εἴρηται.

IN tuberculis autem & vlceribus eadem obseruanda quæ & in alijs grauioribus morbis. Tubercula quidem cohibere & dissoluere posse, eorumque collectiones impedire, maximum artis est opus, proximum est, in apparentem & quam breuissimum locum contrahere, æqualemque collectionem per totũ tuberculũ facere. Vbi enim inæqualiter se habuerit, periculum est ne rumpatur vlcusque curatu difficile fiat. Adæquare igitur oportet per totum similiter concoquendo, neque prius aperire, neque sinere vt sponte rumpatur. Quæ vero

æqualiter concoquere poſſunt in aliјs libris dicta ſunt.

MOrbos chirurgi manum requirentes in duo genera diſtribuit,in tubercula nempe & vlcera, oſſium fractorum & luxatorum curationem prætermittens,quod horum præcepta, non ad tyrones quos hic inſtituit, ſed ad prouectos tantum in arte pertineant. φῦμα apud medicos multis modis dicitur, vno modo φῦμα eſt inflammatio ſponte naſcens, quæ celerrime gignitur,ocyſſime in altum & acutum eleuatur, citiſſime ſuppuratur, ſæpiuſque in alis & inguinibus generatur,commentario in aphoris num. 26.libri tertij.Galeno ſecundo libro ad Glauconem,Paulo libri quarti capite 22. alrero modo, phyma dicitur tumor præter naturam ſine cauſa aliqua externa perueniens, maximè ſi in corporis ſuperficiem extuberet, cuiuſmodi ſunt verrucæ, ſtrumæ, & quamplurimi alij tumores per ſe in extimis corporis partibus excitati,ex aphoriſmo eodem. Sic apud Celſum libri ſexti capite 18. φύματα ſunt tubercula quæ circa glandem oriuntur. Tertio modo,phyma, apud eundem Celſum libri quinti capite de phymate & eius curatione, nominatur tuberculum furunculo ſimile,ſed rotundius,& planius,ſæpe etiam maius. Aliquando etiam phyma vocat Hippocrates, quod alibi ſolet ἐμπύημα dicere, commentario in aphoriſmum 8.libri ſeptimi. Hoc autem loco, φῦμα ſignificat omnem tumorem præter naturam in exteriorem corporis partem

præsertim erumpentem, ex quocumque humore, sine causa vlla externa, qui si non inhibeatur aut dissoluatur, ad suppurationem spectat. Suadet autem hic author vt tumores eiusmodi fieri prohibeamus, eorumque originem intercipiamus, & humorem cùm fluere in partem incipit, repellamus, siquid humoris in partem procubuit, dissoluamus, & collectionem humoris fieri prohibeamus. quòd si id consequi non liceat, proximum est, vt materiam ex qua fit tuberculum, è profundo in superficiem attrahamus, inque minimum spatium contrahamus, & ad suppurationem æqualiter perducamus. Cum enim tumores præter naturam curari soleant resolutione, suppuratione, induratione & corruptione, omnium istorum modorum optimus & magis expetendus is est qui per resolutionem fit, post illum vero, qui per suppurationem, quę per indurationem fit, permutatio mala est, pessima vero quæ per corruptionem. hîc ὑπολημφέναι cohibere dixi, id est tumorem originem intercipere, & reprimere. Cornarius deprehendere dixit, ὑπολαμβάνειν quidem vtrumque significare potest, mihi tamen magis placet ad tuberculi interceptionem referre, neque enim τεχνικώτατον est tuberculum deprehendere & cognoscere. Æqualem collectionem per totum tuberculum facere. & adæquare per totum similiter concoquendo, est æqualiter maturare & suppurare. Genus autem coctionis est suppuratio & in pus conuersio, & medicamenta suppurantia etiam πεπτικὰ medicis vocantur. pus etiam optimum

ὁμαλὸν esse debet, prognostico vltimo libri primi. Cum tuberculi materia concocta fuerit & in pus versa, ferramento pars aperienda, vt exitum habeat pus delitescens; non tamen ante maturitatem scalpellum admouere oportet, nisi aut articulis aut principibus partibus vicini sint eiusmodi suppurantes tumores, ne ligamentum, neruus aut simile aliquid assidua putredine pariter contabescat, tunc enim crudi etiam, & priusquam ex toto in pus mutati sint, incidi debent. abscessus etiam ano proximos ante integram concoctionem crudos dissecari præcipit Hippocrates, veritus ne suppuratio ad intestinum perueniat. neque vero eousque suppurationi & maturationi incumbendum, donec sponte rumpantur tubercula, tunc enim fieret vlcus ægrè curabile. Recentiores tamen chirurgi sectionem quam manu molimur, deteriorem putant ea apertione, quæ naturæ beneficio accidit, quoniam saniem, sordes aut fistulas generat, quod in paruis tumoribus verum esse potest, non autem in grauioribus de quibus hoc loco agit.

Τὰ δὲ ἕλκεα δοκεῖ πορείας ἔχειν τέσσαρας, μίαν μὲν εἰς βάθος, ταῦτα δ' ἐστὶ τὰ συριγγώδη, καὶ ὅσα ὕπουλά ἐστι, καὶ ἔντοθεν κεκοιλασμένα, ἡ δ' ἑτέρη, εἰς ὕψος, τὰ ὑπερσαρκέοντα. τρίτη δέ ἐστιν εἰς πλάτος, ταῦτα δέ ἐστι τὰ καλεόμενα ἑρπιστικά. τετάρτη ὁδὸς ἐστὶν ἡ ξύμφυσις, αὕτη δὲ μόνη κατὰ φύσιν εἶναι δοκέει κίνησις. αὗται μὲν οὖν ξύμ-

φοραὶ

φοραὶ τοιαῦται σαρκός εἰσιν, πᾶσαι δὲ κεναὶ τοῦ ξυμφέροντος. καὶ τὰ μὲν τούτων ἐν ἑτέροις σημεῖα δεδήλωται· καὶ ἡ χρηστέον ἐστὶν ἐπιμελεία. δι᾽ ὧν τὸ ξυμφυόμενον διαλυθήσεται, καὶ τὸ πηρεύμενον, ἢ κοῖλον γενόμενον, ἢ τὴν εἰς πλάτος πορείαν ποιούμενον, προσηκόντως περὶ τούτων ἐν ἄλλοις εἴρηται.

VLcera verò quatuor modis progrediuntur, vno in profundum, cuiusmodi sunt fistulosa, præsanata, & intus caua. Alio modo in altum, in quibus caro supercrescit. Tertia via est in latitudinem, hæc autem vocantur serpiginosa. Quarta via est agglutinatio, hæcque sola videtur esse secundum naturam motus. Eiusmodi ergo carnis sunt calamitates actionem partis omnes lædentes, & eorum quidem signa in aliis libris sunt exposita, quaque vtendum sit curatione. Per quæ autem quod agglutinatum est dissoluatur, vel quod repletum, aut cauum redditum est, aut quod in latitudinem progreditur, abunde de his in aliis libris dictum est.

QVid in tuberculis obseruandum sit proposuit, nunc quæ sint obseruanda circa vlcera, demonstrat. ἕλκεα hîc non solum continui

solutionem in carne significant, sed etiam disiuncti continuationem. vlcerum diuisionem rudem, & tyronis oculis obuiam proponit. Vlcera enim omnia progrediuntur vel in profundum, vel in altum, vel in latum, aut in id quod vacuum & disiunctum esse debet. Sic quatuor sunt vlcerum viæ & rudes differentiæ. prima est eorum vlcerum quæ in profundas partes progrediuntur, cuiusmodi sunt vlcera fistulosa, & ea quæ cicatrice obducta, intus tamen caua sunt. ὕπουλα præsanata dixi, id est cicatrice obducta ante integram curationem, vel sub cicatrice latentia, & propriè sunt ea vlcera, quæ cum cicatricem obduxerint, sunt tamen subter purulenta. hic ὕπουλα & ἔντοθεν κεκοιλασμένα, non sunt vlcera diuisa, sed vnam constituunt vlceris differentiam. falluntur interpretes cum sanie plena vertunt. Secunda vlcerum species, est eorum in quibus caro supercrescit, ὑπερσαρκέον ϗ πληρούμενον dicitur. Tertia vlcerum via in latum spargitur, ad quam referuntur vlcera serpiginosa. Quarta via vlcerum dicitur σύμφυσις agglutinatio, siue disiunctarum partium vnio, cum vlceris partes. quæ prius diuisæ & disiunctæ fuerant, coniunguntur & vniuntur, sic vlcerati digiti per carnem superuenientem concrescunt, sic etiam anus, vterus, præputium coalescere possunt, & hæc species videtur esse motus secundùm naturam, cum omnis solutio continui vnitatem requirere videatur, est tamen præter naturam, & actionem partis lædit. Hic locus subobscurus erat, sed restituta dictio ξύμφυσις clarissimum reddit: esse autem intelligendam

particulam illam manifeſtè apparet ex repetitione quam ſtatim ſubiungit; cùm enim κοῖλον ad primam vlceris differentiam referatur, πληρεύμενον ad ſecundam. & ποιούμενον τὴν πορείαν εἰς πλάτος ad tertiam, neceſſariò τὸ ξυμφυόμενον quartam conſtituet vlcerum differentiam. Legunt hîc etiam omnes codices, πᾶσαι δὲ κοιναὶ τοῦ ξυμφέροντος, ſine manifeſto ſenſu, nos κεναὶ legendum putamus, vt ſit ſenſus, omnes hæ carnis calamitates, eius quod iuuat ſunt expertes & inanes, quia partis actionem lædunt. Sed vtriuſque huius loci reſtitutio doctiſſimo Zuingero debetur, qui Hippocraticæ doctrinæ obſcuritatem clariſſimis commentariis plurimum illuſtrauit.

Περὶ δὲ καταπλασμάτων ὧδε. τῶν ἐπιτιθεμένων ὀθονίων ὅκου ἂν ἡ χρῆσις κατὰ τοῦ νοσεύματος ἀκριβὴς εἶναι δοκέῃ, καὶ τῷ ἕλκει ἁρμόζου τὸ ἐπιτιθέμενον ὀθόνιον, τῷ δὲ καταπλάσματι πρὸς τὸν κύκλῳ τόπον τοῦ ἕλκεος χρῶ. Χρῆσις γὰρ αὕτη καταπλάσματος ἔντεχνός τε καὶ πλεῖστα ὠφελεῖν δυναμένη ἐδόκει γὰρ τῷ μὲν ἕλκει βοηθεῖν ἡ τῶν περιτιθεμένων δύναμις, τὸ δ᾽ ὀθόνιον φυλάσσειν, τὰ δ᾽ ἔξω μὲν τοῦ ἕλκεος, τὸ κατάπλασμα ὠφελεῖ. τὴν μὲν οὖν χρῆσιν αὐτέων εἶναι δεῖ τοιαύτην. περὶ δὲ καιρῶν, ὁκότε τούτοις ἑκάστοις χρηστέον ἐστὶ, καὶ τὰς δυνάμιας ὡς χρὴ τῶν γεγραμμένων καταμανθάνειν, παραλέλειπται δὲ τὰ τοιαῦτα, ἐπεὶ πλείον

προσήκει τῆς κατ' ἰητρικὴν ἐπιμελείας, καὶ πόρρω τοῦ τῆς τέχνης ἤδη προσεληλυθότος ἐστίν.

DE cataplasmatis autem sic statuendum, vbicúmque linteorum impositorum vsus in morbo exquisitus esse videtur, ipsi quidem vlceri accommodato linteum quod imponitur, cataplasmate verò in circumpositis vlceris partibus vtitor, hic enim cataplasmatis vsus & artificiosus est, plurimúmque prodesse potest. Videtur autem vis eorum quæ circumponuntur, vlceri conferre, linteum quidem conseruat, cataplasma vero circumpositas vlceris partes iuuat. Eiusmodi igitur eorum vsum esse oportet. De temporibus vero, quando singulis istis vtendum sit, & quomodo eorum quæ scripta sunt facultates discere oporteat, nunc relinquimus, quoniam maiorem in arte requirunt industriam, eiusque propria sunt, qui magnum iam in arte fecerit progressum.

QVis sit legitimus linteorum & cataplasmatum vsus in vlceribus nunc aperit, sub linteis continetur & spongia: vsus autem spongiæ & linteorum est ad vlcus detergendum & desiccandum. spongia verò debet esse densa,

mollis,inciſa, ſiccior quàm humidior,ex ſententia octaua libri de vulneribus: linteum verò ſiccum & purum eſſe debet, ex ſententia vndecima eiuſdem libri,ſed addit Galenus libro quarto κατὰ γένη, μαλακὸν, molle,& præterea λεπτὸν tenue, ex ſententia 24.libri eiuſdem de vulneribus. Cataplaſma verò de quo nunc loquitur,ſuppurans eſt leniens aut emolliens, quod non vlceri,imponit, ſed circumpoſitis partibus. Sic ſententia quinta & decima nona libri de vulneribus, cùm cataplaſmatis vſus neceſſarius videtur, non ipſum vulnus cataplaſmate oportet nutrire, ſed vicinas partes, vt pus effluat, & dura emolliantur. Linteorum verò vſus vlceribus opportunus eſt, antequàm medicamenta imponamus, vt ſanguinem, vitioſum humorem, aut ſordes ſiccemus,abſorbeamus,aut extergamus,hæc enim quandiu in vlceribus retinentur, non mediocriter partem offendunt, & medicamenti vires retundunt. Sic ſententia vndecima libri de vulneribus, medicamenta prius imponere non oportet, quàm vulnus ſiccum planè reddideris, tunc autem apponere conuenit, ſed ſæpius ſpongia vulnus detergendum eſt,ſæpius item admouendum linteum ſiccum & purum. præterea, linteum non ſolùm vulnus contegit,ſed etiam conſeruat,ne mordicetur à cataplaſmate vicinis partibus impoſito.

Ἐχόμενον δὲ τούτων ἐστὶ καὶ κατὰ στρατιὴν γινομένων τρωμάτων χειρουργίη, περὶ τὴν ἐξαίρεσιν τῶν βελέων. ἐν τῇσι κατὰ πόλιν διατει-


ϐησι βραχεῖα τίς ἐστιν τουτέων ἡ χρῆσις. ὀλιγάκις γὰρ ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ γίνονται πολιτικαὶ στάσιαι καὶ πολεμικαί. ξυμβαίνει δὲ τὰ τοιαῦτα πλεῖστάκις καὶ ξυνεχέστατα περὶ τὰς ξενικὰς στρατιὰς γίνεσθαι. τὸν μὲν οὖν μέλλοντα χειρουργεῖν, στρατεύεσθαι δεῖ, καὶ παρηκολουθηκέναι στρατεύμασι ξενικοῖς, οὕτω γὰρ ἂν εἴη γεγυμνασμένος πρὸς ταύτην τὴν χρείαν. ὃ δὲ εἶναι δοκεῖ περὶ ταῦτα τεχνικώτερον, εἰρῆσθαι. τῶν γὰρ ὅπλων ἐνόντων καὶ σημεῖα πεποιῆσθαι τέχνης ἐστὶ πλεῖστον μέρος, καὶ τῆς πρὸς ταῦτα χειρουργίης. τούτου γὰρ ὑπάρξαντος, οὐκ ἂν παραλίποιτο τρωματίας ἀγνοηθεὶς, ὅταν χειρουργῆται μὴ προσηκόντως. μόνος δ' ἂν ὁ τῶν σημείων ἔμπειρος εἰκότως ἐπιχειρέειν. περὶ δὲ τουτέων ἁπάντων ἐν ἑτέροις γεγραμμένον ἐστίν.

HIs consequens est vulnerum in militia acceptorum chirurgia, de telis è corpore extrahendis. In vrbanis quidem conuersationibus exiguus & rarus est horum vsus. Rarò enim per omne tempus ciuilia & hostilia bella contingunt. Sæpissimè autem & frequentissimè circa externas militias hæc solent euenire. Qui ergo chirurgia vti volet, in militiam concedere oportet, & sequi externa bella. Sic enim ad eiusmodi

necessitatẽ vsum sibi comparabit. Quod verò circa hæc magis artificiosum esse videatur, dicere conuenit. Signa enim in promptu habere telorum infixorum, artis maxima pars est, & chirurgiæ quæ circa hæc versatur. Vbi enim hoc cognitum fuerit, nullus erit dubitandi locus, vtrum vulneratus rectè necne curetur. Solus autem signorum peritus, curationem rectè aggredietur. Sed de his omnibus in aliis libris dictum est.

CHirurgiæ partem telis extrahendis dicatam tyroni Chirurgo necessariam putat, ideóque consulit vt militet Chirurgus & bella sequatur, si velit vulnerum à telis inflictorum cognitionem assequi, & curationem aggredi. Chirurgo autem in vrbibus degenti non ita necessaria videtur hæc Chirurgia, quæ versatur circa telorum extractionem, quia raræ sunt in vrbibus ciuiles seditiones, aut obsidiones hostiles. Cognitio autem vulnerum eiusmodi imprimis artificiosa est, Comparatúrque frequenti inspectione. considerandæ sunt autem telorum differentiæ, obseruandæ & explorandæ diligenter partes & sedes in quas illa penetrarunt, ex his enim duobus, difficultates curationis & extractionis dependent. Telorum differentiæ sumuntur à materia, quatenus sunt lignea, ferrea, ærea cornea, ossea, vitrea; à figura, quatenus sunt rotunda, triangula, trisulca, cuspides habentia in

anteriora, vel in posteriora spectantes.; à magnitudine, quatenus sunt magna, parua, mediocria; a numero, alia sunt simplicia, alia composita, tenuia enim ferramenta ipsis imponuntur, quæ in teli extractione in imo delitescunt. Ab habitu, quatenus alia ferrum acutum ligno habent insitum, alia concauum, & quædam firmiter ligno infixa sunt, quædam negligentiùs, vt in extractione separata intus remaneant. Viribus denique tela differunt, quatenus quædam veneno sunt oblita, quædam verò non. Partium verò vulneratarum agnitio non est difficilis, vt quæ ex accidentium & symptomatum proprietate, excrementis & situ facilè possit inueniri. Vbi telorum differentiæ, partesque vulneratæ fuerint cognitæ, facile fuerit de curatione statuere, & vtrum telorum extractio fieri debeat κατ' ἐφελκυσμὸν ἢ κατ' διωσμὸν, euusione aut propulsione, id est vtrum extrahi debeat telum, ab ea parte, qua venit, aut ab ea in quam tendit. Periculum etiam prædici potest, & difficilis curatio prænunciari, aut promptior promitti. Itaque signorum peritus curationem rectè aggreditur, & calumniæ occasione idiotis nunquam præbet. Sed hæc tyroni Chirurgo non conueniunt, cuius institutionem rudem proponit hoc libro. his ergo dilatis, synceram veramque Chirurgiam ab Hippocrate veritatis Philosophicæ & Medicinæ parente iam discere incipiamus.



IN LIBRVM HIPPOCRATIS ΠΕΡῚ Ε῾ΛΚΩΝ,

PRÆFATIO.



Hirurgiam vetustissimam Medicinæ partem Hippocrates Cous vir arte & facundia insignis, parens omnis Medicinæ plurimum excoluit & exornauit. Cum enim Chirurgia tunc vulnerum, vlcerumque, ossium etiam luxatorum, fractorumque curationes sibi vendicaret, horum omnium curandorum methodum breuem & exactam proposuit, plurimisque voluminibus comprehendit. Hocque libello vulnerum, vlcerumque curationem artificiosa methodo complectitur. Hippocrates autem, vt ait Galenus septimo libro Therapenticæ methodi, salutarium præceptorum semina tantum præbet, quæ postulant non malos agricolas, qui ea tùm semineat commodè, tùm augeant & perficiant. Itaque si quis ex Hippocratis lectione velit fructum consequi, eius mentem altius exploret. Nam vt ait Seneca, leuium metallorum fructus in summo est, illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assiduè plenius responsura fodienti. Aquam etiam maris in imo dulciorem aiunt, quàm in summo, Itaque ad imum descendat, si quis Hippocratem velit intueri. Hic au-[illegible] liber Hippocratis legitimus est, quod ex

& τάξεως elegantia, necnon ex rerum grauitate & veritate colligere licet, imprimisque ex authoritate Galeni, qui plurimis in locis, & potissimum libro quarto Therapenticæ methodi, sententias multas ex hoc libello depromptas affert. libro etiam tertio de fracturis commentario in sententiam 3. ea quæ scire oportet illum, qui rectè vulnera curaturus sit, abundè in expositione libelli de vulneribus se proposuisse testatur. meminit etiam expositionis in libellum περὶ ἑλκῶν libro quarto de articulis commentario in sententiam 23. Inscribitur autem hic liber περὶ ἑλκῶν, de vulneribus aut vlceribus. Nam ἕλκος apud Hippocratem & vulnus & vlcus significat. & ἕλκος dicitur ἡ συνεχείας λύσις κατὰ τὰ σαρκώδη πάντα, vnitatis solutio in parte carnosa. Latiùs tamen patet aliquando nomen ἕλκεος, vt commentario tertio de fracturis, sententia 34. cum ait Hippocrates πάντα τὰ νοσήματα ἕλκεα εἶναι, omnes morbos esse vlcera. Apud latinos aliquando distinguuntur vlcus & vulnus. Nam vlcus dicitur solutio continui in parte carnosa fœda & impura, sæpius à causa interna excitata. Vulnus verò siue plaga est solutio continui in carne, à causa externa & euidente orta. Hoc autem libello pleniore notione nomen ἕλκεος comprehendit solutionem continui in carne, quam causa interna siue externa excitauit.



ΙΠΠΟΚΡΑ΄ΤΟΥΣ ΠΕΡΙ ἑλκῶν.

Hippocratis de vulneribus.

ΕΛ'κεα ξύμπαντα οὐ χρὴ τέγγειν, πλὴν οἴνῳ, ἢν μὴ ἐν ἄρθρῳ εἴη τὸ ἕλκος, τὸ γὰρ ξηρὸν τοῦ ὑγιέος ἐγγυτέρω ἐστὶ, καὶ τὸ ὑγρὸν τοῦ μὴ ὑγιέος, τὸ γὰρ ἕλκος ὑγρὸν ἐστὶ, τὸ δὲ ὑγιὲς, ξηρόν.

VVlnera vniuersa madefacere non oportet, nisi vino, si modo in articulis non sit vulnus. Nam siccum sano propius est, humidum non sano, vulnus enim humidum est, sanum verò siccum.

OPtima medendi methodus primùm de simplicibus seorsum præcepta tradit, tum demum de compositis. Sic Hippocrates primùm proponit vulneris simplicis & solius curationem. Est autem vulnus aliud simplex & solum, aliud verò compositum. Simplex & solum vulnus est sola continui solutio, siue ea summæ

est cuticulæ, quam ἐπιδερμίδα vocant, siue cutis totius, siue etiam pariter subiectæ carnis, quæ nullum habet alium affectum adiunctum, neque enim particula vulnerata fluxione vexatur, aut malo succo abundat, aut intemperie laborat, nec vlla adest cauitas, nullá've cutis amissio. Vulnus autem compositum, est quod aut causam adiunctam habet, aut alium affectum, aut aliquod symptoma. Vulneris ergo quâ vulnus est, curatio, mediocris siccatio est, & vulnus quatenus vulnus ex siccationem requirit. Cuius præcepti rationem reddit Hippocrates, quòd siccum ad sanum propius accedit, humidum ad non sanum & morbosum, & vulnus quatenus vulnus humido excremento abundat, integra verò & sana caro, non humida sed sicca tangentibus apparet. vt ergo vulnus sanetur & siccetur, madefacere non oportet, nisi vino. Vinum enim vulneris quâ vulnus est, optimum est medicamentum. omne profectò vulnus tum siccari debet, tum astringi, Galeno tertio libro Therapeut. methodi, cap. 4. vinum autem nigrum & austerum, quod hîc intelligit Hippocrates, tum per se, tum ex accidenti desiccat, habet enim vim & naturam desiccandi per se, & dum astringit, humores qui iam recepti sunt, repellit, & eos qui influunt, coercet, sicque vulnus siccius redditur. Præterea cùm simplex vulnus postulet agglutinari, optimum κολλητικὸν est vinum. Cùm enim sit austerum & astringens, coniungit & vnit diuisas partes, vt in pristinam vnitatem reducantur. Vinum tamen tenuium partium, quale est album, flauum aut ruffum, inutiliter adhi-

betur, ait Galenus tertio libro de fracturis commentario in sententiam 21. vino ergò nigro & austero vulnera quælibet madefacere oportet. Ex hoc loco fallax empiricorum quorumdam curatio refelli potest, qui linteis aqua frigida madefactis vulnera curant. Cuius opinionis vetustissimus author est Cornelius Celsus, qui libro quinto, cùm agit de glutinatione vulnerum, sic scribit, Leuis plaga iuuatur, si ex aqua frigida expressa spongia imponitur, licetque sine peregrinis, conquisitis & compositis medicamentis vulnus curare. verùm cum frigidum sit vulneribus mordax, cumque vulnus siccari postulet, necesse est aquæ frigidæ vsum vulneribus esse alienum & inimicum. Itaque rectè præcipit Galenus 2. capite libri quarti therapenticæ methodi, vt aqua nullatenus vulneribus adhibeatur, imo si lauandum vulnus videatur, vinum, aut posca, aut decoctum austeræ cuiusdam herbæ præparandum. Nec minus ridiculum recentiorum empiricorum remedium, qui ex astacorum fluuiatilium puluere cum aliis quibusdam simplicibus decoctum parant cum vino albo, aut aqua vitæ, eoque vulnera quæuis sine temporum obseruatione, sine corporum distinctione abluunt, eoque solo remedio sanare se posse affirmant, vt vno collyrio omnes oculos, sed illi κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐνὶ καλόποδι πάντας ὑποδέουσι. Si quis autem obijciat contra hanc Hippocratis sententiam, vulnera & vlcera aliquando aqua calida aut tepida humectari, vt etiam præcipit Galenus libro quarto Therapenticæ methodi capite 2. In vlceribus, inquit, si carnis intemperies squallens, sic-

caque videtur, aqua temperata fouens, humectansque corriges. hîc vulneris simplicis curationem proponit Hippocrates, Galenus verò intemperiei correctionem tradit, quæ tamen vulneris ipsius curationem præcedere debet, neque enim vulnus agglutinari potest, nisi subiecta caro naturale temperamentum habeat. Adiungit author, vulnera quæ sunt in arriculis non solo vino esse humectanda. per articulum intelligit aliquando Hippocrates id ex ossibus quæ inter se committuntur, quod in cauo recipitur, id est ossis caput, vt docet Galenus commentario in sententiam 52. lib. 3. de fracturis, & commentario in sententiam 1. lib. 1. de articulis, vel vt ait libello de ossibus, ἄρθρον ab Hippocrate frequenter nuncupatur alterius cohærentium ossium finis rotundus, in ossis propinqui cauitatem insertus. hoc tamen loco nomen ἄρθρου vel articuli pro naturali ossium syntaxi sumitur. Cur autem vulnus quod est in articulis solo vino non madefaciat, docet Galenus commentario in sententiam 20. 21. 22. 23. & 24. libri quarti de articulis. Hippocrates enim vulneribus articulorum admouet ceratum tepidum quod picem habeat, cum paucis pannis ex vino madentibus, non valde frigidis, folia etiam betæ vel tussilaginis, vel cuiuspiam alterius talis in vino nigro austero semicocta imponit vulneri & vicinis partibus. Quòd si hybernum tempus fuerit, lanam quoque succidam madentē ex vino atque oleo tepido superponit, & perfusione desuper vtitur. Hæc autē omnia non adhibet vulneri vt vulnus est, sed quatenus neruorum distentionē

timet, quam in neruosis partibus dolor & frigus afferre solent. & neruosæ partes si neque refrigeratione, neque dolore tententur, neruorum distentione præhendi minimè possunt, ait Galenus ibidem. Quàm inimicum sit neruorum vulneribus frigidum, docet idem Galenus initio lib.3. κατὰ γένη, exemplumque affert cuiusdam vulnerati, qui cùm diem quartam citra dolorem ageret, partemque affectam absque phlegmone videret, tempore frigidiore domo egressus ad opus quoddam necessarium, eique diu immoratus, domum rediit, membro vniuerso ad ceruicem vsque tenso, idque cum ingenti ipsius dolore, Galenus oleum ex itinere refrigeratum auferri iussit, & totum membrum oleo calente fouit, deinde ceruicis partem aduersam lanis oleo respersis, & medicamento liquido ex euphorbio simul cum castoreo, sicque omnia symptomata cessarunt. Hippocrates præterea sententia 15. lib. secundi de fracturis, vult in omnibus qui circa articulos sunt affectibus liberaliter aquam calidam esse perfundendam, & Galenus in commentario ait, quùm leniendus dolor est, tunc multa aqua calida locus perfundatur. quibus ex locis facile est cognoscere, cur vulnus quod est in articulis, vino solo madefacere non oporteat. Memineris etiam vulnera capitis cum fractura nulla re madefacere oportere, ne vino quidem. libro περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων.

Ἀνεπίδετον δὲ ἐᾶν ἄμεινόν ἐστιν, ὅτι γε μὴ καταπλάσσεται· οὐδὲ καταπλάσσειν ἐνδεχό-

μενόν ἐστιν ἔνια τῶν ἑλκέων, μᾶλλον δὲ τὰ νεότερα τῶν παλαιοτέρων, καὶ τὰ ἐν τοῖσιν ἄρθροισιν.

EXpedit fascia non deligare vulnus, quod cataplasma non recipit. Quædam enim vulnera cataplasma ferre non possunt, potiusque recentia, quàm vetustiora, eaque etiam quæ sunt in articulis.

IN vulneribus quibus cataplasma non admouetur, vinculi etiam vsum reiicit Hippocrates, cuius rei causa manifesta & perspicua erit, si cataplasmatis & vinculi vsum & effectum consideremus. Cataplasma enim medicamentum est molle & consistentia mediocre, quod varias vires & diuersos habet vsus. Sæpius enim ad relaxandum & leniendum dolorem aut pus mouendum adhibetur, parabatur veteribus ex farina triticea aqua & oleo, secundo libro ad Glauconem, & quarto libro therapenticæ methodi. Vinculum autem ea de causa adhibetur, vt continendo subseruiat curantibus præsidiis, aliud non propter hoc, sed vt ipsum per se agat, ait Galenus libro de fasciis. quod ab Hippocrate prius sic explicatum fuit, sententia quarta, commentarij secundi de officina medici. Vinculum aliud per se remedio est, aliud iis quæ remedio sunt, subseruit. Ex his sic colligere possumus. Cùm vulnus siccari & agglutinari debeat, cataplasma merito non recipit, quod humectandi & relaxan

relaxandi vim habet, cumque vinculum admoueri ſoleat, vt cataplaſma contineat, vbi cataplaſmati locus non datur, neque etiam vinculo & faſciis. In fine ſecundi libri de articulis docet Hippocrates cur vinculum & cataplaſma in fractura auris non conueniant. Vinculum, ait, inimicum eſt, quòd auris ſub vinculo aſtricta dolet, pulſu vexatur & inflammatione. Cataplaſma etiam alienum eſt, quoniam abſceſſum concitat, & muccos plurimos, ſuppurationemque infeſtam reddit. Quæ omnia etiam ſimplici & recenti vulneri rectè poſſunt accommodari. Cæterum nō omnibus vulneribus cataplaſma alienum dicit, ſed quibuſdam, vt recentibus & articulorum vulneribus. Recentibus quidem & ſimplicibus quia exſiccationem requirunt. Articulis autem quia cum ſicciores ſint partes, ſicciorem etiam curationē requirunt. vulnus etiam capitis cataplaſmate curari negat libro περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων, & aurem etiam vulneratam non poſſe ferre cataplaſma dicit Hippocrates libro ſecundo de articulis. Vulnera tamen vetuſtiora inflammatione nonnunquam tentantur, ideoque cataplaſmate ſunt nutrienda, ad dolorem ſedandum vel pus mouendum, hîcque per παλαιότερα poteſt intelligere ea quæ ad tertium vel quartum diem peruenerunt: in ſumma enim vulnera plerumque tertio & quarto die recrudeſcunt, ait Hippocrates 3. libro de fracturis, ſententia 33. vel ea vulnera quæ decimum diem attigerunt, ſic in curatione fracturarum minus cibi ſumendum eſſe dicit vſque ad decimū diem, circa finem libri primi de fracturis: vel potius ea

quæ ad ſeptimum diem peruenerunt, intra quod tempus vulnerati vt plurimum ſecuri eſſe ſolent ab inflammatione & febre. Vulnera etiam contuſa cataplaſma recipiunt, vt quàm celerrimè pus moueatur, vt paulo poſt docebit. Vulnera etiam frontis cataplaſmate indigent, vt videre licet ſententia 28. libri de vulneribus capitis.

Ὀλιγοσιτέειν τὲ ὡς μάλιστα, καὶ ὕδωρ ξυμφέρει πᾶσι τοῖσι ἕλκεσι, μᾶλλον δὲ τοῖσι νεωτέροισι τῶν παλαιοτέρων, καὶ ὅ,τι ἄλλο φλεγμαίνει ἕλκος, ἢ μέλλει. καὶ ὅτι σφακελίσαι κίνδυνος, καὶ τοῖσιν ἕλκεσι καὶ φλέγμασι τοῖσιν ἐν τοῖσιν ἄρθροισι, καὶ ὅκου σπασμὸς γενέσθαι κίνδυνος, καὶ τοῖσιν ἐν κοιλίῃ τρώμασι, πάντων δὲ μάλιστα τοῖσιν ἐν κεφαλῇ, καὶ μηρῷ κατεαγεῖσι, καὶ ἄλλῳ ᾧ κάτηξις γένηται.

Abſtinere a cibo quantum vires patiuntur, & aquam bibere, cunctis vulneribus prodeſt, magiſque recentioribus quàm vetuſtioribus, tumque cùm vulnus inflammatum eſt, aut inflammatio timetur, cumque periculum corruptionis imminet, vulneribus etiam & inflammationibus articulorum, & cùm metus inſtat conuulſionis, necnon vulneribus in ventre, maximè vero omnium fracturis in capite ac femore,

& cuicumque alteri parti fractura contigerit.

Vlnus nullum madefacere oportet, sed potius exsiccare, cum siccum sano vicinius sit. Itaque cùm humores corporis vulnus humectent, vniuersum corpus abstinentia & inedia est desiccandum, ne copia succorum ad locum affectum transmissa, vulnus reddat humidius, eoque nomine glutinationem impediat. Vulnerata pars non solum remediis admotis est desiccanda, sed medicamentis etiam aluum ducentibus materia, quæ ad locum affectum concurrit, est exhaurienda, sed quia frequentibus medicamentorum potionibus ægri vires conuelluntur, & ex imbecillitate summum periculum est, tutius est abstinentia materiam superantem minuere, quæ naturaliter digeritur, vbi nihil noui alimenti accedit. Itaque optimum medicamentum est, cibus oportunè datus, sicque vulneratus abstinendus à cibo primis diebus est. nihil autem horum vtique perpetuum est. Refert enim qualis morbus sit, quale corpus, quale cœlum, quæ ætas, quod tempus anni, miniméque in rebus multũ inter se differentibus quod intermittendum non est, perpetuum esse præceptum temporis potest. In morbo qui plus virium aufert, celeriùs cibus dandus est, itemque ex eo cœlo, quo magis digerit: ob quam causam in Africa nullo die æger abstineri recte videtur: maturiùs etiam puero, quam iuueni: æstate quam hyeme dari debet. Vnum illud est, semper quod vbique seruandum est, vt ægri vires subinde as-

sidens medicus inspiciat, & quandiu supererunt, abstinentia pugnet, si imbecillitatem vereri cœperit, cibo subueniat. id enim eius officium est, vt ægrum neque superuacua materia oneret, neque imbecillitatem fame prodat. ait Celsus libri tertij capite quarto. Multi etiam ex profluuio sanguinis intermorientes, ante vllam curationem, vino reficiendi sunt, quod alioqui inimicissimum vulneri est, idem Celsus libro quinto. Recenset hîc Hippocrates, quibus in vulneribus conueniens sit tenuis & exquisitus victus, cæteras vero circumstantias iudicio medici relinquit. Triplex autem victus ratio vulneribus & fracturis ab Hippocrate præscribitur circa finem primi libri commentariorum de fracturis, vna est accurata, exquisita siue tenuis quam σκεθρὰν καὶ ἀκριβῆ vocat, altera est vulgaris simplex & quælibet, quam φαύλην καὶ ἁπλῆν καὶ ἐπιτυχοῦσαν nominat. Tertia est subuulgaris, mediocris inter simplicem & exquisitam media, quæ Hippocrati ὑποφαύλη dicitur, Galenus μετρίαν exponit. Exquisitam victus rationem imperat ijs, quibus præter ossis fracturam, carnis quoque vulnus accessit. Simplicem ijs, qui omnino periculo vacant, mediam victus rationẽ indicit ijs qui medij sunt inter eos qui periculo vacãt, & eos qui periclitantur: Exquisita victus ratio est cũ solo ptissanæ cremore & mulsa viuit æger. Victus simplex & vulgaris est cũ æger carnẽ edit, & vinũ potat. Victus inter vtrumque medius est, cum æger assumit opsonia mollia, quæcũque modice aluum deijciunt, ptissanam videlicet, betam, maluam, atriplicem, siue blitum, cucurbitam, & pisces te-

neros. ex ſententia Hippocratis & Galeni circa finem cōmentarij primi de fracturis. Paucus itaque cibus & aquæ potio vulneribus cūctis maximè prodeſt, & ex ſententia authoris libri περὶ παθῶν, oportet τοὺς τρωματίας λιμοκτονέειν, vulneratos fame macerare. Victus autem iſte tenuis & exquiſitus quamuis vulneribus omnibus plurimum conferat, magis tamen quibuſdam conuenit, quæ deinceps diſtinguit. vulnera recentia paucitatem cibi & aquæ potionem magis requirunt, non ſolùm vt magnæ corporis mutationi, magna etiam obiiciatur victus mutatio, ſed potius vt exhauriatur ſuccorum in corpore redundantium copia, quæ ad affectum locum facilè tranſmittitur, ibique dolorem, inflammationem, aliaque ſymptomata excitat. Vetuſtiora & diuturna vulnera vel vlcera non æquè ferunt victum illum tenuem & exquiſitum, ſed cum vires morbi diuturnitate vel deiectæ ſunt, vel imbecilliores redditæ, paulo pleniore victu ſunt reficiendæ, cumque cauitas tandem ſit implenda, plus cibi concedendum eſt, vt augeatur ſanguis, qui carni materiam ſubminiſtrat. Cùm vero ſanguinis copia inflammationem parere ſoleat, æquum eſt ſanguinem abſtinentia minuere, ſicque præſens inflammatio vulneris tollitur, & futura præcauetur, cumque magnas inflammationes ſequatur corruptio partis, ſiue gangræna ſit, ſiue ſphacelus, eius etiam periculum euitatur. Verbum autem σφακελίσαι, quo hîc vtitur, ſignificat integram ſubſtantiæ partis corruptionem, quæ in carnoſis partibus gangrena, in oſſibus proprie σφάκελος dicitur, quod vitium

ossibus accidit, vbi a superiecta carne perniciosa sanies profluit, quæ hæc ipsa irrigando corrumpit, commentario in sententiam 20. libri secundi de fracturis. Vulneribus etiam & inflammationibus articulorum conuenit abstinentia & aquæ potio, quia victus tenuis & exquisitus ijs qui in periculo sunt est imperandus, vt antea diximus, in vulneribus enim & inflammationibus articulorum metus est conuulsionis, quod est symptoma terroris & periculi plenum. Hippocrates autem hoc loco inflãmationes φλέγματα vocat. φλέγμα enim non solum humorem album & frigidum significat, sed etiam φλόγωσιν & φλεγμασίαν, ardorem & inflammationem, Galeno commentario in prognosticum 66. libri secundi, & aliquando etiam φλέγμα humorem calidum & retorridum indicat, vt libro περὶ φύσιος παιδίου Vulneribus etiam ventris, id est pectoris & abdominis idoneus est victus tenuis & exiguus, metu inflammationis, cui partes illæ vulneratæ, sunt oportunæ. Vulnus etiam ventris graue, magnumque censetur, ob læsæ partis præstantiam. Ventrem vero non solum superiorem intelligere oportet, sed etiam inferiorem. Diuiso namque quod inter collum & crura est trunco in duas capacitates maximas, prior sub thorace, secunda sub peritonæo continetur. Et sane vulnus quod intra thoracem, intraue peritonæum penetrauit, non paruum periculum affert, præsertim si quid interiorum vna sit vulneratum, ait Galenus sexto capite libri quarti therapenticæ methodi. In fractura capitis & femoris, imprimis abstinentiam imperat, quod eiusmodi mor-

bus grauis, periculosus & acutus esse soleat, fractura enim capitis conuulsionem, apoplexiam, febrem, inflammationem, delirium, mortem denique afferre solet. Vbi autem morbus peracutus est, sæuaque symptomata & periculosa superueniunt, tunc exquisitissimo victu est vtendum, aphorismo septimo libri primi. femoris etiam fractura periculosissima esse solet, quod eius ossa grandia sint & medullosa, & quòd multa ac magna simul lacerentur, nempe nerui, musculi, venæ, arteriæ, & non aliter vulnus femoris fracti curandum est, quàm caluariæ ossa vbi comminuuntur, nihil frigidum imponendum, a cibo penitus abstinendum. ait Hippocrates sententia 47. & 48. libri tertij de fracturis.

Ἑστάναι δὲ ἐν τῷ ἕλκει ἥκιστα ξυμφέρει, καὶ μᾶλλον ἢν ἐν τῷ σκέλει ἔχῃ τὸ ἕλκος, ἀλλ᾽ οὐδὲ καθῆσθαι, οὐδὲ πορεύεσθαι. ἡσυχίη δὲ καὶ ἀτρεμίη ξυμφέρει μάλιστα.

STare verò in vulnere nequaquam confert, præsertimque si in femore sit vulnus, sed neque sedere, nec ambulare. Quies autem & otium plurimùm conducit.

CElsus hunc locum Hippocratis sic vertit libri quinti capite de curationibus articulorum. Optimum medicamentum vulneratis est quies, moueri & ambulare, nisi sanis, alienum

est. minus tamen his est periculosum, qui in capite vel brachiis, quàm qui in inferioribus partibus vulnerati sunt, minimeque ambulatio conuenit, fœmore, aut crure, aut pede laborante. Motus oras vulneris agitans & dimouẽs agglutinationẽ impedit, vulneratus itaque nec ambulare, nec stare, nec sedere debet, sed summa quiete opus est, vt vulnus glutinetur, agitatum enim dissoluitur perinde ac gluten quo ligna cohærẽt, ac perinde vt coactũ lac. Sed stantes & sedentes non videntur moueri! Docet Galenus libro de tremore, multa eundem locum occupãtia quiescere videri, quæ tamen continuè mouentur, idque confirmat exemplo auium, quæ non modo sursum versus, deorsúmve volantes, sed eundem etiam locum non mutantes, tamen mouentur, illaque immobilitas apparens, est ex duobus motibus mista motio, qui corpus in contraria loca trahere possunt, quorum si vnum auferas, ab altero corripi corpus illico conspicies, asseritque ibidem Galenus, τῶ περιπατεῖν οὐδὲν ἧττον τὸ ἑστάναι κοπῶδες, ὡς ἂν καὶ αὐτὸ κίνησις ὄν. Stare non minus esse laboriosum, quàm ambulare, cum & illud motus sit, ob tensionem musculorum qui corpus regunt & erigunt. Cùm vulnus in femore, crure, aut pede fuerit, tunc præsertim stare non conuenit, quoniam cùm hæ partes onus totius corporis ferant, sintque decliues, in eas humorum decubitus facilis est. Sic Hippocrates secundo libro de fracturis sententia 11. Iacere vult eum qui fractura pedis laborat, & sententia vt eiusdem libri, fracto crure nequit homo excitari, quare de curuando crure aut surgendo

nullum verbum facit, sed extentus quiescit & cubat. ἡσυχίη καὶ ἀτρεμίη non idem significant. Hippocrates enim diligens admodum fuit in vocabulis, & apud eum, vnumquodque vocabulum, & syllaba omnis, rem aliquam significat, ait Galenus libro de comate. ἡσυχία autem quies est, quam opponit dispositioni stantium, sedentium & ambulantium, ἀτρεμία vero summa est quies, quam opponit dispositioni cubantium, qui vel minimum mouentur vel locum mutant, & ἀτρεμία est ἡσυχία χωρὶς σεισμοῦ, quies sine agitatione aut commotione vlla. Celsus libro sexto hunc locum expressit, dum ait, longa quiete & immobili penè corpore opus est. Vnde Hippocrates vltima sententia commentarij quarti de officina medici, ἐρμάσματα καὶ στηρίγματα, fulcimenta & firmamenta partibus adhibet, vt motu minime concutiantur aut agitentur. membrum enim vulneratum aut fractum sæpe loco motum, coire vix potest.

Τὰ δὲ νεότρωτα ἕλκεα πάντα ἥκιστα ἂν φλεγμήναιεν αὐτά τε καὶ τὰ περιέχοντα, ἔιτις διαπυήσει ὡς τάχιστα. καὶ τὸ πύον μη απολαμβανόμενον ἀπὸ τοῦ στόματος ἴσχοιτο. ἢ ἔτις ἀποτρέποι ὅκως μὴ δὲ μελλήσει διαπυῆσαι, πλὴν τοῦ ἀναγκαίου πύου ὀλιγίστου, ἀλλὰ ξηρὸν ἔιναι ὡς μάλιστα φαρμάκῳ μὴ περιστελλέϊ. πυρῶδες γὰρ γίνεται, ἐπὴν φρίκη ἐγγένηται, καὶ σφυγμὸς, φλεγμαίνει γὰρ ἕλκεα τότε, ὁκόταν διαπυῆσαι μέλλη. διαπυεῖ δὲ, ἀλλοιουμένου τοῦ

αἵματος, καὶ τερμανθέντος, ἕως σαπὲν πύον γένηται τῶν τοιούτων ἑλκέων. ὅταν δὲ ἑλκέος δέηται καταπλάσιος, οὐ χρὴ αὐτὸ τὸ ἕλκος καταπλάσσειν, ἀλλὰ τὰ περιέχοντα, ὅκως τὸ πύον ἀποχωρέειν, καὶ τὰ σκληρυνόμενα μαλαχθῇ.

Recentia vero vulnera, parteſque circumpoſitæ minimum inflammabuntur, ſi quis celerrimè pus moueat, púſque vulneris oris receptum non retineatur, aut ſi quis prohibeat ne ſuppuret, niſi exiguum admodum pus quod neceſſarium ſit. Sed quam maximè ſiccum ſit medicamento non mordente aut irritante. Igneum enim euadit, vbi horror & pulſus acceſſerit. Inflammantur enim vulnera tunc cùm ad ſuppurationem tendunt. Suppurant autem alienato ſanguine & calefacto, donec putreſcens eiuſmodi vulnerũ pus fiat. Cum cataplaſmatis vſus neceſſarius videbitur, non ipſum vulnus oportet cataplaſmate nutrire, ſed vicinas partes, vt pus effluat, & dura emolliantur.

Simplex vulnus deſiccari poſtulat vt glutinetur, compoſitum autem eiuſmodi eſt contuſum, admiſtam habere ſolet inflammationem, quæ glutinari vulnus prohibet. itaque inflam-

mationi prius medendum, deinde vulneri curando incumbendum, fieri enim non poteſt, vt vulnus ſanetur, niſi locus in quo conſiſtat, prius ſit ſanatus. Vulnera vero & circumpoſita loca minus inflammationi erunt oportuna. Si pus quàm celerrime moueatur. Indicat autem hos vulneratarum partium affectus non eſſe ſiccandos, in quibus gigni pus quam celerrimè cupimus, ſed potius humectandos & calefaciendos. Ideoque ea cataplaſmata quæ ex hordei farina componuntur, ceu quæ calefaciant, humectentque, omnibus ijs affectibus, quibus moueri pus expedit admouemus. hordei namque farina ex aqua & oleo, itemque panis ex aqua & oleo, præterea fomentum multæ aquæ calidæ, & tetrapharmaci vis, omnia denique quæ calefaciũt & humectant, celerrime pus mouent. Ideoque his partibus quæ phlegmone infeſtantur, vbi vehementius iam pulſitant, ſic vt iam deſperetur de horum citra pus curatione, veteres omnes eiuſmodi applicant medicamenta, ait Galenus libro quarto therapenticæ methodi capite quinto. Puri autem exitum eſſe dandum admonet, retentum enim & circa oras vulneris ſuppreſſum inflammationem auget, vulnuſque ſordidum reddit, & vicinas partes corrumpit. Minus etiam inflammantur vulnera, parteſque vicinæ, ſi quis prohibeat ſuppurationem admoueatque medicamenta deſiccantia, non mordacia acria aut irritantia, qualia proponit ſententia 22. huius libri, & certè ipſius phlegmones vera remedia ſicciorum ſunt virium, ait Galenus libro quarto therapenticæ methodi, idque probat authorita-

te Hippocratis, qui hoc libro cataplaſmata inflammationis proponit, quæ ſiccandi vim habent, & compendiaria obſeſſarum phlegmone partium curatio fit, per ea præſidia quæ affectum prorſus ſummouent, vel ſi quid exiguum quod ſuppuret, reliquerint alterũ medicamentum acre, quod pus educere queat, requiritur, vel ſi tenuis circumpoſita cutis ſit, veliſque celerius explicatum ægrum, ſectio neceſſaria eſt, ait ibidem Galenus. Quamuis autem notabile pus in ſuppurante particula ſit contentum, non expedit, quod nonnulli faciunt, protinus incidere, imò exhalationem moliri medicamentis ad id valentibus, ſin aliquando puris copia medicamenta ſuperet, nec ea videantur tibi totum digerere poſſe, ſecare exitum ei, quod digeſtioni non ceſſit, eo potiſſimum loco oportet, quo eſt editiſſimum, quippe tenuiſſimam etiam illic inuenies cutim. libro 13. therapenticæ methodi. Vidius autem male vertit, φαρμάκῳ μὴ περισκελεῖ, medicamentis quæ vinculum non poſtulant, nec videtur legiſſe explicationem Galeni ſecundo libro ad Glauconem, qui de herpetum curatione diſputans, ſic tandem concludit, hoc porro in ſumma, in omni vlcere cognoſcendum eſt, ſiue id ſponte, ſiue ex caſu, ſiue ex vulnere accidat, nimirum, ὡς ξηραίνεσθαι μὲν ἀεὶ βούλεται φαρμάκῳ, ὡς Ἱπποκράτης φησὶ, μὴ περισκελεῖ, τουτέστι, μὴ δάκνοντι, μηδ' ἐρεθίζοντι σφοδρῶς, quòd ſemper exſiccari deſiderat, medicamento, vt inquit Hippocrates, non aſpero, hoc eſt, neque irritante vehementer, niſi malignum ac putre ſit. Nam id genus vlcera acerrima medicamenta efflagitant, & quæ

igni vires proximas habeant. Quale est mysi, chalcitis, arsenicum, calx & sandaracha, ignis enim modo deurunt, quæ si malo cedunt, ipso igne vtendum est. quo ex loco apparet manifestissime quid sit φαρμακον σηπτικόν. inde etiam perspicuum est, medicamenta eiusmodi partibus phlegmone tentatis, non esse admouenda, quoniam vt ait Galenus libro 13. therapenticæ methodi capite quinto. Quùm phlegmonodes quicquam in membro restat, acria medicamenta magis irritant, quam digerant. Si quando ergo ægram partem medicamenti acrimonia irritatam videris, ita vt tumentior aut rubicundior sit, aut magis doleat, mitigabis eam interea fomento quod per spongiam administrabis, id autem aliquando ex aqua dulci esto, aliquando etiam cum sale, vbi scilicet schirrosiores phlegmonæ fuerint. Pus autem euadit πυρῶδες & igneum, cum incalescit sanguis, alienatur, & putrescit. φρίκη siue horror, est remissus rigor, media quædam affectio inter rigorem & frigus. Rigor autem motus est voluntarius deprauatus, frequens, velox, & coactus, quo inuiti distenduntur & curuantur, à materia acri, & pungente excitatus, quæ si sit copiosa, mordax & vehementius mota rigorem inducit, si qualitate, copia & motu sit moderata, horrorem gignit.

Non omnis rigor febrilis est, vt nec horror, sed vt ait Galenus capite 7. Libri de trimore rigore & palpitatione, pharmacum acre & calidum vlceribus ad actum primo dolorem, mox horrorem, demum rigorem infert. inflammationi etiam dum in abscessum vertitur, rigorem

& horrorem hîc intelligi Hippocrates, non autem illum qui fit ob febrem. Σφυγμός: siue pulsatio est molestus quidam sensus, & cum dolore ex arteriarum motione factus. In conuersione sanguinis in pùs, fit pulsus carne arterijs incubante ipsarum motum non ferente, sed dolente quam ipsæ inter dilatandum vehementius impelluntur & feriunt. hanc arteriarum pulsationem sani non sentiunt, tum propter earum viciniam dolore vacantem, tum propter latius & amplius spatium in quo mouentur. Hinç dolor σφυγμώδης siue σφυγματώδης, id est pulsatorius, propriè ad arterias pertinet, quæ solæ pulsant in homine bene valente citra dolorem, vbi autem oborta est vehemens inflammatio, aut affectus aliquis phlegmonodes, aut erysipelas aut abscessus, cum dolore. Inflammantur autem vulnera cùm tendunt ad suppurationem quia sanguis putrescens incalescit feruet & exuritur, in ebullitione & feruore sanguinis eleuantur vapores calidi, qui vicinas partes calefaciunt, & ita generant inflammationem, & tandem per consensum accenso & inflammato corde febris excitatur, vnde aphorism. 47. libri 2. Dum pus fit, dolores & febres accidunt magis quàm confecto. Puris generationem fieri dicit, ex sanguine alienato, supercalefacto donec putrescens vertatur in pus, Galenus commentario in aphorismum prædictum, Pus dicit fieri ex sanguine conuerso in ἡμιμόχθηρον μεταβολὴν; in semiuitiosam mutationem. Tres autem mutationes siue ἀλλοιώσεις in animalium corpore fiunt, vna planè secũdum naturã est, cum videlicet cibus in ven-

triculo coquitur, altera planè præter naturam, vt putredo, tertia ex vtraque mista & media est, vt suppuratio. Prima mutatio fit ex familiari animantis materia & ab ingenito calore, secunda fit ab externo calore, & materia omnino aliena, tertia perficitur ab ingenito calore, sed non plane vincente, nec solo, neque in materia prorsus benigna, neque tamen omnino aliena, ex capite sexto libri quinti de simplicium medicamentorum facultatibus. Cum autem vulneribus adhibendum est cataplasma, non est oris plagæ imponendum, ne puris exitum prohibeat vt ab imperitis Chirurgis fieri solet, sed partibus proximis & vicinis admouendum est. Hoc autem præceptum quoniam Chirurgis imprimis est obseruandum, idcirco repetet etiam postea, sententia 19. huius libri.

Τῶν δὲ ἑλκέων ὅσα μὲν ἂν ὀξέϊ βέλει διατμηθῇ ἢ διακοπῇ, ἐνδέχεται καὶ ἔναιμον φάρμακον, τὸ κωλῦον διαπυεῖν καὶ ἀναξηραῖνον. εἴ τις δὲ ὑπὸ τοῦ βέλεος ἐφλάσθη καὶ ἐκόπη σὰρξ, ταύτην δὲ ἰητρεύειν, ὅκως διάπυος ὡς τάχιστα γένηται. ἧσσον τε γὰρ φλεγμαίνει, καὶ ἀνάγκη τὰς σάρκας τὰς φλασθείσας καὶ κοπείσας, σαπείσας καὶ πύον γενομένας ἐκτακῆναι. ἔπειτα βλαστάνειν νέας σάρκας.

Quodcumque vulnus telo diuisum aut præcisum fuerit, medicamentum enæmon admittit prohibens sup-

purationem & ſiccans. Sin caro aliqua telo contuſa & præciſa fuerit, huic ita medendum eſt, vt quam celerrimè ſuppuret. Minus enim inflammatione tentabitur, & neceſſe eſt carnes contuſas & & præciſas, putrefactas & in pus verſas tabeſcere, & poſtea nouã carnem naſci.

HÆc ſententia aperte nos docet Hippocrates omnia vulnera ſiccanda eſſe, præterea quæ ſunt contuſa, in quibus pus quàm celerrimè mouere oportet. Vulnus autem ſimplex à telo acuto fieri dicit. Tela enim acuta, oblonga, admodum tenuia, leuia, carnem incidunt magis quàm contundunt. Tela vero obtuſa, plana, dura, grauia carnem contundunt maturant & lacerant; ait Hippocrates libro περὶ τρωμάτων. Medici autem pharmacum ἔναιμον vocant medicamentum quod imponitur, vulneribus vt primum illata ſunt. & nondum plane ſicca, ſed adhuc cruenta; hoc eſt, cùm αἷμα ex cute ipſa vulnerata, ſeu etiam ex carne roris modo deſtillat, ait Galenus commentario in ſententiam tertiam libri tertij de fracturis. quidam etiam κολλητικὸν & τραυματικὸν nominant. Hæc autem medicamenta ἔναιμα vim habent deſiccãda & aſtringendi. ἔργον δ᾽ αὐτῶν ἐστι συμφῦσαι τε καὶ κολλῆσαι τὰς διηρημένας σάρκας, ὡς εἰς τὴν ἀρχαίαν ἕνωσιν ἀχθῆναι τὸ μόριον. id eſt, opus eorum eſt, coniungere diuiſas carnes & conglutinare, vt in priſtinam vnitatem reducatur particula ſcribit Galenus circa finem. 2. κατὰ γένη. Medicamenti enæmi

acuto

exemplum proponet Hippocrates ſententia 33. huius libri. vt autem vulnus ſimplex ſiue a telo acuto diuiſum ſiue præciſum ſit, medicamenta enæma requirit, glutinantia ſiccantia & ſuppurationem prohibentia, ſic vulnus contuſum exigit pharmacum διαπυητικὸν & ſuppurans, quod calore & humore temperatum eſſe debet, & præterea emplaſticum & poros obſtruens. Cum autem ea quæ puri mouendo conueniant, proxime ad caloris noſtri ſubſtantiam accedant, eumque augere debeant, hinc fit vt in mouendo pure, humor quidem alteretur, & ſi quæ caro contuſa ſit & detrita, alia vero omnia, quæ ſecundum naturam ſunt, ſubſtantiam ſuam conſeruant. De emplaſtris enęmis ſic ſcribit Celſus libri quinti capite decimo nono ex emplaſtris nulla maiorem vſum præſtant, quàm quæ cruentis protinus vulneribus inijciuntur, ἔναιμα græci vocant. hæc enim reprimunt inflammationem, niſi magna vis eam cogit, atque illius quoque impetum minuunt, tum glutinant vulnera, quæ id patiuntur, cicatricem iiſdem inducunt, conſtant autem ex medicamentis non pinguibus. Sententiā autē de carne contuſa & præciſa ſuppurāda bis repetit libro περὶ τρωμάτων, primùm loquens de telis obtuſis & grauibus quæ carnem cōtundunt & lacerant, ſic ait, ἀνάγκη τὰς σάρκας τὰς φλασθείσας καὶ κοπείσας πύον γενομένας ἐκτακῆναι. & paulo poſt, cum docet, carnem humidam & ſanie madentem calamitatem oſſi afferre, ſic ſcribit, ἀνάγκη ἔχει τὰς σάρκας τὰς κοπείσας καὶ φλασθείσας ὑπὸ τοῦ βέλεος ὑπόπυους γενομένας ἐκτακῆναι, quibus in locis σαπείσας obmiſit, vt etiam

codex Basiliensis libro quarto therapentices methodi, quamuis Galeni interpres, putrefactas, reddiderit. Vidius etiam hoc loco non vertit, quamuis in omnibus codicibus græcis legatur. Cæterùm non omnis caro contusa ad suppurationem ducenda est, sed ea tantùm quæ detrita & lacera est. σαρκόθλασμα enim & contusio carnis, quæ cute integra venis exignis disruptis facit ἐκχύμωσιν siue ἐκχύμωμα, id est, sanguinis suffusionem, non requirit suppurantia, sed curatur initio astringentibus & discutientibus, tandemque calefacientibus, & modice siccantibus, galeno circa finem libri quarti therapenticæ methodi, & Paulo libri quarti capite 30. Hic autem contextus in codice græco deprauatus legebatur, nos ex quarto libro therapenticæ methodi restituimus.

Ἕλκεϊ νεοτρώτῳ παντὶ, πλὴν ἐν κοιλίῃ, ξυμφέρει ἐκ τοῦ τρώματος αἷμα ῥυῆναι αὐτίκα πλέον ἢ ἔλασσον, φλεγμαίνει γὰρ ἧσσον αὐτὸ τὸ ἕλκος, καὶ τὰ περιέχοντα, καὶ ἀπὸ τῶν πεπαλαιωμένων ἑλκέων ξυμφέρει αἷμα ποιέειν ἀποῤῥέειν πυκνὰ, ὅκως ἂν δοκέῃ καιρὸς εἶναι, καὶ ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν ἑλκέων, καὶ ἀπὸ τῶν περιεχόντων τὸ ἕλκος ἄλλως τε καὶ ἢν ἐν κνήμῃ ἔῃ τὸ ἕλκος, ἢ ἐν δακτύλῳ ποδὸς ἢ χειρὸς, μᾶλλον ἤπου ἄλλοθι τοῦ σώματος. γίνεται γὰρ ἀποῤῥέοντος τοῦ αἵματος ξηρότερα καὶ μείονα ἰσχναινόμενα. κωλύει γὰρ μάλιστα μὴ τὰ τοιαῦτα ἕλκεα ὑγιαίνεσθαι, ἔπειτα δὲ καὶ τἄλλα σύμπαν-

τὰ ἅματος σηπεδὼν, καὶ ὅτι ἐξ αἵματος μεταςάσιος γένηται.

OMni recenti vulneri, nisi sit in ventre, expedit ex ipso statim sanguinem plus minúsve effluere, quippe inflammatione minus tētabitur tum vulnus ipsum, tum quæ circumposita loca sunt, & ab inueteratis vlceribus vt sanguis crebrò fluat, efficere prodest, vtcumque opportunum videbitur, tum ab ipsis vlceribus tùm à circumpositis vlceri partibus, atque adeo si sit in crure vlcus, aut in digito pedis, vel manus, magis quam in alia corporis parte. Quæcumque enim profusione sanguinis extenuantur, sicciora fiunt & minora. prohibet namque maxime quidem eiusmodi vulnera sanescere, deinde vero etiam reliqua omnia sanguinis putredo, & quod ex sanguinis transmutatione oritur.

HIc contextus in exemplaribus græcis Hippocratis non solum mutilus & mancus est, sed ita deprauatus vt ex eo sensus nullus elici possit, nos ex capite sexto libri quarti Therapenticæ methodi, principium restituimus, finem vero ex quinto capite eiusdem libri. Duo autem præcepta continet de sanguinis profusione in

vulneribus. Primum præceptum eſt, vt ex vulnere recenti ſanguinem fluere patiamur, plus minúſve dum tutum erit, ſique parum fluxiſſe videbitur, mitti quoque ex brachio debeat, vtique ſi corpus iuuenile, robuſtum & exercitatum eſt, multoque magis. Si id vulnus ebrietas præceſſit, ait Celſus libri quinti capite de curatione aduerſus vulnerum inflammationem. Cumque medicus debeat non tantum imitator eſſe naturæ, ſed etiam eorum, quæ cùm ſponte ſua eueniunt, conferunt, clarè Hippocratis mentem de ſanguine id vulneribus detrahendo intelligere licet. Si enim expedit ex omni recenti vulnere ſanguinem effluere, non autem effluxerit, quod deeſt, medicus adijcere debet. ait Galenus libro quarto therapeuticæ methodi. Sanguinis autem profuſio ſymptoma eſt, quod omni recenti vulneri coniungitur, niſi fortaſſe ſanguis intro reuocetur, tuncque mors in propinquo eſt. protinus tamen proſpiciendum ne ſanguinis profuſio ægrum interimat, quod ex ſede vulneris & magnitudine eius, & ex impetu ruentis ſanguinis intelligi poteſt, tunc enim ſanguis protinus ſupprimendus, idcirco addit Hippocrates, plus minúſve, vt pro modo vulneris, pro natura laborantis, ſanguinem fluere patiamur, & ſi nimium profundatur, mature ſupprimamus. Excipit autem vulnus ventris, ideſt thoracis aut abdominis, non quodlibet, ſed id tantum, quod intra thoracem, intráve peritonæon penetrat. nam vt ſcribit aphoriſmo 20. libri. 6. Si in ventrem ſanguis præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari, & Galenus notat ſanguinem non ſolum

ſuppurari, ſed corrnmpi, putreſcere in grumos & thrombos verti; Cum enim ſanguis à propria cauitate, in aliam quamcumque peruenerit, vt ſanguis permaneat, fieri non poteſt. Vnde Philotheus ait, τὸ αἷμα, καὶ τὸ σπέρμα, καὶ τὸ γάλα, ἐκ τῶν οἰκείων τόπων γινόμενα, θρομβοῦται καὶ σήπεται. Sanguis ſemen & lac ex propriis locis exeuntia in grumos vertuntur & putreſcunt. Secundum præceptum eſt, vt ab inueteratis vlceribus ſanguinem fluere faciamus, tùm ab ipſis vlceribus, tum à circumpoſitis vlceri partibus. Quoniam prædixerat, omni vulneri recenti expedire ſanguinem ex ipſo effluere, cernens niſi etiam de inueteratis mentionem faceret, fore vt ab aliquo putaretur de recentibus tantum ita pronunciaſſe, idcirco illud rectè adiecit, & ab inueteratis vlceribus ſanguinem mittendum eſſe: addit vero, tum ab ipſis vlceribus, tùm à circumpoſitis vlceri partibus, vt doceat fluxionem fixam iam in laborante particula vacuandam eſſe, vel ab ipſa particula quæ affligitur, vel à maxime vicina, incipientem vero fluxionem ad contraria eſſe trahendam, ex ſexto capite libri quarti therapent. methodi. Addit Galenus ibidem, ſuccum in vlceribus redundantem eſſe vacuandum, & ſanguinis detractionem eſſe adhibendam cum ſanguis vincit, aliâs dandum pharmacum, quod bilis flauæ, vel atræ, vel pituitæ educendæ vim habeat. Ex hoc Hippocratis loco Theſſalus curandorum vlcerum indicationem à tempore ſumendam credebat, quem paſſim refutat Galenus libro tertio & quarto Therapenticæ methodi, quoniam nulla externa cauſa ad

curationis indicationem conducit, ſed ad affe-ctus cognitionem, Vetuſtas enim curationem non indicat ſed ſanguinis prauitas, ſignum quidem vitioſi ſucci eſt ipſa vlceris diuturnitas, inuentio autem eius quod expedit, non ex diuturnitate, ſed ex cacochymia ſuggeritur. Itaque nulla eſt a tempore nec in vlceribus, nec in phlegmone, nec denique in alio quopiam affectu indicatio, & tempus nihil aliud nos docere poteſt, quàm numerum dierum ex quarto capite, quarti libri methodi therapenticæ. Suadet autem vt ex inueteratis vlceribus ſanguis effundatur, vt ſiccata potius ſaneſcant, & quoties id moliendum ſit, non præſcribit, ſed crebrò & cum opportunum videbitur. Vult etiam Celſus libro quinto, vt vetus vlcus ad curationem recentis vulneris reducatur, quod fit, vbi ſanguis emiſſus, nouatumque vulnus eſt. Potiſſimum autem hanc ſanguinis profuſionem tentandam eſſe admonet in vlcere crurum, & digitorum pedis & manus. Cùm enim crus & pedes onus totius corporis ſuſtineant, ſintque decliues partes, facilis eſt ex toto corpore in eas defluxio. Vulnera etiam quacumque parte oborta fuerint, ex partibus continentibus inflammantur & intumeſcunt ob ſanguinis influxum, ait Hippocrates libro *περὶ τῶν τρωμάτων*. Digiti etiam manus & pedis difficilimè ferunt inflammationem, cum partes ſint neruoſæ, moleſtéque humorum decubitum recipiunt, cum minime partes ſint capaces, & idcirco *τῶν χωρίων δυσιητότεροι μηροὶ, τῶν δὲ περὶ ἄρθρα ἐπικινδυνότατοι οἱ μεγάλοι δάκτυλοι, καὶ μᾶλλον οἱ τῶν ποδῶν*. Ex partibus difficilius curantur ſaucia crura,

ex articulis periculo maxime obnoxij ſunt magni digiti & præſertim pedum, ex ſecundo libro prædictionum. Cæterùm cùm Galenus Hippocratis illud affert, quæcumque profuſione ſanguinis extenuantur, ſicciora fiunt ac minora, ſcribit tantùm, vlcus effluente ſanguine fit ſiccius. capite quinto libri quarti methodi. Poſtrema autem huius ſententiæ particula a nullo fuit intellecta. Cornarius enim ſic vertit. Prohibet hoc maxime talia vlcera humectari, deinde vero in omnibus putredo ſanguinis ex ſanguinis trãſmutatione fit. Vidius autem ſic latine reddidit: neque madere vllo pacto ſinitur, adde quod a putri atque alienato ſanguine omnia proficiſcuntur. Vterque deprauatum codicem nactus, mentem Hippocratis aſſequi non potuit.

Ξυμφέρη δὲ μετὰ τὴν τοῦ αἵματος ἀποῤῥοίῃ, ἐπὶ τῶν τοιούτων ἑλκέων καὶ σπόγγον ἐπιδεῖν, πυκνὸν, καὶ μαλθακὸν, τετμημένον, ξηρότερον, ἢ ὑγρότερον· ἢ ἐπὶ τῷ σπόγγῳ ἄνωθεν φύλλα ἰσχνὰ τίθεσθαι.

CONfert poſt ſanguinis profuſionem talibus vlceribus alligare ſpõgiam denſam, mollem, inciſam, ſicciorem quam humidiorem. Vel ſpongiæ exilia folia ſuperponere.

CVm ex recenti vulnere fluxerit ſanguis, aut ex inueterato fuerit detractus, videndum

ne quid concreti sanguinis supersit, & in vulnere remaneat, id enim in pus vertitur, & inflammationem mouet, & vulnus glutinari prohibet. Itaque nunc suadet, vt in eiusmodi vulneribus, ex quibus profluxerit sanguis, alligetur spongia, quæ sanguinis reliquias absorbeat, profluuium supprimat, & ita vulnus desiccet. Spongia vero Dioscoridi libro quinto est vulneraria & τραυματική, recentia vulnera conglutinat cum aqua vel oxycrato, sanguinis profluuium sistit, & manifeste desiccat, vide librum vndecimum de simplicium medicamentorum facultatibus. Spongia densa eligenda est, sanguinem enim quem ebibit melius retinet, quam rara, mollis etiam sit, ne partem vulneratam duritie lædat, incisa sit, vt facilius vulneris oris aptetur, siccior sit quam humidior, vt non solum, sanguinem supprimat, sed etiam desiccet. hanc particulam ξηρότερον ἢ ὑγρότερον, Galenus exponit ξηρότερον οὐχ ὑγρότερον, & particulam ἢ hoc loco negationis vim habere scribit quinto capite libri quarti methodi therapenticæ. Vidius Galenum sequēs male vertit, sicciorem non madentem. Vterque vim particulæ ἢ oscitanter obseruauit, & mentem Hippocratis diligenter non explorauit. Itaque Galenum diligentem Hippocratis interpretem & genium hîc non approbo ἢ cum spiritu tenui & accentu graui, est particula disiunctiua & per aut redditur, vel est explanatiua & significat, quam, præterea ἢ inter duo comparatiua sæpius significat, quàm, vt hoc loco, & ἢ subaudita dictione μᾶλλον, quàm denotat. Itaque cum Galenus ipse μᾶλλον legerit, miror fuisse decep-

tum. Sic enim ſcribitur, quarto therapenticæ methodi capite quinto, σπόγγον ξηρότερον μᾶλλον ἢ ὑγρότερον. Præterea locus ille Homeri, quo Galenus probat ἢ paticulam eſſe negatiuam, commentario in ſententiam 18. libri tertij de officina medici, & quem etiam affert hoc commentario Vidius, vt idem confirmet, non ſatis probabilis apparet. Eſt autem verſus libri primi Iliados.

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.

Id eſt ex mente Galeni.

Eſſe volo populum ſaluum, non morte perire.

Sed melius reddi poteſt.

Seruare incolumen populum quam perdere malo,

Galeni autem explicationem non probat vulgaris Homeri interpres græcus, dicit enim ſenſum huius verſiculi eſſe hunc, θέλω ἐγὼ τὸν ὄχλον μᾶλλον σώζεσθαι, καὶ αὐτὸς ἀπολέσθαι. Volo ego populum ſeruari, & ipſe interire. Et Euſtathius ſic explicat, βούλομαι σόον εἶναι τὸν λαὸν, ἢ ἀπολέσθαι ἂν βουλοίμην αὐτός. Volo ſaluum eſſe populum, aut perire malim ipſe. Sed ne hæc πάρεργα ὡς ἔργα tractare videamur, ad rem iam veniamus, ſpongiam autem vulneribus ſiccam non eſſe alligandam, patet ex Celſo, qui libro quinto capite de curatione aduerſus profuſionem ſanguinis in vulneribus, ſic inquit: Si profuſionem ſanguinis timemus, quod ex ſede vulneris, ex magnitudine eius, & ex impetu ruentis ſanguinis intelligi poteſt, ſiccis linamentis vulnus implendum eſt, ſupraque imponenda ſpongia ex aqua frigida expreſſa, ac manu ſuper comprimenda. Et paulo poſt, capite de glutinatione vulnerum,

sic aït : Omni vulneri primo imponenda est spongia ex aceto expressa, si sustinere aliquis aceti vim non potest, vino vtendum est. Leuis plaga iuuatur etiam, si ex aqua frigida expressa spongia imponitur, sed ea quocumque modo imposita dum madet, prodest, itaque vt inhæreſcat non est committendum. Scribonius etiam largus capite de sanguinis eruptione, scribit spongiam quæ vulneri imponitur ex aqua recenti, vel ex aceto frequenter mutandam esse, ne concale facta noceat. Itaque per spongiam ficciorem quam humidiorē, expressam ex aqua, vino, vel aceto intelligere oportet. Obserua etiam Hippocratem ipsum in detractione sanguinis ex varicibus post situm conuenientem & fasciæ vsum, ad sanguinem sistendum, duplex linteolum vino madens imponere, supraque lanam oleo imbutam, sententia 50. huius libri, folia quoque exilia spongiæ superimponit. Galenus in exegesi linguarum Hippocratis scribit, φύλλα significare τὰ κηπώδη καὶ βοτανώδη χλωρὰ ἡδύσματα. i. hortensia & herbacea viridia odoramenta, & statim subiungit, φύλλα & in quibusdam codicibus φυλλια, ἡδύσματα κηπαῖα., ἃ τοῖς ὠνουμένοις τὰ λάχανα προσεπιτιθέασιν, οἷον κορίαννον, ἡδύοσμον, πήγανον, σέλινον, id est, odoramenta hortensia quæ ementibus olera adijci solebant, vt coriandrum, menta, ruta apium. Hippocrates ipse libro secundo de morbis, dùm remedia præscribit contra σταφυλὴν vuam morbum, suadet τὸ ἀπὸ τῶν φύλλον διδόναι ἀναγαργαρίζειν, id est foliorum decoctum gargarisandum dandum esse. Vbi per φύλλα intelligit ὀρίγανον, καὶ θυμ-

στέαρ, καὶ σέλινον, καὶ μίνθην, vt paulo ante gargarismum contra anginam primam præscripserat. Libro etiam quarto de articulis sententia 22. folia betæ, vel tussilaginis, vel cuiuspiam alterius talis in vino nigro austero semicocta, vlceri atque adiectis partibus imponere præcipit. Paulo post contra inflammationem & erysipelas vsurpabit, verbascum folia trifolij, maluæ, rutæ origani viridis, glasti, rubi, canini, nasturtij, & similium. Sunt etiam qui φύλλον nomen proprium herbæ existiment, de qua Dioscorides libri tertij cap. 123. Cuius etiam meminit Theophrastus libri vndecimi cap. 19. quam Plinius libri 22. capite decimo sexto, non solùm Phyllon, sed etiam Leucantham, ischiada, & polygonaton appellat. Sed cùm ea herba Galeno fuerit incognita, cumque alibi non meminerit Hippocrates, vsurpanda potius esse puto, folia menthæ, ruthę, apij origani, trifolij, nasturtij, quæ & exilia sunt, & siccandi pollent facultate.

Ἔλαιον δὲ καὶ ὅσα μαλθακώδεα, ἢ ἐλαιώδεά ἐστι φάρμακα οὐ ξυμφέρει τοῖσι τοιούτοισιν ἕλκεσιν, ἢν μὴ πάνυ ἤδη πρὸς ὑγιείνην τείνῃ, οὐδὲ τοῖσι νεοτρώτοισιν ἕλκεσι ξυμφέρει ἔλαιον, οὐδὲ μαλθακώδεα, οὐδὲ στεατώδεα φάρμακα, ἄλλως τε καὶ ὅτι ἂν δέηται ἕλκος πλείονος καθάρσιος. τὸ δὲ ξύμπαν εἰπεῖν, ἐλαίῳ τὴν χεῖσιν ποιέεσθαι, καὶ ἐν θέρει, καὶ ἐν χειμῶνι, πρὸς ἃ τῶν τοιούτων φαρμάκων δεόμεθα.

OLeum & quæcumque medicamenta mollia aut oleoſa, ſunt talibus vlceribus minime conueniunt, niſi iam ad ſanitatem multùm vergant. neque etiam recentibus vulneribus conuenit oleum, neque mollia, neque pinguia medicamenta, præſertim cum multa purgatione vulnus indigeat. Vt autem vno verbo dicã, oleo tam æſtate, quam hyeme illinenda ſunt ea, quæ medicamentis egent eiuſmodi.

QVid poſt ſanguinis profuſionem, vulneribus ſit admouendum dixit, nunc autem exponit quid vulneribus eiuſmodi ſit alienum, vt id caueamus. proponit vero quatuor remediorum genera, quæ poſt ſanguinis effluxum, aduerſa ſunt vulneribus tam recentibus, quam inueteratis, nempe oleum, medicamenta mollia, oleoſa, & pinguia, de quibus ordine dicendum. Oleum ipſum maximè proprium, & quod potiſſimũ ab omnibus hominibus ita vocatur, cõſiderare ſufficit. Hoc enim ἁπλῶς, πρώτως, καὶ κυρίως ſic dicitur, & fructus ex quo conficitur, oliua, & arbor olea vocatur, reliqua vero per metaphoram & per abuſum, ait Galenus ſeptimo capite libri ſecundi de ſimplicium medicamentorum facultatibus, eiuſmodi enim oleũ, exacte oleum exiſtens, cuncta tum humectat, tum emollit, ibidem, capite decimo octauo. Idcirco autẽ oleum inimicũ eſt, eiuſmodi vulneribus, quia vulnera

deficcari postulant. Si vero vlcera caua fuerint, oleum ipsis aduersissimum omnium medicamentum est, cùm si ita mederi velis, vsu ipso intelliges, sordidum ac male olens vlcus fieri, ex 2. capite libri tertij methodi therap.

Mollia medicaménta, quæ vocat hippocrates μαλθακώδεα vel etiam μαλθώδεα, vt legisse videtur Galenus in exegesi linguarum, proprie sunt medicamenta κηρώδη id est cerea. μάλθη γὰρ ὁ κηρὸς καὶ μάλιστα ὁ μεμαλαγμένος, maltha est cera præsertim emollita, & apud Festum, maltha est pix cum cera mixta, & medicamenta mollia siue cerea, sunt ea quæ ex cera, pice, resina, & terebinthina componuntur.

Ἐλαιώδη siue oleosa, sunt ea medicamenta quæ multum olei recipiunt, habentque vt plurimùm adiunctam adipem, ideoque humectandi vim habent. ἔναιμα vero nonnulla, aliquid olei recipiunt, sed præpollet deficcantium quantitas, hæcque ex medicamentis non pinguibus constant, ideoque alipenæ nominantur ait Celsus libri quinti capite 19. ἀλίπαινα græci vocant ἀπὸ τοῦ λιπαίνειν, καὶ τοῦ ἀμοιρίου στερητικοῦ. Στεατώδη pinguia medicamenta sunt ea quæ recipiunt adipem anserinam, suillam caprinam: medullam bubulam, vitulinam ceruinam, sæuum, pinguedinem & similia, hæcque remediorum genera, mollia, oleosa pinguia, à græcis λιπαρὰ, à latinis lenia dicuntur. Hippocrates hoc loco dicit ea minime conuenire vulneribus recentibus aut inueteratis, in quibus glutinandum, aut cauitas carne implenda. Cùm enim siccantibus aut sarcoticis sit opus, hæc iure reijciuntur, quæ nec

glutinare, nec carnem producere possunt, sed potius vlcus sordidum & putridum efficiunt. Vulnera verò quæ ad sanitatem tendunt, requirunt hæc medicamenta lenia, quibus etiam vtitur Hippocrates postea sententia 44. huius libri, ad pulchram & decoram inducendam cicatricem. Hæc eadem medicamenta sordidis vlceribus sunt inimica, quia horum admotione sordidiora fiunt, quod si anni tempus calidius sit, ac cacochymia homo laboret, aut rheumatismis sit obnoxius, aut etiam in victus ratione delinquat, timor est ne pars computrescat, in qua vlcus est factum, ex secundo capite libri tertij methodi. In fine scribit, cum lenium medicamentorum vsus vlceribus necessarius incidit, oleo inungenda esse eiusmodi vlcera, tam æstate quam hyeme, potius quam cæteris mollibus, oleosis & pinguibus medicamentis, quæ postea hyeme magis admouenda esse dicet, quam æstate. Sententia 44. huius libri.

Ὑποκάθαρσις τῆς κάτω κοιλίης ξυμφέρει τοῖσι πλείστοισι τῶν ἑλκέων, καὶ ἐν τρώμασιν ἐν κεφαλῇ ἐοῦσι, καὶ ἐν κοιλίῃ, καὶ ἐν ἄρθροισι, καὶ ὅσα σφακελίσαι κίνδυνος, καὶ ὅσα ῥαπτὰ, καὶ τοῖσιν ἐσθιομένοισι, καὶ ἑρπιστικοῖσι, καὶ τοῖσιν ἄλλως πεπαλαιωμένοισιν ἕλκεσι, καὶ ὅπη ἂν μέλλῃ ἐπιδεῖν.

PVrgatio per aluum plurimis vulneribus confert, siue sit in capite vul-

nus, in ventre, aut in articulis, & in quibus periculum corruptionis imminet, & ijs quæ futuram postulant, vel exedunt, vel serpunt, alijsque etiam quouis modo inueteratis vlceribus, & quando vinculum necessarium erit.

HIppocrates morbi magnitudinem ad purgationis indicationem considerat, hocque loco clare docet omnibus vlceribus & vulneribus cùm magna sunt, purgationem esse vtilem. Cum enim trifariam non solum hæc, sed etiam reliqua morborum genera, grauia, magnaque reddantur, vel propter affectæ partis præstantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propter κακοήθειαν & malignitatem, cuiusque horum seorsum videtur mentionem fecisse Hippocrates, nam in capitis & ventris vulneribus præstantiam læsæ partis indicat, ventrem autem hoc loco non solum inferiorem intelligendum esse, sed etiam superiorem, cuiuis perspicuum esse arbitror. Diuiso namque quod inter collum & crura est trunco, in duas maximas capacitates, prior sub thorace, secunda sub peritonæo continetur, & sane vulnus quod intra thoracem, intráve peritonæon penetrauit, non paruum periculum affert, potissimum si quid interiorum vnâ sit vulneratum. Quin etiam maligna fieri statim, quæcumque in articulis accepta vulnera sunt, id quoque omnes fere sciunt, empirici quidem ex sola experientia, cui soli attendunt, qui verò corporis naturæ scientiam com-

parare ſtuduerunt, ex ipſa vulneratarum partium natura, vbi enim tendones ſunt & nerui, & carne vacua atque oſſea loca, hic doloris, vigiliarum, conuulſionis & delirij periculum inſtat. Tùm hæc igitur vulnera, tùm quæ ſuuntur, id eſt, quæ adeo ſunt magna, vt ſuturis indigeant, aut ſi non his, certe vinculo, purgationem deſiderant, nam magna vulnera, vel ſuturis, vel vinculis ſunt coniungenda, & ſanè quibus corruptionis periculum impendet, ea cum magnitudine phlegmones ſunt. Iam quæcumque exedunt aut ſerpunt, ea tum maligna ſunt, tum malorum ſuccorum ſoboles, nonnullâque à bilioſo excremento ortum habent. Vlcera verò inueterata ab aliqua ſimili cauſa proueniunt: quare in omnibus his nō ſine ratione purgare per aluum iubet. Galenus hanc Hippocratis ſententiam his verbis explicat ſexto capite libri quarti methodi. Vbi tamen varietas quædam eſt in verbis græcis, in codice Hippocratis legitur, καὶ ὅσα ῥαπτὰ, & quæcumque ſutilia, in codice Galeni, καὶ ὅσα ῥάπτεται, & quæcumque ſuuntur, præterea apud Hippocratem ſcribitur, καὶ ἑρπυστικοῖσι, in vlceribus ſerpiginoſis, apud Galenum καὶ ἕρπησι, herpetibus, & duæ poſtremæ huius ſententiæ partes, ſic leguntur apud Galenū, καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τοῖσι πεπαλαιωμένοισι τὰ ἕλκεα, καὶ ὁκοῖα δ᾽ ἂν μέλλῃ τις ἐπιδεῖν, ὑποκαθαίρειν τὴν κάτω κοιλίην. Et reliquis quæ vlcera diuturna reddunt: etiam quæcumque deliganda ſunt, per aluum purganda ſunt. Cornarius in ſua verſione locum hunc non intellexit, perperam etiam Mercurialis græca Galeni margini aſcripſit, dum poſt, ἐνέχῃ, adiungit,

iungit, ὑποχωρεῖν τὴν κάτω κοιλίαν. Totus autem iſte locus ex Galeno luce meridiana clarior eſt.

Οὐ χρὴ οὐδ᾽ ἐμπλάσσειν τὰ φάρμακα, πρὶν ἂν πάνυ ξηρὸν ποιήσῃς τὸ ἕλκος, τότε δὲ δεῖ προστιθέναι, ἀνασπογγίζειν δὲ τὸ ἕλκος πολλάκις σπόγγῳ, καὶ αὖθις ὀθόνιον ξηρὸν, καὶ καθαρὸν προσίσχων πολλάκις, οὕτω δὲ ἐπιθεὶς τὸ φάρμακον τὸ δοκέον ξυμφέρειν, ἐπιδεῖν, ἢ μὴ ἐπιδεῖν.

NEque vero medicamenta imponere prius oportet, quàm vulnus plane ſiccum reddideris: Tunc autem imponere conuenit, ſed ſæpius vulneri admouenda ſpongia, rurſúſque linteum ſiccum & purum ſæpius adhibendum. Cúmque hoc pacto medicamentũ quod conferre videbitur impoſueris, deligandum, vel non deligandum.

MEdicamenta quæ vulneribus imponuntur, ſunt vel ἔναιμα ſiue κολλητικὰ, quæ cruentis protinus inijciuntur. vel σαρκωτικὰ, quæ cauo vulneri ad carnem producẽdam immituntur, vel ἐπουλωτικὰ medicamenta valde ſicca & aſtringentia quæ vlceri cicatricem inducunt, nonnulla ad ſordes detergendas, quædam etiam ad ſuper creſcentem carnem coercendam ac-

commodata ſunt, quæ numquam vulneribus aut vlceribus imponere debemus, niſi prius ipſa vulnera ſicca reddita ſint. Siccantur autem vulnera & vlcera cum ſanguinem aut vitioſum humorem, aut ſordes quibus abundant, non ſolum ſpongia abſorbemus, ſed etiam linteo molliore puro & ſicco extergimus, idque non ſemel molimur. Sed ſæpius tentamus, donec nempe ſicca nobis appareant vlcera. Sanguis autem, ichores & ſordes vulnerum, non ſolum retinentur impoſito remedio, ſed remedij etiam vires retundunt, hoc loco ὀθόνιον ξηρὸν καὶ καθαρὸν requirit. Galenus autem libro quarto κατὰ γένη, initio ſecundæ ſectionis, ὀθόνιον μαλακὸν καθαρὸν καὶ ξηρὸν poſtulat, ad humores vitioſos detergendos & ſordes eluendos. Cùm autem ſpongia & linteo ſæpius exſiccatum fuerit vulnus, & medicamentum quod conferre putabis impoſueris, tunc faſcia deligandum vulnus, vt medicamentum contineat, vel ſi medicamentum per ſe retineatur, nec facile decidat, faſciam nullam inijcies, expedit autem vt initio dixit, cum cataplaſma non admouetur, à vinculo quoque abſtinere, emplaſtra enim per ſe tenacius partibus inhærent, & vinculum non requirunt, dixit autem pharmacum quod conferre videatur, quia non ſemper idem medicamentum adhibendum, ſed modo colleticum, modo ſarcoticum, aliquando detergens, & præterea non vnum omnibus naturis & partibus medicamentum eſt idoneum etiamſi ad eundẽ ſpectet finem. Cæterum cum in principio huius ſententiæ geminatam negationem video, cum etiam poſt ὀυχὶ, locum ani-

maduerto vel asterisco notatum; vel puncto distinctum, colligo facile totam antiquitatem suspectum eum habuisse, itaque post ὀυχὶ, legendum puto, ἐπιδεῖν. Vt sit sensus, neque deligare, neque medicamenta prius imponere oportet, &c. quod manifestissime conclusio huius sententiæ demonstrat, cùm medicamento imposito dicit vulnus deligandum, vel non deligandum. Sic in sectione varicis tum demum fasciam admouet, cum nihil concreti sanguinis in sectione relinquitur, sententia 50. huius libri. Sic Celsus libro quinto, in glutinatione vulnerum, neque suturam, neque fibulam prius imponit, quam vulnus intus purgatum est, ne quid ibi concreti sanguinis relinquatur, id enim in pus vertitur, & inflammationem mouet, & glutinari vulnus prohibet.

Ἕλκεσι τοῖσι πλείστοισιν ὥρη ἡ θερμοτέρη ξυμφερωτέρη τῆς χειμῶνος, πλὴν τοῖσιν ἐν κεφαλῇ καὶ κοιλίῃ, μᾶλλον δὲ ἡ ἰσημερινή.

PLurimis vulneribus curandis tempus calidum opportunius hyeme, exceptis iis quæ sunt in capite & ventre, multóque magis æquinoctium.

QVoniam aër ambiens is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, ex decimo quarto capite, libri noni methodi therapenticæ, idcirco nũc Hippocrates inquirit quænam tempestas vulneribus sit salubrior. Tempus

autem calidius plurimis vulneribus curandis commodius esse dicit hyeme, quoniam frigidum vlceribus mordax, ex aphorismo 20. libri quinti. Quomodo autem frigidum sit vlceribus mordax, docet Galenus secundo capite libri quarti de simplicium medicamentorum facultatibus, frigidum enim spiramenta cuncta in raris corporibus subiens, qualia sunt vulnerata omnia, refrigerandorum corporum partes circumquaque amplectitur, easque contrahens, condensans & constringens à continuis auellit. Celsus libri quinti capite 26. apertius rem istam distinguit, dum ait, opportunissimum curationi vulnerum tempus vernum est, aut certe neque feruens, neque frigidum, siquidem vulnera & nimius calor, & nimium frigus infestant, maximè tamen horum varietas, ideóque perniciosissimus autumnus est. Hic excipit Hippocrates vulnera capitis, thoracis, & ventris, quibus hyemem salubriorem esse dicit tempore calidiore, quoniam hyeme calidum natiuum copiosius est & robustius in capite & cauitatibus omnibus nostri corporis, per aphorismum 15. libri primi. Ventres hyeme natura calidissimi. Calor autem corporis nostri vires sustinet, ab eóque omnes naturales actiones proueniunt. Scribit Hippoc. libro περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων, hominem quacunque capitis parte vulnus acceperit, diutius vitam protrahere hyeme quam æstate, quamuis alioqui sit moriturus. Æquinoctium autem vulneribus saluberrimum esse dicit, quod sit tenperatum, neque ita calidum vt æstas, nec ita frigidum vt hyems, sed mediam quandam habeat

temperiem, hoc æquinoctio verno potissimùm attribuitur. Ver enim saluberrimum est, aphorismo nono libri tertij. Potest etiam æquinoctio autumnali conuenire, quia sit inter æstatem & hyemem veluti medium. Est autẽ duplex æquinoctium, vnum vernum, alterum Autumnale de quibus sic Plinius libri decimi octaui capite 25. Cardo temporum quadripartita anni distinctione constat per incrementa lucis, augetur hæc a bruma, & æquatur noctibus verno æquinoctio diebus xc. horis tribus, deinde superat noctes ad solstitium diebus xciij. horis xij. vsque ad æquinoctium autumni, & tum æquata die procedit ex eo ad brumam diebus lxxxix. horis tribus, omnésque eæ differentiæ sunt in octauis partibus signorum, bruma Capricorni, ad viij. calend. Ianuarij ferè. Æquinoctium vernum arietis, solstitium Cancri, alterúmque æquinoctium Libræ. Secundum Ætium tetrabiblij primæ, sermone tertio cap. 164. Æquinoctium vernum fit vigesimotertio die Martij. Solstitium verò, vigesimoquinto die Iunij. æquinoctium Autumni est vigesimoquinto die Septembris. Bruma autem siue solstitium hyemale fit vigesimotertio die Decembris. Nostris autem temporibus post correctionem Gregorianam, æquinoctium vernum fit 13. calend. Aprilis, quod ante correctionem cadebat in sextũ id Martij. Solstitium autem æstiuum post correctionem temporum incidit in vndecimum calend. Iulij, quod ante fiebat iij. idus Iunij, Æquinoctium Autumnale post emendationem, fit ad ix. calend. Octob. quod ante contingebat idib. Septemb. Bruma

denique post correctionem rediјt ad xij. calend. Ianuarij, quæ prius eueniebat iij. idus Decembris. Cæterùm hæ temporum distinctiones à medicis considerantur, non dierum numeris & momentis, sed potius temperamentis. Vnde si ver frigidum fuerit, hyemis vicem habere dicemus, si æstas in calore & frigore inæqualis admodum fuerit, tunc Autumni tempus potius esse censebimus.

Τὰ δὲ ἕλκεα ὅσα μὴ καλῶς καθαρθέντα, καὶ ἐς τὸ δέον ἀεὶ πρότερον, ἄρξεται βλαστάνειν, ταῦτα ὑπερσαρκέει μάλιστα, ὁκοῖα δ᾽ ἂν καθαρθέντα καλῶς, καὶ ἐς τὸ δέον, ἀεὶ ἐπὶ τὸ ξηρότερον θεραπεύηται, πλὴν εἰ θλασθῇ, ταῦτα οὐχ ὑπερσαρκέει ὡς ἐπιτοπολύ.

QVÆ vlcera non probè & vt conuenit, purgata prius semper, pullulare incipiunt, ijs maxime caro supercrescit. Quæ verò probè & vt decet, expurgata semper ad siccius promouetur, nisi contusa sint, ijs caro vt plurimùm non supercrescit.

EA vlcera non probè & vt decet ex purgata semper prius fuerunt, in quibus caro humida & sanie madens apparet, cumque in eiusmodi vlceribus noua caro producitur, ea solet supercrescere non sicca & firma, sed hebes, mollis, & fungosa, ad quam exedendam, & ne vltra

ſeipat continendam, adhibentur medicamenta cathæretica, quæ carnem eiuſmodi ſupercreſcentem tollant eamque ad modum ſtatumque naturalem reducant. Vlcus autem quod ſupercreſcentem carnem habet, nō vnus eſt morbus, ſed ſimul ὑπερσάρκωσις & vlcus, incidat autem magnitudo quæ præter naturam eſt, ipſius exuperantis ablationem, at hæc ſola medicamentorum ope perficitur, non opera naturæ. Carnis autem generatio & glutinato naturæ ipſius ſunt opera, pharmacis tantum quæ eius actioni obſtāt ſummouentibus, at ſupercreſcentis carnis detractio, nullum quidem naturæ opus eſt, ſed medicamentis perficitur, quæ vehementer ſiccent, ait Galenus ſexto capite libri tertij, methodi therapenticæ. Caro autem ſupercreſcere non ſolet in ijs vlceribus, quæ probè & vt decet expurgata ſemper ad ſiccius promouentur. Hippocrates apertè nos docet, quod ſæpius iam antea dixit, vulneratas partes quam maximè eſſe ſiccandas. Illud autem quod adiicitur, niſi ſunt contuſa, redigit nobis in memoriam, quod etiam prius eſt dictum, nempe oportere omnia vulnera ſiccari, præter ea quæ contuſa ſunt, in quibus pus quàm celerrime mouendum eſt. In libro περὶ τρωμάτων ἐν τῇ κεφαλῇ, dicit calamitoſum eſſe, in vlcere carnem humidam & pernicioſa ſanie madentem reperiri, & longiori tempore expurgari, vlcus vero ſiccius redditum, ſanum ſtatim fieri, emergente ſicca carne non humida, ſicque carnem vlceri minime ſupercreſcere. Cæterum in omnibus Hippocratis codicibus græcis hic locus mutilus legitur, nos ex capite quinto libri quarti

therapenticæ methodi eum restituimus.

Ἢν ὑκόθεν οὖν. ὀστέον ἀφιστῆται, ἢ καυθὲν, ἢ πρισθὲν, ἢ ἄλλῳ τῷ τρόπῳ, τῶν ἑλκέων τούτων αἱ οὐλαὶ κοιλότεραι γίνονται.

SI os vstum aut sectum, aut alio quouis modo vndecumque abscesserit, horum vlcerum cicatrices cauæ fiunt.

EX carne perperam curata os detrimentum percipit, & quæcunque mala caro in se habet, os ea contrahit, ex hippocratis libro de vulneribus capitis. Itaque si vlcus probe ac vt decet, non expurgetur, supercrescit caro mollis, ac sanie madens, qua os ipsum corrumpitur, & cariem contrahit, os autem corruptum & cariosum auferendum, si vlcus ad cicatricem ducere velimus. Duplex autem est ratio auferendi ossis, vna fit manu Chirurgi, qui ossis corrupti partem abscedere facit medicamentis siccantibus, vel aufert instrumentis accommodatis, vel igne, altera fit ope naturæ, quæ expellere solet quod noxium est, sicque os aut vstum, aut sectum aut alio quouis modo dicitur abscedere, fieri autem non potest, quin talium vlcerum cicatrix caua nõ fiat, quia ossis portio sub illa carne deest, & vt ait Galenus commentario in aphorismum 45. libri sexti, tantum cicatrices fieri cauas contingit, quantum abscessus profunditatem habuerit. Hanc eandem sententiam vide aphorismo nunc dicto. Si vlcera annua, aut etiam diuturniora fiant, os abscedere necesse est, & cica-

trices cauas fieri. Cicatrix autem siue concaua fuerit, siue excreuerit, restitui potest, siquidem vtraque cicatrix exulcerari scalpello potest, cute exulcerata supra eminentem carnem, exedentia medicamenta conijcienda sunt, super concauam implentia, donec vtrumque vlcus sanæ cuti æquetur, & tùm cicatrix inducatur, sed stultum est decoris causa rursum & dolorem & medicinam sustinere, ait Celsus libri quinti capite de cicatrice vulneri inducenda. Cicatrices autem nigræ quomodo tollantur, & potissimum in facie, docet ibidem Celsus, & Paulus libri quarti capite 47.

Ἕλκεα οὐ κεκαθαρμένα, οὐκ ἐθέλει ξυνιέναι, ξυναγόμενα, οὐδ' αὐτόματα ξυνέρχεται ὧν τὰ περιέχοντα φλεγμαίνει τοῦ ἕλκεος, ἔστ' ἂν μὴ παύσηται τῆς φλεγμασίης, οὐκ ἐθέλει ξυνιέναι· οὐδὲ ὧν τὰ περιέχοντα τοῦ ἕλκεος μελανθῇ καὶ αἵματος σηπεδόνι, ἢ καὶ κιρσοῦ παρέχοντος τὴν ἐπιῤῥοὴν τοῦ αἵματος, οὐδὲ ταῦτα ἐθέλει ξυνιέναι, ἢν μὴ τὰ περιέχοντα τοῦ ἕλκεος ὑγιέα ποιήσῃς.

VLcera non purgata glutinari non possunt, si in vnum adducantur, neque sua sponte coeunt. Vlcera etiam quorum circumpositæ partes inflammatione tentantur, coire non possunt, quandiu aderit inflammatio. Nec glu-

tinari possunt eiusmodi vlcera, quorum vicinæ partes nigricie occupantur ob sanguinis putredinem, aut etiam ob varicem fluxionem sanguinis suppeditantem, nisi quæ vlcus ambiunt sana reddideris.

TRia proponit vlceris genera quæ glutinari non possunt, primò, quæ non sunt purgata, humiditas enim aut sanies in medio posita continuitatem impedit: deinde ea quæ in circumpositis partibus inflammationem patiuntur, temperatam enim subiectam carnem esse oportet, ad vlcera tùm carne implenda, tùm glutinanda: postremò ea quæ ob sanguinis vitiosi, aut copiosi affluxum, colorem non laudabilem obtinent. Galenus primo capite libri 4. methodi therapenticæ, tres ægre sanabilium vulnerum modos proponit, vnum qui ex intemperie subiectæ carnis prouenit, alterum qui ex vitio affluẽtis fit sanguinis, tertium qui ob confluentis succi mensuram & quantitatem nascitur. συναγόμενα ἕλκεα vocat Hippocrates vulnera commissa & in vnum adducta, quando vulnerum partes diductæ & separatæ & nimium hiantes in vnum coguntur, & deinde commissæ retinentur fascia, sutura vel fibulis, αὐτόματα spontanea, sunt ea vulnera quæ sponte, naturæ vi & prouidentia citra medici operam committuntur, quia scilicet partes & oras vulneris non habeant dissitas & distantes, sed coniũctas, in quibus & sutura aliena est, eáque minime fasciam

postulant. Cæterùm vt ait Galenus circa finem artis medicæ, agglutinat dissidentes partes ac pristinæ vnitati restituit natura, nostrum vero munus est primùm quidem diductas partes in vnum cogere, secundum commissas seruare, ad quod deligatura & suturæ vtiles sunt. Circa finem dicit, partes vlceri vicinas nigricie occupari ob sanguinis putredinem. Sanguis enim a venis transfusus in varios colores conuertitur, fit enim liuidus, deinde niger, cúmque in pus vertitur, albidior euadit, est enim pus cinerei coloris, cúmque pars transfusum sanguinem nec concoquere potest, nec in pus vertere, nigrescat necesse est & corrumpatur, ait Galenus commentario in sententiam 32. libri secundi de fracturis. Varicis etiam occasione contumax ad sanandum vlcus efficitur, quoniam ex eo humiditas ad exulceratas partes defluit, quinto capite libri quarti methodi, & circa finem secundi capitis eiusdem libri, varices qui supra locum exulceratum sunt, prius sanabimus, quia fluxionis causa sunt, deinde mox ad vlceris curationem accedemus, de varicum curatione postea dicet sententia 49.

Τῶν ἑλκέων τὰ κυκλοτερέα, ἢν ὑπόκοιλα ᾖ, ἐν κύκλῳ πάντῃ ἐπιτάμνειν χρὴ τὰ ἀφεστεῶτα ἢ πάντα, ἢ τὰ ἡμίσεα τοῦ κύκλου, κατὰ μῆκος τῆς φύσιος τοῦ ἀνθρώπου.

CIrcularia vlcera si subcaua sint, circulo præcidere oportet vndiqua-

que quæ abſceſſerunt aut omnia, vel dimidium circuli, ſecundum naturalem hominis longitudinem.

ROtunda vlcera & ſubcaua habent labra dura & calloſa, quæ præcidere iubet Hippocrates, vt cenſet Galenus libri quarti methodi capite quinto, τὰ ἀφεστῶτα, quæ abſceſſerunt nominat eiuſmodi labra calloſa & dura, quæ ſunt ſine venis & arterijs & veluti emortua, τύλος enim Fauorino eſt νενεκρωμένη σάρξ. Callus eſt caro emortua, quæ medicamenta non admittit, quibus locus vlceratus indiget, hæc autem iubet præcidere aut omnia, aut ſaltem dimidium orbem, ſecundum naturalem hominis longitudinem ob muſculorum fibras, in inguine tamen & in alis ſectio fieri ſolet per tranſuerſum ob cutis reduplicationem. Similis ſententia eſt in libro περὶ τρωμάτων his verbis. Vlcera rotunda, multúmque ſubcaua ſectionem poſtulant, orbémque vlceris duabus lineis diuidere oportet ſecundum hominis longitudinem naturalem, vlcúſque ipſum longum efficere. Celſus libro quinto capite 26. inquit. Peſſima plaga quæ in orbem, tutiſſima quæ lineæ modo recta eſt, quo deinde proprius huic illive figuræ vulnus eſt, eo deterius, vel tolerabilius eſt. Ariſtoteles circa finem capitis decimi libri prioris de Demonſtratione ſcribit, ὅτι μὲν τὰ ἕλκη τὰ περιφερῆ βραδύτερον ὑγιάζεται, τοῦ ἰατροῦ εἰδέναι, διότι δὲ, τοῦ γεωμέτρου. Quod vlcera circularia tardius curentur, nouit medicus, huius autem cauſam reddit geometra.

Cur vero difficilius vlcera rotunda curentur docet Alexander Aphrodisicus problemate 97. libri primi. Quoniam per bilem acrem atque exedentem consistunt, exulceratur quippe in orbem, quoties bilis guttatim confluit & exedit, itáque fit, vt medicamenta quæ admodum sicca, & prope deurendi vim habent, afferre necesse sit, medici ita volunt, naturæ vero & sapientiæ studiosi, curari hæc difficilius idcirco dicunt, quoniam principium nullum est, vnde cicatrix adduci incipiat. Circulus enim & principio caret & fine, vnde figuram hanc vlceris ferramento immutandam censent in angulos, vt pars idonea sit, vnde cicatrix oriatur.

Ἐπὶ παντὶ ἕλκει ἐρυσιπέλατος ἐπιγινομένου, κάθαρσιν δεῖ ποιέεσθαι τοῦ σώματος, ἐφ' ὁπότερα ἂν ξυμφέρει τῷ ἕλκει, εἴτε ἄνω, εἴτε κάτω.

IN omni vlcere cui superuenit erysipelas, purgare corpus conuenit, qua parte vlceri conducit, siue per superiora, siue per inferiora.

HIppocrates non solùm vlcerum vulnerúmve quæ citra alium affectum consistunt, sanandorum rationem declarat, vt quæ in siccando posita sit, sed etiam priuatim per species affectum cuiusque, nam vlceris quod cum alio affectu coniunctum est, cuius præcedere curatio-

nem oportet, eius curatio vt vlceris solius non est, sed prior illius affectus, secunda vlceris, nam siue phlegmone quæpiam siue erysipelas, siue ædema vlceratam carnem obsederit, primum eius molienda curatio est. Erysipelas autem biliosæ fluxionis soboles est, cutis vitium dicitur, quando est exquisitum, aliquando etiam subiectæ carnis aliquid occupat, tuncque non exquisitum censetur. Solet autem aliquando per se consistere, & sine vulnere oriri, aliquando vulneri superuenire consueuit, de quo nunc agit, sequitur etiam aliquando ossis ψίλωσιν siue denudationem, ex aphorismo 19. libri septimi, prauũ autem symptoma est, cum nudato osse caro circumstans erysipelate occupatur, ex Galeni commentario. Vult Hippocrates vt in vlcere, cui superuenit erysipelas purgetur corpus, vel per vomitum, vel per aluum ductam, qua parte vlceri magis conducet, quod hic minime definiuit, sed eius rei διορισμὸν in libro de succis nos edocuit, reuellere nos iubens ad contraria, deriuare vero ad latera, quin etiam cum maxime influit, tùm ad diuersa reuellere, & si in superioribus vlcus consistat, per inferiora purgare oportet, sin autem in inferioribus sit, superiorem ventrem vacuare, at si iam fluxio restitit, atque in membro inhæsit, deriuare per vicina magis expedit, cùm & in propinquiora translatio sit, & purganti medicamento promptior tum accessus tum attractio è vicino detur, ex sexto capite libri quarti methodi, sententia 46. libro autem περὶ τῶν τρωμάτων, censet cum in vulneris capitis osse nudato, tumor rubicundus erysipelatis naturam

præ se ferens superuenerit in facie & in ambobus oculis, vel in alterutro, aluum expurgandam esse medicamento quod bilem moueat, sed ita dandum medicamentum, vt prius quid valeant ægrotantis uires perpendamus.

Ὅτῳ ἂν οἴδημα γένηται παρὰ τὸ ἕλκος, ἀφλεγμάντου ἐόντος τοῦ ἕλκεος, χρόνῳ ὕστερον πύου ὑπόστασιν ἴσχει τὸ οἴδημα, καὶ ὅτι ἂν τῇ φλεγμασίῃ οἰδήσαν μὴ καθίστηται, τῶν ἄλλων καθισταμένων, ὅσα ἅμα ἤρξατο φλεγμαίνειν καὶ οἰδίσκεσθαι, καὶ τοῦτο κίνδυνος μὴ δι' ἅμα ξυνιέναι.

CVi iuxta vlcus tumor obortus fuerit, vlcere minimè inflammato, paulo serius in pus vertetur tumor: Quodque ob inflammationem tumidum non resedit, desidentibus alijs, quæ simul inflammari ac tumere cœperunt, hoc etiam periculum est non coalescere.

CVm tumor aliquis circa vlcus exoritur, nullaque apparent in vlcere signa inflammationis, humor ille ex quo fit tumor, crudus est crassus & durus atque etiam frigidus, ideóque ad concoctionem ineptus, itáque mirandum non est, si tumor ille suppurationi contumax, seriùs longóque temporis progressu in pus verta-

tur. Vt autem celerius ſuppuret, cataplaſmatis vſus neceſſarius erit, huiuſmodi tumores appellat Hippocrates οἰδήματα ὠμὰ, id eſt, ἄπεπτα tumores crudos & incoctos aphoriſmo 67. libri quinti, & malos eſſe dicit cum vlceribus ſuperueniunt. Vulnus autem quod ob inflammationem intumuit, ſi cum vicinæ partes remiſſa inflammatione, & diſcuſſis humoribus, ſubſidunt & detumeſcunt, non etiam reſidat, agglutinationem impedire ſolet, quoniam vt inquit Galenus libri tertij therapenticæ methodi capite octauo, fieri non poteſt, vt in vlcere vel carnis productio, vel ſinus impletio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio rectè vnquam cedat, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat, & temperatam carnem ſubiectam eſſe oportet, ad vlcera tùm glutinanda, tùm carne implenda, capite primo libri quarti methodi. Si quis autem obijciat ex aphoriſmo 65. libri quinti: Tumores in vlceribus apparentes, ſi derepente euaneſcant, conuulſionem, maniam, aliáque peſſima ſymptomata afferre, hîc autem permanentes in vlceribus tumores, agglutinationem impedire, & hinc colligere velit, neque bonum eſſe tumores euaneſcere in vlceribus, neque permanere, dic Hippocratem in aphoriſmis agere de tumoribus qui repente deliteſcunt, & quorum materia non reſoluitur, ſed fertur ad partes internas & nobiles, hic autem loqui de tumoribus, qui idoneis adhibitis remedijs curantur & finiuntur.

Ὅσα δὲ πιπτόντων ἢ ἄλλῳ τρόπῳ διακόπτεται, καὶ θλᾶται, καὶ ἀνοιδίσκεται, τὰ περιέχοντα τὸ ἕλκος, καὶ διὰ πυήσαντα, πύον ἀπὸ τῶν οἰδημάτων ἀποχωρέει κατὰ τὸ ἕλκος, τῶν τοιούτων ὅτι ἂν δοκέῃ δεῖσθαι καταπλάσιος, οὐχ ἐχρὴ αὐτὸ τὸ ἕλκος καταπλάσσειν, ἀλλὰ τὰ περιέχοντα, ὅκως τὸ πύον ἀποχωρέῃ, καὶ τὰ σκληρυνόμενα λαπαχθῇ.

QVæcumque caſu, aut alio quouis modo præciduntur, & colliduntur, & intumeſcunt, vicinæ vlceris partes cum ſuppurauerint, pus ex tumoribus ad vlcus transfundunt, in talibus cùm cataplaſmatis vſus neceſſarius videbitur, non ipſum vlcus cataplaſmate nutrire oportet, ſed vicinas partes, vt pus effluat, & dura emolliantur.

QVæ neceſſaria ſunt, & magnam noxam afferunt neglecta, ſatius eſt bis térve, vt fidelius memoriæ inhæreant, repetere, ait Galenus libro quarto κατ' ἰητρ. Idcirco repetit Hippocrates quod ſupra etiam dixit, vlceri non eſſe cataplaſma imponendum, cùm pus mouendum eſt; ſed vicinis partibus, vt pus liberum exitum habeat, nec intra vlceris labra ſupprimatur, quia non ſolum inflammationem auget, ſed vicinas etiam partes corrumpit. Nemo autem exiſtimet idcirco hunc librum ab Hippocrate mini-

me fuisse correctum aut perpolitum, quod idem bis & iisdem fere verbis repetatur, non enim antea de vulneribus quæ fiunt casu, lapsu aut offensione egerat, sed de iis quæ fiunt a telis acutis obtusis & similibus, obseruare enim solemus quo teli genere vulnus sit inflictum, adeo vt acuto telo quàm retuso vulnerari sit commodius, & peius est quod collisum, quàm quod discissum tantum, ex Celso libri quinti capite 26. Sic etiam Hippocrates libro περὶ ϛωμάτων, ad vulnerum capitis dignotionem & distinctionem, non solùm iactum aut ictum considerat, sed etiam lapsum & casum. Sic ex cadentibus quicumque ex altissimo locó in durissimum & obtusissimum decidit, magis vulneratur & colliditur, quam qui ex æquali magis loco, in mollius quippiam decidit, & quod durissimum, obtusissimum, grauissimúmque ex altissimo loco decidit, magis sauciat & collidit, quàm quod leue & molle, ex æquali loco. Vulnus autem contusum quacunque ex causa excitetur, quàm celerrime suppurandum est, vt ab inflammatione minus vexetur. Auicenna libri quarti fen. 4. tractatu 2. capite 4. Casum & offensionem lædere dicit corpus cum contusione & attritione. Verbum autem postremũ, quo vtitur, vacuare proprie significat, sed pro μαλαχθῆναι, quo vsus est sententia quinta huius libri, nunc sumitur, quod etiam notat Galenus in exegesi linguarum Hippocratis, λαπαχθῆναι, κυρίως μὲν τὸ κενωθῆναι, διὰ τοῦτο δὲ καὶ τὸ μαλαχθῆναι.

Ε'πειδὰν

Ἐπειδὰν δὲ λαπαχθῇ, καὶ ἡ φλεγμασίη παύσηται, ἔπειτα ἀφεστηκότα σπόγγους ἐπιδέων προσιστάναι, ἀρχόμενος ἀπὸ τοῦ ὑγιέος ὀλίγον προσχωρέων, ἐπὶ δὲ τῷ σπόγγῳ ἄνωθεν φύλλα ἐπέστω συχνά, ὅτι δ' ἂν μὴ δύνηται προσφῦναι ἡ σὰρξ ὑγρὴ ἐοῦσα αἰτίη ἐστὶ, ταύτην ἐκβάλλειν.

POstquam autem emollita fuerint, & inflammatio cessarit, tunc cogere oportet quæ abscesserunt alligatis spongijs, initio ducto a parte sana, paulumque procedendo. Super spongiam autem multa folia imponantur. Si quid autem coalescere non potest, causa est caro humida, hancque detrahere necesse est.

CVm tumor ex lapsu, casu aut offensione exortus in vicinis vlceris partibus, emollitus aut euacuatus fuerit, sublatáque inflammatio, púsque ex tumore ad vulnus ipsum transfusum fuerit & exitum habuerit, partes abscessus in quibus collectum pus continebatur, a se distant, quas cogere oportet, & impellere, vt sese contingant & coaptentur, & ita agglutinentur. Id fit alligatis spongijs, & initio ducto a parte sana, hanc vinciendi rationem declarat Hippocrates secundo libro de officina medici sententia 27. Quæ abscesserunt, ait eatenus deliganda

funt,vt quæ fublimia funt,fedem contingant, at non premant,incipiendum vero a parte fana, & qua vlcus eft,finiendum, vt quod fubeft, effundatur, neque aliud vltra cocat, & Galenus in commentario,id dictum putat de tumoribus,ab ijs enim faniem effundi oportet,& glutinationis tempore nullum fuccum concurrere ad partem, quod fane continget, vbi imum finum aftringamus, dum comprimatur: tùm paulatim vinculum laxemus, vfque ad os finus, quod feruari apertum debet, & ἐν τῷ σχήματι καταῤῥόπῳ id eft, in fitu decliui. Suadet deinde vt paulum procedat vinculum, id eft vt paulum circumeat fuper fanam partem, eft enim τὸ καθόλου παράγγελμα, commune & perpetuum illud præceptum, vt vincula non parùm occupent fanæ partis, aut non parùm fuper integram partem ferantur, commentario in fententiam 22. libri tertij de fracturis. Memineris autem in tumoribus & abfceffibus vinculi initium effe a parte fana, in fracturis verò a parte læfa. Dum dicit, σπόγγῳ ἄνωθεν φύλλα ἔπεσω συχνά, fortaffe melius legeretur ἰχνά, vt fupra fententia octaua idem confuluit. Si quid coalefcere non poteft, impedimento eft caro madens & humida, nam vt dixit fupra fententia 15. vlcera non purgata glutinari non poffunt, quoniam humiditas in medio pofita continuitatem impedit, quam detrahendam præcipit, quod fit fcalpello, vel medicamentis exedentibus, fi nimium fupercreuit, vel deficcantibus, fi caro fit hebes & humida citra ὑπερσάρκωσιν.

Ἢν ὑπὸ βαθείῃ σαρκὶ τὸ ἕλκος ἔῃ, κατ᾽ ἄμφω, κἀκ τῆς ἐπιδέσιος, κἀκ τοῦ προσπιέσοντος ὑποκυρτοῦται, τὸ δὴ τοιοῦτον ἄν τις τάμνῃ πρὸς μήλην, ἢν ἐνδέχηται εὔροον, ἀπὸ τοῦ στόματος τὸ ἕλκος ἀνατάμνειν, ὅπῃ ἂν δοκέῃ καιρὸς εἶναι, καὶ οὕτως ἰητρείῃ προσφέρειν ὁκοίης δ᾽ ἂν δοκέῃ προσδεῖσθαι.

SI ſub profunda carne fuerit vlcus, vtrinque & ex vinculo & ex compreſſione ſubincuruatur, tale vlcus ſi quis admoto ſpecillo ſecet, ſi fieri poſſit fluxui accommodatum, ab ore reſecandum eſt, vbi opportunum videbitur, tuncque id remedij genus afferre conuenit, quo potiſſimum videbitur indigere.

POſt curationem abſceſſuum, de ſinu diſputat, eſt autem κόλπος ſiue ſinus, venter & obtecta laténſque capacitas expurgato abſceſſu manens, diſtat autem curatio abſceſſuum à curatione ſinus, abſceſſibus enim expedit priúſquam ad maturitatem peruenerint, nihil effundi, contra in ſinibus nihil intus relinqui, prætere a abſceſſibus nullo ore prorſus eſt opus, ſinus os requirunt, ídque apertum. Item quæ abſcedunt ſub calido cataplaſmate, & madefaciendi vim habente, coqui debent, ſinus per vehementer ſiccantia puros reddere ſiccóſque oportet,

ait Galenus commentario in ſententiam 30.libri ſecundi de officina medici. Vlcus ſub altiori carne dùm alligatur & comprimitur, in tumorem curuum & flexuoſum attollitur, quia humor confluens liberum habère non poteſt exitum. Vlcus autem quod cuti proximum eſt, aut quod ſub modica carne eſt, non ita cito intumeſcit, quia materia quæ attrahitur, per os facile effluit. Quod in contextu legitur ὑποκυρσοῦται, mendoſum eſt, nec eſt, quod putat vidius aſſurgere in ſpeciem varicis, ὑποκυρτοῦται legendum videtur, & ſic etiam Hippocrates prognoſtico 36.libri primi, διαπυήματα ἐς ὀξὺ ἀποκυρτούμενα, vocat ſuppurationes in acutum tendentes, curuatas aut faſtigiatas. Tale vlcus ſub profunda carne latens, admoto ſpecillo ab ore reſecandum eſt, vt humores qui influunt & retenti partes etiam ſanas corrodunt, exitum habeant. Non autem omne eiuſmodi vlcus ſectionem poſtulat, ſed illud tantum cuius ſinus in imo eſt, os autem in ſublimi, nec conueniens figura poteſt dari, vt effundantur humores, quos vinculum & compreſſio attrahunt. Galenus ſecundo ad Glauconem copioſè rem iſtam diſtinxit. Cùm ad locum ſuperiorem ſinus extenditur, facile per os vitiatus humor elabitur. Si verò vergit ad ima, cum intus retineatur, partem aliquam continuam erodit, in his quidem ſinibus, niſi prius ad effluxum feceris ſectionem, nihil proficies, neque enim carnem generare, neque cùm agglutinare volueris, in alijs vero non eſt opus ſectione, ſi modo conuenientem figuram in parte patiente ſeruaueris, ex qua figura potes aliquando ſinum

ad partem ſuperiorem vergentem, facere ad inferiorem declinare, ac contra vergētem ad ima, conuertere ad ſuperiora, vidiſti me igitur ſinum in brachio exiſtentem, cuius os erat prope cubitum, figura in ſuperiora tendente ſanaſſe, ſine vlla alia facta ex aduerſo ſectione, & in coxa ſimiliter figura ſinus ad ima vergente, cum ſinus verſus genu quidem terminaret, altius vero os, media coxæ regione ſuperius, ſine vlla ex aduerſo diuiſione, ſimiliter vidiſti factam eſſe curationem, ſubijciente me popliti ceruical molle, vt inferiorem ſitum haberet inguen quàm genu. Vlcus autem ab ore reſecatur, cum tota cauitas ſectione nudatur, vt vult Hippocrates. Galenus autem ex aduerſo ſectionem parat, & in imo emiſſarium facit, quo humoris effluxum molitur. Solétque fieri hæc ex aduerſo ſectio, cum vlcus magnum eſt, & locus totus ſine periculo ſecari non poteſt. Vbi ſectum fuerit vlcus, ea remedia oportet adhibere, quæ vlceri potiſſimum conueniunt, ſiue detergentia, ſiccantia, ſarcotica, aut ſimilia.

Ὡς δὲ τὰ πολλὰ ἐπὶ παντὶ ἕλκει ὅτι ἂν κοιλίην ἔχῃ πρὸς τὸ ὀξὺ, καταφανέα ἰδεῖν, οἰδήματος μὴ προσεόντος, ἢν μὴ εἴη ἐν αὐτῷ σηπεδὼν, ἢ ἡ σὰρξ ὑπέη μυδῶσα καὶ σαπρὴ, ἔσται τοῦτο τὸ ἕλκος, καὶ τὰ περιέχοντα τὸ ἕλκος ἰδεῖν μέλαινα ὑποπέλια, καὶ τῶν ἐσθιομένων ἑλκέων, ὅπη ἂν φαγέδαινα ἐνέη, καὶ ἐσχυρότατά τε νέμεται καὶ ἐσθίει, καὶ ταύτῃ τοῦ ἕλκεος τὸ περιέχον χροιὴν ἕξει μέλαιναν ὑποπέλιον.

PLerumque in omni vlcere quod ſinum rectum habet, facile perſpici poteſt, tumore non præſente, an ſit in eo putredo, vel ſubſit ne caro hebes & putris, hocque vlcus & vicinæ partes colore nigro & ſubliuido apparebunt. Inter vlcera verò exedentia, vbi affuerit phagedæna, vehementérque depaſcitur ac exedit, tunc quæ vlcus continet pars colorem referet nigrum ſubliuidum.

REſecandum eſt vlcus profundum, non ſolùm vt ſit εὔεϱον, & ad effluxionem accommodatum, ſed etiam vt facta ſectione idonea remedia poſſint admoueri, non enim facile eſt perſpicere quid intus in ſinu lateat, quod quamuis videri poſſit in ſinu recto, in alijs tamen difficillimum eſt, neque enim omnis ſinus ſimplex eſt & rectus, ſed variæ ſunt differentiæ. Sunt quidam duplices triplicéſve, alij tortuoſi vel flexuoſi, alij ad latus tendentes, alij ſurſum, alij deorſum, alij altius penetrantes, alij iuxta cutem deſinentes, alij magni, alij parui, & plures aliæ differentiæ. Cum ergo in vlcere quod ſinum habet rectum, perſpicimus tùm partem vlceratam, tùm partes vicinas nigras, aut ſubliuidas, indicium erit aut putredinis, aut carnis putreſcentis, aut nimia humiditate marceſcẽtis nigrum enim aliquid fit, ἢ διὰ τὴν ψύξιν ἴσχυϱαν, ἢ διὰ ὑπεϱβάλλουσαν θεϱμασίαν, ait Galenus commentario in prognoſticum 29. libri ſecundi, ob vehementem

frigiditatem qua ratione ſanguis ingreſcit, aut propter exuperantem calorem ſanguis enim niger fit, ſi crematur, quemadmodum & alia omnia corpora, & qui diutius in ſole diuerſantur æſtiuo, nigri redduntur, liuidus autem color indicium eſt languentis facultatis vitalis, & liueſcere ait Galenus commentario in prognoſticum octauum libri ſecundi, ſignum eſt extingui calorem natiuum qui de corde emanat. Quod nos ſinum vertimus, dixit Hippocrates κοιλίω ventrem, præter enim alia ſignificata, κοιλίη etiam apud Hippocratem eſt ἡ τῶν ἑλκῶν κοιλότης, vlcerum cauitas, apud Erotianum, quamuis apud Hippocratem ſe legiſſe neget Foeſius in Hippocratis œconomia, μυδῶσα σὰρξ, dicitur caro in vlceribus nimia vligine marceſcens, & nimio humore liqueſcens, fluxa & hebes, σαπρὴ verò eſt putrida & corrupta. Ἕλκος ἐσθιόμενον, vlcus exedens, eſt quod partem cui inſidet aſſiduè cauat, exeritque, ἕλκος νομῶδες, vlcus depaſcens, eſt quod non ſolùm affectam partem, ſed et vicinas integras abſumit, & depaſcendo depopulatur. Contra nomas & vlcera depaſcentia, poſtea remedia præſcribet ſententia 41. φαγέδαινα aliquando generis nomen retinet, & omne vlcus ſanas partes vicinas arrodens indicat, quodque ſemper maius & deterius fit. Veteres aliquando Chironium, aut Telephium nominabant. Galenus ita diſtinguit ab herpete, quòd herpes vicinas partes arrodens ſit ſoluis cutis exulceratio, φαγέδαινα verò cum cute ſubiectam etiam carnem corrumpat, commẽtario in aphoriſmum 45. libri ſexti, & libro de tumoribus.

Nascitur autem ab humore bilioso, acri, adusto & maligno.

Καταπλάσματα οἰδημάτων καὶ φλεγμασίης τῆς ἐν τοῖς περιέχουσιν, ἡ ἑφθὴ φλόμος, καὶ τῆς τριφύλλου τὰ φύλλα ὠμὰ, καὶ τοῦ ἐπιπτέρου τὰ φύλλα ἑφθὰ, καὶ τὸ πόλιον, ἢν δὲ καὶ καθαίρεσθαι δέῃ τὸ ἕλκος, πάντα μὲν καὶ ταῦτα καθαίρει, ἀτὰρ καὶ τῆς συκῆς τὰ φύλλα, καὶ τῆς ἐλαίης, καὶ τὸ πράσιον, ἕψειν δὲ ταῦτα πάντα, μάλιστα δὲ τούτων ἕψειν τὸν ἄγνον, καὶ τὴν συκῆν, καὶ τὴν ἐλαίην, καὶ τῆς σίδης τὰ φύλλα ὡσαύτως ἕψειν, ὠμοῖσι δὲ τοῖσι δεῖ χρέεσθαι, τῆς μαλαχῆς τὰ φύλλα τρίβων ξὺν οἴνῳ, καὶ τοῦ πηγάνου τὰ φύλλα, καὶ τῆς ὀριγάνου χλωρῆς, πᾶσι τούτοισι χρὴ τοῦ λίνου τὸν καρπὸν φρύξαντα καὶ κόψαντα ὡς λειότατον μιγνύναι.

Cataplasmata tumorum & inflammationis quæ est in partibus circumpositis. Verbascum coctum, & trifolij folia cruda, & epipteri folia cocta, & polium. Si vero purgari oporteat vlcus, cuncta quidem hæc purgant. Sed & fici & oleæ folia, & marrubium. Coquere vero oportet hæc omnia, maxime vero viticem, ficum, & oleam coquere conuenit, eodemque modo mali punicæ folia sunt coquenda. Crudis autem istis

vtẽdum eſt. Maluæ folia cum vino conterito, folia item rutæ atque origani viridis. Omnibus his oportet lini ſemen frictum ac tritum quam leuiſſimè commiſcere.

VLceribus ſolent ſuperuenire tumores, & potiſſimum inflammatio, contra quam remedia nunc præſcribit, remedia autem phlegmones, ſiccioris ſunt facultatis, & compendiaria partium phlegmone obſeſſarum curatio, per ſiccantia præſidia perficitur, neque enim ſicubi cataplaſmate quod calefaciat, humectétve, illinuntur quæ phlegmone infeſtantur, ex prima ratione id fit, hoc eſt vt remedium affectus, ſed vt ſymptomatis mitigatio, & curatio phlegmones per hordei farinam, dolorem lenire ſtudentis eſt, non medentis, & contra malum pugnantis, ſiue ἐκ τοῦ παρηγορητικοῦ τρόπου τῆς τέχνης ἐστὶν, οὐ τοῦ θεραπευτικοῦ τὲ καὶ ἀγωνιστικοῦ, vt loquitur Galenus capite quinto libri quarti methodi, vbi hunc Hippocratis locum citat, dicítque ἅπαντα ταῦτα ξηραίνειν πεφυκέναι, omnia hæc ſiccandi vim habere, φλόμος, verbaſcum vim habet in folijs deſiccandi & detergendi. Galeno libro octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, cocta verbaſci folia in aqua aduerſus tumores, & oculorum inflammationes illinuntur. Dioſcoridi libri quarti capite 99. Vbi etiam ſcribit Silueſtris verbaſci folia ambuſtis igne cataplaſmata eſſe. Τρίφυλλον, trifolium vim habet calidam & ſiccam, Galeno ibidem. In codice Hip-

pocratis græco Basiliēsi & veneto, legimus φύλλα ἐπιπέτρου. In libro quarto methodi Therapenticæ, φύλλα ἐπιπέτρου. Dioscorides, Galenus, Paulus neutrius meminerunt. Non consentiunt etiā interpretes latini. Galeni interpres epipetri nomen retinet, Cornarius Hippocratis interpres ligustrum vertit. Vidius ἀείζωον. Apud Theophrastum, ἐπιπέτρου βοτάνης εἶδος. Epipetrum autem si cum Galeno retineamus, non est ἀείζωον, neque ligustrum, cum scribat Plinius capite 15. libri 21. Acinon herbam vocari epipetron. Acinos autem quæ etiam ἄκονος à græcis dicitur, herba est ocimo similis, odorata sed hirsutior, vt ait Dioscorides libri 3. capite 43. Πόλιον, Polium viride magna vulnera glutinat, aridum cum fuerit rebellia vlcera sanat illitum. Galeno libro 8. de simplicium medicamentorum facultatibus. Dioscoridi duplex polium, vnum montanum, alterum fruticosius, quod illitum vulnera conglutinat, libri tertij capite 107. Proponit aliud cataplasma ex folijs fici, oleæ & marrubij, quod & vlceris siccandi & purgandi vim habet, folia ficus vlcera purgant, desiccant, & carne implent, & potissimum lixiuium & cineribus ficus compositum, crematis ramorū cauliculis, quod etiam vim habet medicamenti enæmi. Dioscoridi libri primi cap. 145. ficus arbor, calida, tenuiumque partium temperamenti est. Galeno libro octauo de simplicium medicamentorum facultatibus. Oleæ rami & astrictionis & frigiditatis sunt participes, galeno ibidem. Dioscoridi vero libro primo, folia oleæ astringunt & vlcera sordida purgauit, & ea quæ serpunt, cohi-

bent. Πράσιον siue marrubium calidum ordine secundo iam completo, siccum vero ordine tertio, medio aut completo, vim habet detergendi & digerendi galeno ibidem, folia cum melle illinuntur sordidis vlceribus purgandis: Dioscoridi libro tertio, de prassio sic scribit Apuleius Platonicus marrubium in aliquo folio in volue, vt coquatur in cinere, tere cum axungia & impone, omnia vulnera curat. Ἄγνος id est castus, quòd matronæ in thesmophorijs, id est sacris Cereris Athenis castitatem custodientes, folijs huius cubitus sibi sternunt, vitex latinis, frutex est in arborem assurgens, est autem calidus, siccus, non mediocriter, sed tertio excessu, tùm admodum tenuium partium. Galeno libro sexto de simplicium medicamentorum facultatibus, & Plinio libro 24. capite nono. Σίδη ἡ ῥοιά, malum punicum, siue malus punica, cuius folia astringentem vim habent & siccantem, in malo punico multa considerantur, & in medicina locum habent, in quibus priscorum medicorum curam diligentiámque mirari licet, qui omnia scrutati nihil intentatum reliquere, malorum autem punicorum plura sunt genera. Plinio nouem, libri 23. capite 6. Dioscorides vero in tria genera redegit, libri primi, capite 127. & Galenus etiam libro octauo de simplicium medicamentorum facultatibus, nempe in dulcia, acida, & mista siue vinosa. Sunt præterea in malo punico, acinus, nucleus, malicorium, cytinus, balaustium. Ex acinis maturis a corio & membrana diligenter purgatis exprimitur vinum ad multa vtile, nuclei acinorum acidi punici, in sole

ficcati, & obſonijs inſperſi concoctione fluentem aluum ſiſtunt, cæleſti aqua madeſcunt, bibuntúrque commodè ſanguinem excreantibus, expreſſus nucleorum ſuccus coquitur cum melle, adoris vlcera, malicorium aſperum eſt mali punici putamen, ſidion appellat Hippocrates ſententiâ 27. huius libri. Cortice punici ex vino decocti & impoſiti, perniones ſanantur. Plinio ibidem. Cytinus flos eſt ſatiuæ mali puniciæ, balauſtium Sylueſtris Dioſcoridi. Plinio vero primúſpomi huius partus florere incipientis, cytinus vocatur græcis miræ obſeruationis multorum experimento, in hoc ipſo cytino floſculi ſunt antequam malum ipſum prodeat erumpentes, quos balauſtium vocant, hos quoque experti, inuenerunt ſanare oris vlcera, tonſillas, vuam, ſiccauere etiam, vt ſic quoque experirentur & inuenerunt tuſorum farina dyſentericos a morte reuocari. Poſtremum cataplaſma fit, ex folijs maluæ, rutæ, origani, cum vino tritis, quibus addit lini ſemen toſtum, ac tuſum, malua digerentis, & emollientis eſt facultatis, modicum vero & quaſi tepidum quendam calorem obtinet. Ruta tertio ordine calefacit & valenter deſiccat. Galeno 8. libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Origanum calefacit & extenuat, ibidem. Lini ſemen in primo ordine, quodammodo calidum, & in medio eſt humiditatis & ſiccitatis, excrementitia tamen humiditate abundat, ex Galeno libro ſeptimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Idcirco Hippocrates fricto ac trito vtitur. Propoſuit autem tres cataplaſmatis formas, quoniam Aſcle-

piades contendit vltimæ fortis esse medicum, qui non ad singula quæque vitia, binas ternásve compositiones, & expertas protinus paratas habeat, ait scribonius Largus in præfatione libri de compositionibus medicamentorum.

Ὅκου δὲ ἐρυσίπελας κίνδυνος ἐφ' ἕλκεσι γενέσθαι, τῆς ἰσάτιδος τὰ φύλλα τρίβων ὠμὰ καταπλάσσειν σὺν τῷ λίνῳ, ἢ τὸ λίνον δεύων στρύχνου χυλῷ, ἢ ἰσάτιδος καταπλάσσειν, ὅταν δὲ τὸ ἕλκος καθαρὸν μὲν ἔῃ, φλεγμαίνει δὲ τότε ἕλκος, καὶ τὰ περιέχοντα τοῦ ἕλκεος, φακὸν οἴνῳ ἑψήσας καὶ τρίψας λεῖον, ἐλαίῳ ὀλίγῳ φυρήσας καταπλάσας ἐπιδεῖν, καὶ τοῦ κυνοσβάτου ἑψήσας τὰ φύλλα ἐν ὕδατι τρίψας λεῖα καταπλάσσειν, ὀθόνιον ὑποτείνας λεπτὸν, καθαρὸν, οἴνῳ καὶ ἐλαίῳ τέγξας, καὶ ὅταν ξυνάγειν βούλῃ, τοῦ κυνοσβάτου τὰ φύλλα, ὥσπερ τὸν φακὸν σκευάζειν, σαυείδιον, οἶνος, καὶ λίνου καρπὸς παραμίγνυται λεπτὸς, καὶ τόδε, ὁ τοῦ λίνου καρπὸς, καὶ ἄγνος ὠμὸς, καὶ μηλεία συπληείη, ὄξει ταῦτα δευθέντα.

CVm periculum fuerit, ne vulneribus superueniat erysipelas, glasti folia contrita cruda imponito cum lino, aut linum subactum cum solani vel glasti succo imponito. Quùm autem vulnus purum quidem fuerit, sed inflam-

matione tenetur tùm ipſum, tum vicinæ vulneris partes, lenticulam in vino coctam ac bene contritum oleo modico reſperſam vbi impoſueris, alligato. Et rubi canini folia in aqua cocta ac bene trita cataplaſmatis modo admoueto, ſubextento linteo tenui, puro, quod vino & oleo madefeceris. Et cum in vnum adducere voles, canini rubi folia veluti lenticulam præparato. Naſturtium, vinum, lini ſemen tritum inter ſe miſcentur, & hoc, lini ſemen, & agnus crudus, & melinum alumen ex aceta ſubacta.

ERyſipelas non longe a phlegmone abeſt, naſciturque ex bilioſo ſucco, communia phlegmones & erypelatis ſigna ſunt tùm tumor qui præter naturam ſit, tum vero calor, diſſident vero inter ſe primùm & maxime colore, quando ſi is ruber ſit, phlegmonem vitium appellant, ſin pallidus flauúſve vel ex pallido flauó ve colore miſtus, eryſipelas, præterea pulſatio magnæ phlegmones proprium eſt ſymptoma, quippe quæ alte magis in corpus demittitur, eryſipelas vero in cute potius conſiſtit, quàm altè deſcendit, tenuis namque ſubſtantiæ eſt pallidæ bilis humor, itaque facile ad ipſam cutim transfluit, carnóſis, rariſque corporibus tranſmiſſis. Cutis vero denſitas non eſt huic bili peruia, niſi ſi admodum tenuis aquoſaque ſit, talis namque maxime eſt etiam quæ quotidie cum ſudore exit,

primo

primo capite libri 14. therapenticæ methodi. Cùm autem præcedenti sententia docuerit, quibus remedijs sit vtendum in curanda inflammatione, quæ vulneribus vlceribúsve superuenit, nunc declarat quomodo occurrendum sit erysipelati, cum periculum est ne vulneri superueniat. Satius est autem imminens erysipelas præcauere, quàm præsens curare. Periculum est ne superueniat erysipelas cùm temperamentum ægrotantis biliosum est, cum anni constitutio bilis est procreatrix, cum humor ad vlcus confluens, biliosus est, cùm sentitur circa vlcus calor, & color flauus vel pallidus apparet, tunc ex consilio Hippocratis, glasti folia contrita cruda cum lino imponenda sunt. Glastum autem satiuum quo infectores lanarum vtuntur, facultatis est desiccantis atque astringentis, eius folia illita tumores omnes discutiunt, ignem sacrum sanant. Dioscoridi libro 2. cap. 180. Cùm valentiùs desiccat, quàm laborantis natura requirat, folijs eius tritis miscet Galenus panem, hordeaceam farinam, aut triticeam, aut polentam, libro sexto de simplicium medicamentorum facultatibus. Hippocrates vero lini semẽ miscet, quòd vt diximus, excremẽtitia humiditate abundat, & ita siccantem facultatem glasti temperat. Glastum contra ignem sacrum radice & folijs prodest. Plinio libri 20. capite 7. vbi glastum quartum lactucæ genus constituit, & isatim tertium. Secundum cataplasma ex lini semine subacto cum solani succo, vim habet refrigerandi & leniter astringendi siue repellendi, cum succo glasti magis desiccat. Τρύχνον Galeno, Hippocrati

præpoſito σ, σρύχνον, vt etiam Dioſcoridi, & σρύχνος, latinè ſolanum dicitur, ſunt autem quatuor genera, hortenſe, halicacabon, ὑπνωτικόν, & μανικόν, hîc autem hortenſe intelligēdum, quod vim habet refrigerandi, & aſtringendi ordine ſecundo, vulgus morellam vocat. Plinio libri 27. capite 13. Solanum græci ſtrychnon vocant, vt tradit Cornelius Celſus, huic vis reprimendi, refrigerandiue; hic locus eſt apud Celſum libri ſecundi capite vltimo. Si quis obijciat eryſipelata requirere quæ refrigerant cum humiditate, non autem quæ aſtringunt, quia magna aſtrictio eryſipelata promouet, vt quæ calorem ipſorum cutem denſando includat, ex libro primo κατὰ γένη, & idcirco glaſtum quod deſiccat & aſtringit, minime commodum eſſe eryſipelati remedium. Hippocrates etiam non adhibet eryſipelati iam facto, ſed cùm periculū eſt ne ſuperueniat, quēadmodum autem inflammationes exiſtimandæ non ſunt, quæ duritiem quandam ac nigrorem in partibus reliquerunt, neque eryſipelas, ſi iam liuorem contraxit, ſic nec ante generationem aut phlegmone aut eryſipelas dicitur, nec vt iam phlegmone aut eryſipelas curatur, ex libro ſecundo ad Glauconem. Hactenus propoſuit remedia contra phlegmonem & eryſipelas quæ ſuperueniunt vlceribus ſordidis, quoniam hæc omnia remedia etiā purgandi vim habēt. Nunc autem præſidia præſcribit, quæ inflammationi idonea ſunt, cum vlcus purum fuerit, huiuſmodi eſt lenticula in vino cocta, & bene contrita, oleo modico reſperſa. Lentes autem Galeno aſtringunt & deſiccant, & medium tenent cali-

ditatis & frigiditatis, libro octauo de simplicium medicamentorum facultatibus, vinum nigrum & austerum in quo coquitur lenticula, facultatem desiccandi & astringendi auget, exiguum oleum inspergit, vt melius misceatur; vtque dolorem leniat. Aliud cataplasma describit ex folijs rubi canini in aqua coctis & contritis, quod vim habet astringendi, & si folia coquãtur cum vino nigro & austero vim habent agglutinandi. Superextendit autem linteum tenue & purum, vino & oleo madens, vt temperiem partis conseruet; & vt ex siccitate linteorum minimè inflammetur vulnus, vtque dolor leniatur. Nam vt ait Galenus commentario in sententiam 71. libri secundi de fracturis, oleum dolorem leuat, & discutiendi vim habet. Vinum siccare potest, repellere, concoquere, item mollire & digerere, vt ergo exhauriat, quod in tumida parte subsistit præter naturam, vtitur digerentibus aut reprimentibus, at lenientibus eo nomine, quòd prohibent, ne materia præ dolore, ad vitiatam sedem concitetur, atque ob hanc causam, lenius digerentia ac reprimentia ad inflammatam partem admouemus, nam quæ horum vtrumque fortiter præstant, dolorem irritant. Duo postrema cataplasmata gluttinandi vim habent, σαυρίδιον autem Galeno in exegesi, est, καρδάμον ἀπὸ τῆς κατὰ χρῶμα ὁμοιότητος, a similitudine, quam habet cum lacerto, saltem in colore, qui ex virore pallescit, Sauridium est nasturtium, cuius semen adurentis & causticæ est facultatis, herba arefacta similem vim possidet, humida vero adhuc & viridis propter aquæ humiditatis admistionem,

multo inferior est ſemine, quam etiam intelligit Hippocrates, temperatur autem vino auſtero & lini ſemine. Στυπτηρίη, alumen, nomen græcum habet ab aſtrictione, nam adeſt illi vehementiſſima, ait Galenus libro nono ſimplicium, & Plinio libri 35. capite 15. Omnium generum aluminum vis eſt in aſtringendo, vnde nomen græcis, optimum ex omnibus, quod Melinum vocant ab inſula Melo.

Ὄμφακα λευκὴν ἐς χαλκεῖον θλίψας ἐρυθρὸν, διηθμοῦ πρὸς ἥλιον τιθέναι τὰς ἡμέρας, τὰς δὲ νύκτας αἴρειν, ὅκως μὴ δροσίζηται, ἀνατρίβων δὲ τῆς ἡμέρης ἀπαύστως, ὡς ὁμαλῶς ξηραίνηται, καὶ ἀπὸ τοῦ χαλκείου ὡς ὅτι πλεῖστον ἀναλαμβάνειν, τιθέναι δὲ ἐς τὸν ἥλιον τοσοῦτον χρόνον, ἔστ' ἂν παχὺ γένηται, ὥσπερ μέλι, ἔπειτα ἐς χύτρην χαλκῆν ἐγχέας, καὶ μέλι ὡς κάλλιστον, καὶ οἶνον γλυκὺν, ἀναφεψήσας πρότερον ῥητίνην τερμινθίνην, ἕψειν δὲ τὴν ῥητίνην ἐν τῷ οἴνῳ, ἕως ἂν σκληρὴ γένηται, ὥσπερ μέλι ἑφθὸν, ἔπειτα τὴν μὲν ῥητίνην ἐξελεῖν, τὸν δὲ οἶνον ξυγχέαι, ἔστω δὲ πλεῖστος μὲν ὁ χυλὸς τῆς ὄμφακος, δεύτερος δὲ ὁ οἶνος, τρίτον δὲ τὸ μέλι.

Vam albam immaturam in vaſe æris rubri contuſam, colatámque, interdiu ſoli exponito, noctu vero auferto, ne rore aſpergatur, interdiu aſſidue

terito, vt æqualiter ſiccetur, & ex vaſe æneo quamplurimum aſſumat. Tandiu autem ſoli exponenda eſt, donec craſſa fiat inſtar mellis, deinde in ollam æneam infundēda, melque quàm optimū, & vinum dulce, ſed coquenda prius in vino reſina terebinthina donec dura fiat inſtar mellis cocti, tumque reſina eximenda, vinum vero infundendum. Sit autem maxima portio ſucci vuæ immaturæ, tum vini, deinde mellis.

OMphacij epuletici deſcriptio eſt, quam accurate admodum proponit Hippocrates, ἐπουλωτικὸν autem pharmacum, & cicatricem inducens, ſiccum eſt & aſtringens, nam quia cutis carne ſiccior & denſior eſt, qui carnem cuti perſimilem reddere cupiet, eam cōtrahat, conſtringat, dēſet & calli inſtar induret neceſſe eſt, quippe cum cutis velut in callum durata caro ſit. Epuloticum autem remedium ſiccius eſſe debet colletico & agglutinante, capite quinto libri tertij methodi, hæc autem compoſitio ſiccans admodum & conſtringens eſt, ὄμφαξ ſiue vua immatura & potiſſimum alba conſtringens admodum eſt, ea in prima lanugine demetitur ante carnis ortum, contunditur in vaſe æris rubri, vt facultatem æris contrahat, quod aſtringit, reprimit, exſiccat, vlcera purgat, cicatricem inducit. Dioſcoridi libri quinti cap. 6. Colo exprimitur, eiuſque melligo colligitur, interdiu ſoli exponitur, vt

coquatur & cogatur, noctu autem summouetur, quia nocturni rores cauendi, Plinio, noctúque à subdialibus locis in tectum referenda, quandóquidem nocturni rores omphaciũ concrescere non sinunt, Dioscoridi. Interdiu assiduè teritur, vt æqualiter siccetur, & facultatem æris contrahat, sempérque quod ceruici vasis concretum hæsit, reliquo humori permiscendum, tandiu autem soli exponenda, donec mellis crassitudinem habeat, quo tempore in ollam æneam infunditur, & simul mel optimum, & vinum dulce, mel autem Galeno desiccat & calefacit ordine secundo libro 7. de simplicium medicamentorum facultatibus. Vinum dulce idem præstat, in vino incoquit resinam terebinthinam, vt vinum aptius sit ad glutinandum constringendum & desiccandum. Ita autem miscet hæc tria, omphacium, vinum, & mel, vt maxima sit portio omphacij, deinde vini, tùm minimum mellis adijciatur.

Καὶ σμύρναν τὴν σακτὴν, καὶ ἄλλως ὡς βελτίστην τρίψας λείην, καὶ διέεσθαι τοῦ οἴνου τοῦ αὐτοῦ παρεγχέοντα κατ᾽ ὀλίγον, ἔπειτα ἕψειν αὐτὴν ἐφ᾽ ἑαυτῆς τὴν σμύρναν ξὺν τῷ οἴνῳ ἀνακινέοντα, ὅταν δὲ δοκέῃ ἤδη καλῶς ἔχειν τὸ πάχος, ξυγχέαι ἐς τὸν χυλὸν τῆς ὄμφακος, καὶ νίτρον ὡς ἄριστον φρύξας ἡσύχως μιγνύναι ἐς τὸ φάρμακον, καὶ ἄνθος χαλκοῦ ἔλασσον τοῦ νίτρου, ταῦτα δὲ ἐπειδὰν μίξῃς, ἕψει μὴ ἔλασσον τριῶν ἡμερέων ξύλοισι συκίνοισιν ὡς ὀλίγον

ὑποκαίοντα, ἢ ἄνθραξιν, ὡς μὴ φρύγηται, καὶ ἐμβαλλόμενα πάντα ἄνυδρα ἔστω, καὶ τὰ ἕλκεα μὴ τεγγέσθω, ὅπη ἂν ἐπαλείφηται τοῦτο τὸ φάρμακον, χρῆσθαι δὲ τούτῳ τῷ φαρμάκῳ πρὸς πεπαλαιωμένα ἕλκεα, καὶ πρὸς τὰ νεότρωτα, καὶ ἐς πόσθιον, καὶ ἐς κεφαλῆς ἕλκεα, καὶ ὠτός.

ET myrrham ſtacten, & alioqui quàm optimam leuiter tritam diluere oportet eodem vino paulatim affuſo, deinde ipſam myrrham per ſe coquere cum vino, agitando. Cum verò ad iuſtam craſſitudinem iam perueniſſe videatur, in ſuccum vuæ immaturæ infundito, & nitrum optimum frictum ſenſim cum medicamento miſceto, & floris æris minorem portionem, quàm nitri, hæc vbi miſcueris, coquito non minori ſpatio trium dierum lignis ficulneis leuiter ſuccenſis, aut ad prunas, ne torrefiant. Et omnia quæ inijciuntur ſine aqua ſint, & vlcera ne madefiant, cùm hoc medicamentum admouetur. Vtendum autem hoc pharmaco in vlceribus inueteratis & recentibus, & ad pudendum, & ad capitis & auris vlcera.

ALiud medicamentum proponit, quod cicatrici inducendæ accommodatissimum est, fitque ex myrrha præparata ex nitro, flore æris & omphacio, myrrha autem calefacit & desiccat ordine secundo, Galeno libro octauo de simplicium medicamentorum facultatibus. Stacten vocant myrrham quam sudant arbores sponte prius quam incidantur, cui nulla præfertur, ait Plinius libri 12. capite 15. alijs stacte est pinguissimus ille liquor proueniens ex myrrha expressa. Dioscoridi vero libri primi cap. 67. dicitur quædam myrrha πεδιάσιμος in planicie & solo campestri nata, præpinguis, qua expressa stacte emittitur. Nitrum Galeno desiccat & digerit libro 9. simplicium, frictum autem miscet, quoniam vstione tenuius redditur, est vero nitrum succus concretus sali finitimus, & Plinio libri 31. capite 10. nitri natura non multum a sale distans, nitrum autem optimum est, quod est tenuissimum, maxime spongiosum & fistulosum, flos æris, tenuioris est substantię, quam æs vstum, & astringendi vim habet, aptum remedium cicatrici inducendæ. Hoc autem remedium conuenit vlceribus inueteratis & recentibus, quibus cicatrix est obducenda, & quia ἐπουλωτικὸν pharmacum maxime siccat, potest etiam conuenire vlceribus capitis, & auris, quia siccantia medicamenta requirunt caput, & auris etiam, quæ ex cute & cartilagine componitur circa finem libri 2. de articulis. Aptum est etiā hoc pharmacum vlceribus pudendi, quoniam vt inquit Galenus circa finem libri noni κτ᾽ τόπους, vlcera pudendorum & circa sedem, citra inflammationem

consistentia, resiccantibus valde indigent pharmacis, est autem πόσθιον, vt ait Hesichius, αἰδοῖον ἀνδρεῖον, pudendum virile. Vidius vertit cutem quæ glandē tegit, & legisse videtur πόσθην, quam idem Hesychius dicit esse τοῦ αἰδοίου τὸ δέρμα, pudendi pellem vel præputium, & glandis tegumentum, vel ἀκροπόσθιον, quod Ruffas dicit esse ἔσχατον τῆς πόσθης, extremam præputij partem.

Φάρμακον ἕτερον τῶν αὐτέρων ἑλκέων. Χολὴ βοὸς ξηρὴ, μέλι ὡς κάλλιστον, οἶνος λευκὸς, ἀναψεψῆσαι δὲ ἐν αὐτῷ λωτοῦ τορνεύματα, λιβανωτὸς, σμύρνη ἴση, κρόκος ἴσος, ἄνθος τὲ χαλκοῦ ὁμοίως, τῶν δὲ ὑγρῶν οἶνος πλεῖστος, μέλι δεύτερον, ὀλίγιστον ἡ χολή. Ἕτερον, οἶνος, μέλι, κέδρινον ὀλίγον, τὰ δὲ ξηρὰ, ἄνθος χαλκοῦ, σμύρνα, σίδιον αὖον. Ἕτερον, ἄνθος χαλκοῦ ὀπτὸν, ἡμιμοίριον, σμύρνης δύο ἡμιμοίρια, κρόκου τρεῖς μοῖραι, μέλι ὀλίγον, σὺν οἴνῳ ὀπτώμενα, ἕτερον, λιβανωτοῦ μοῖρα, κηκίδος μοῖρα, κρόκου τρεῖς, τούτων ἕκαστον ξηρὸν τρίψαι ὡς λειότατον, ἔπειτα μίξας, τρίβειν ἐφ' ἡλίῳ ὡς θερμοτάτῳ, παραχέων χυλὸν ὄμφακος, ἕως ἂν ἰξῶδες γένηται ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας, ἔπειτα ἐν οἴνῳ αὐστηρῷ μέλανι εὐώδει παραχέειν κατ' ὀλίγον διεῖσθαι.

Medicamentum aliud ad eadem vlcera. Fel bubulum siccum, mel

optimum, vinum album, in quo loti ramenta ſint cocta, thus, myrrha, crocus æquali pondere, floſque æris ſimiliter, ex liquidis vero maxima ſit portio vini, deinde mellis, minima vero fellis. Aliud, vinum, mel, oleum cedrinum paucum, arida, flos æris, myrrha, malicorium ſiccum. Aliud, floris æris cocti dimidium, myrrhæ duæ dimidiæ partes, croci tres partes, mellis exiguum, hæc cum vino coquantur. Aliud. Thuris pars, gallæ pars, croci tres partes, horum vnumquódque aridum leuiſſimè contunditur, tum mixta in ſole calidiſſimo per tres dies teruntur, affuſo vuæ immaturæ ſucco, donec glutinoſa fiant, deinde in vino auſtero nigro odorato ſenſim affuſo diluuntur.

DVplex eſt inſcriptio huius medicamenti, in exẽplari veneto ſcribitur, φάρμακον πρὸς παλαιὰ καὶ νεότρωτα ἕλκεα, medicamentũ ad inueterata & recentia vlcera. In codice Baſilienſi legitur, φάρμακον ἕτερον τῶν αὐτέων ἑλκέων, medicamentum aliud ad eadem vlcera, quam lectionem nos etiam retinuimus cum alijs interpretibus. Eſt autem hoc medicamentum etiam ἐπουλωτικὸν, quod ex ſimplicibus, quibus conſtat, perſpicuum cuiuis eſſe poteſt, fel bubulum calidum eſt, & ſiccandi vim habet, fel enim quodlibet, ſuccus eſt

in quoque animali calidiſſimus, ouiũ fel acrius eſt ſuillo, hoc magis caprarum, cui aſſimile eſt quodammodo fel bubulum, at taurinum his valentius eſt. Galeno, libro nono de ſimplicium medicament. facultatibus, fel vlcera ſanat & ad cicatricem ducit, & admiſceri conſueuit emplaſtris τραυματικοῖς & vulnerarijs. Dioſcoridi libro ſecundo, & præſertim aridum fel, ſiccando magis eſt idoneum. Siccatur autem hoc modo, fel recens præligato ore folliculi lino, tandiu demiſſum in feruentem aquam, dum quis ſpatium trium ſtadiorum percurſaret, mox exemptum ſiccatur vmbroſo loco, aſperginem non redolente, de felle animalium ſic Plinius libri 28. capite nono, præſtantiſſimi effectus eſt fel animalium, vis eius excalfacere, mordere, ſcindere, extrahere, diſcutere, ſiccatur autem recens præligato ore lino craſſo, demiſſum in feruentem aquam ſemichora, mox ſiccatum ſine ſole, atque in melle conditum. Lotus arbor eſt vaſtæ magnitudinis ferens baccam pipere maiorem. Dioſcoridi, libro primo. Loti fructus ceraſorum pene natura, Plinio, libro 16. cap. 30. eſt autem facultatis aſtringentis, tenuium partium & deſiccantis, galeno libro 7. de ſimplicium facultatibus. Thus ad calefaciendum & aſtringendum valet, caua vlcera complet, & ad cicatricem perducit, cruenta vulnera glutinat. Dioſcoridi libro primo. Galeno autem eodem libro ſeptimo. Thus calefacit ordine ſecundo, deſiccat primo, paululúmque aſtringit. Crocus, Galeno ibidem, calefacit ordine ſecundo, deſiccat primo, & paucam habet aſtrictionem, de melle, myrrha, &

flore ceris dictum prius sententia 25.& 26.huius libri. Vinum album vlcere ad cicatricẽ iam veniente, quod tenue est & oligophoron, dulci præstat. Galeno libri 6. methodi,cap.3.Secundum medicamentum ἐπουλωτικὸν etiam & cicatrici inducendæ idoneum, quoniam ex calidis, siccantibus & astringentibus componitur,de vino quod album assumi debet & de melle dictum prius, quemadmodum etiam de flore æris & de myrrha. Κέδρειον, oleum cedrinum est, vel ipsa cedria, quæ est pix cedri Dioscoridi libro primo: Plinio autem libri 16.capite 11.Pix liquida in Europa è teda coquitur,naualibus muniendis,multósque ad alios vsus, lignum eius concisum furnis vndique igni extrà circumdato feruet,primus sudos aquæ modo fluit canali,hoc in syria cedrium vocatur, cui tanta vis est, vt in Ægypto corpora hominum eo perfusa seruentur, secundus liquor crassior iam picem fundit. Hippocrates libro περὶ γυναικείης φύσιος, miscet cedrinum cum semine præoniæ & in vino bibendum exhibet,& paulo post,butyrum, κέδρειον ἔλαιον ὀλίγον cum melle liquefacit, & tepidum infundit,& Galenus libro 2. κατὰ τόπους dicit rusticos homines solere vti τῷ καλουμένῳ κεδρείνῳ, Cedrino appellato, eóque illinere sinciput, frõtem,meatus auris ad caput calefaciendum, & si quando careant cedrino, assumunt πισσέλαιον, καλοῦσι δὲ οὕτω, τὸ συγκείμενον ἐξ ἐλαίου καὶ πίττης ὑγρᾶς, ita vocant quod ex oleo & pice liquida constat. Cedria autem siue cedrinum oleum vim habet siccandi & calefaciendi σῆψιν, malicorium ob id latini appellant, quia coria maximè vulgus

illo perficere nouit: Plinio libri 23. capite 6. vim habet ſiccandi & aſtringendi, aridum autem ſumit, quoniam aſtrictionem habet imbecilliorem, perit enim humore eius diſcuſſo. Galeno libro quarto κτ᾽ γένη. Tertium pharmacum etiam cicatricem inducit, flos enim æris, myrrha, crocus, mel & vinum aſtringendi & ſiccandi facultatem poſſident, vt antea fuit dictum, memineris autem Hippocratem vti ſæpius vino nigro & auſtero, cum eſt repellendum, glutinandum aut refrigerandum, dulci autem vel albo cum eſt inducenda cicatrix. Illud autem ἡμιμοίειον quo vtitur Hippocrates τὸ ἥμισυ τῆς δραχμῆς, dimidium drachmæ exponit Erotianus, hîc autem dimidiatam partem ſignificat. Poſtremum medicamentum imprimis epuloticum, cùm admodum deſiccans & aſtringens ſit, vt ex ſimplicibus patet. Galla autẽ fructus eſt quercus præter glandem, eáque vehementer aſtringit, Dioſcoridi libro primo. Galeno autem lib. 7. de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Galla quæ omphacitis nuncupatur admodũ deſiccat, & aſtringit, eſtque tertij in deſiccando, ſecundi autem in refrigerando ordinis. Clarum eſt autem, gallam, quæ vocatur omphacitis id eſt immatura, in medicamentis epuloticis ſemper adijciendam, authore eodem Galeno, libro quarto κτ᾽ γένη, cum proponit medicamentum obducendis cicatricibus, ex collectaneis Primionis.

Ἕτερον, ἐν οἴνῳ γλυκεῖ ἕψειν λευκῶ πεύκου ῥίζας, ἐπειδὰν δοκέῃ καλῶς ἔχειν, ἀποχέας τοῦ οἴνου δύο μοίρας, ποιῆσαι τοῦδε καὶ ἀμόργης

ἐλάιου ὡς ἀνυδροτάτου μοῖραν μίαν, ἔπειτα ἑψεῖν, ἀνακινέων ὡς μὴ φρύγῃ μαλθακῷ πυρὶ, ἕως ἂν δοκέῃ τοῦ πάχεος καλῶς ἔχειν. Ἕτερον, τὰ μὲν ἄλλα τὰ αὐτὰ, ἀντὶ δὲ τοῦ οἴνου, ὄξος ὀξύτατον ἔστω λευκόν, ἐμβάψαι δὲ ἐς αὐτὸ, εἰρία ὡς οἰσυπώδεα, κἄπειτα δεύσας τῇ ἀμόργῃ, ἑψεῖν, καὶ ὀπὸν ἐρινεοῦ ξυγχέαι, καὶ στυπτηρίην μηλείην, καὶ νίτρον, καὶ ἄνθος χαλκοῦ, μίξαι ὀπτὰ ἀμφότερα, τοῦτο μᾶλλον τοῦ προτέρου καθαίρει τὰ ἕλκεα, ξηραίνει δὲ τὸ πρότερον οὐχ ἧσσον.

Aliud, radices ilicis in vino dulci albo coquito, cúmque probè tibi videbuntur coctæ, vini huius effusi duas partes sumito, & amurcæ olei quàm siccissimæ partem vnam deinde agitando coquito lento igne ne vrantur, donec iustam crassitudinem habere videantur. Aliud. Reliqua quidem eadem sunt: Loco autem vini acetum sit acerrimum album, immergatur autem in illud lana admodum succida, deinde infusa amurcà coquatur, & succus caprifici misceatur, & alumen melinum, & nitrum, & flos æris, vtrumque autem coctum miscendum est. Istud magis expurgat vlcera quam præcedens, verùm & illud non minus exsiccat.

PRimum hoc remedium ſiccandis & detergendis vlceribus eſt idoneum, & quodammodo colleticum eſt, cùm teſte etiam Hippocrate, nō admodum purget. Quercus enim omnes partes aſtringentis facultatis participes ſunt, fagus & ilex quercus generi aſſignantur, & conſimile munus obeunt. Dioſcoridi libro primo. Valentius tamen aſtringunt fagus & ilex, Galeno libro 6. de ſimplicium facultatibus, & præter aſtringentem facultatē deſiccant & calefaciunt. Glutinandi etiam facultate præditam eſſe quercum docet ibidem Galenus, ſcribit enim ſe glutinaſſe vulnus ſecuri inflictum, cùm nullū adeſſet ad manum medicamen præter ipſius quercus folia, terebat ea in leui petra, & vulnus, omnémque vicinum locum contexit. Iligneas autem radices vino albo dulci incoquit dum intabeſcant, ſicque vis ſiccandi, aſtringendi & glutinandi vino communicatur, huius vini ita præparati partes duas miſcet cum parte vna amurcæ olei maximè ſiccæ, & lento igne coquit agitando & commouendo, dum ad conuenientem craſſitudinem perueniat. Amurca expreſſæ oliuæ recrementum eſt: Dioſcoridi libro primo. Galeno autem libro 6. de ſimplicium facultatibus. Amurca terreſtris eſt ſubſtantiæ, calidæ, non tamen tantum poſſidet caliditatis vt mordicet palā. Quod ſi coquatur, multo magis craſſa & ſicca redditur, & fuerit ſane ex ſecundo ordine calefacientium & ſiccantium intenſo quodammodo magis, ſicque vlcera ſiccorum corporū curat & glutinat, aliorum vero exaſperat. Amurca omnis decocta multo efficacior. Coquitur autē in vaſe cupreo

ad crassitudinem mellis. Si vero recoquatur cum omphacio ad mellis crassitudinem, casuros dentes extrahit. Plinio lib. 23. capite 3. Secunda cõpositio siccat vlcera & magis expurgat quam præcedens, recipit autem eadem quæ præcedens, nempe radices ilicis & amurcam, verùm radices non in vino albo dulci coquuntur, sed in aceto, & eiusmodi acetum transfusum loco vini sumendum est, vt quod expeditè permeet & reliquorum simplicium facultates secum ad altiora perducat. Acetum enim mistæ est substantiæ, nempe frigidæ pariter & calidæ, eiúsque vtriúsque tenuium partium, cæterùm calidam frigida exuperat, porro magnam desiccandi facultatem obtinet, adeo vt sit tertij ordinis desiccantium iam completi. Galeno 8. de simplicium facultatibus. Dioscoridi vero libro quinto, acetum refrigerant & astringit, magna autem est controuersia de aceto, alijs frigidum, alijs contra calidum adstruentibus, nonnullis calorem quidem quendam illi concedentibus, sed quendã etiam auferentibus, velut qui acetum vinum esse mortuum concedunt, nam hi propriam quidem vini caliditatem perdidisse, verum ex putredine assumpsisse aliam quandam affirmant, ait Galenus libro primo de simplicium facultatibus cap. 19. quorum laudare sententiam videtur, in eamque promptè accedere. Aristoteles rectè dixit, acetum proprio vini calore esse frigidum, adscititio calidum, referente Galeno libri 4. de simplicium facultatibus, capite 12. vbi frigiditatem tenuiorem esse dicit, & idciro transitus celeritatem promouere. Lana succida quæ in acetum immittitur,

tur, facile suum succum aceto communicat. Itáque cum œsypus calefaciat, emolliat, & vlcera sanet. Dioscoridi libro secundo, & prætereà repellat & digerat, acetum has facultates contrahens vlceribus siccandis conueniet. Ἐρινεὸς ἢ ἐρινεός, latine caprificus ficus est Syluestris, nunquam maturescens, carpénsque muros ac parietinas, cuius tum liquor tum sucus ad omnia, quam satiuæ, vehementior est, ficus autem arbor calidæ tenuiumque partium temperaturæ est, vimque habet vehementer abstergendi & & pùrgandi. Galeno libro octauo de simplicium facultatibus.

Ἕτερον, τὰ μὲν ἔρια βάψαι ὡς ἐν ὀλιγίστῳ ὕδατι, ἔπειτα οἶνον ξυγχέας μέρος τρίτον, ἑψεῖν ἕως ἂν καλῶς ἔχῃ τὸ πάχος, ἀπὸ τῶνδε διαπυΐσκεσθαι ἐξέσται τὰ νεότρωτα τάχιστα.

ALiud. Lanam exigua aqua madefacito, tum vini tertiam partem affundito, & incoque donec iustam crassitudinem habeant, hæc celerrime vlcera recentia suppurant.

MEdicamentum hoc διαπυητικὸν & suppuratorium est, ea autem quæ puri gignendo conueniunt, oportet proximè ad caloris nostri substantiam accedere, eúmque quoad fieri potest, augere, pus enim caloris natiui opus est. Lana autem succida vim habet emolliendi con-

coquendi & astringendi & potissimum in aqua madefacta, & admista tertia vini parte, hísque omnibus ad crassitudinem conuenientem coctis. Commodum est hoc remedium carni recenter vulneratæ & contusæ, nam vt ait Galenus libro 14. methodi therapenticæ, capite 7. contusi musculi debent leniri medicamento, cui mista sit facultas, quæ simul concoquat, digerat, & modice astringat, præterea lana eiusmodi calefacit, sicque partis auget calorem, debet autem esse succida. Hoc vero remedium in inueteratis vlceribus si pus sit mouendum, admoueri non solet.

Ἄλλο, Ἆρον ξηρὸν ἐπιπάσσειν, καὶ στέλλειν κράδης ἐν ὀπῷ φλοιὸν τρίβων ἐν οἴνῳ, ἐνστέλλειν καὶ ἄνευ οἴνου αὐτὸν, καὶ ξὺν μέλιτι.

ALiud. Arum siccum inspergito, & rami ficulnei cum succo corticem viridem ex vino tritum imponito, licet etiam sine vino hunc imponere cum melle.

HOc pharmacum vlceribus detergendis aptum est. Arum enim terrena essentia constat sed calida, proinde detergendi vim possidet, estque in exsiccando & calefaciendo primi ordinis. Galeno lib. 6. simplicium. Arum autem siccum vlceribus inspergit Hippocrates, medici enim græci arida medicamenta vlceribus &

cuti inspergunt ad varios vsus, eáque vocant φάρμακα καταπαστὰ, ἢ καταπάσματα, id est inspersilia de quibus Paulus lib. 7. cap. 13. Κράδαι, exponuntur Galeno in exegesi linguarum, συκῆς οἱ ἀκρέμονες, ficus rami aut virgulta, κράδας τὰ τῆς συκῆς φύλλα, ἢ τοὺς κλάδους, hoc est, ficus folia vel ramos nonnulli capiunt, apud Hippocratem, vt scribit Erotianus, ficus arboris temperamentum præcedenti sentẽtia declaratum fuit, eius autem tum liquor, tum succus tam vehementer abstergit, vt etiam exulceret, Galeno, libro octauo de simpl. medic. facultat. mel autem non solùm desiccat & calefacit, sed etiam detergendi facultatem habet. Galeno, ibidem.

Ἕτερον, ὄξος ἀφεψῶν λωτοῦ τορνεύματα, ἔστω δὲ λευκὸν τὸ ὄξος, κἄπειτα μίξαι ἀμόργην ἐλαιέων, καὶ ὀῤῥὸν πίσσης ὠμὸν, καὶ ἐπαλείφειν, καὶ καταστάζειν, καὶ ἐπιδεσμεῖν, ξηρὰ ἀποτρέπει τὰ νεότρωτα διαπυΐσκεσθαι, ἢ ὄξει ἀπονίψας, οἴνῳ ἀποσπογγίσας.

Aliud. In aceto albo loti ramenta coquito, deinde amurcam oliuarum, & serum picis crudum misceto, tùm superlinito, instillato, ac deligato. Hæc siccantia prohibent ne recentia vulnera suppurent, vel aceto abluito, & spongiam vino madentem super imponito.

Dixit Hippocrates sententia sexta huius libri, vulnus acuto telo diuisum, aut præci-

ſum admittere medicamentum enæmon, quod deſiccans ſuppurationem prohibeat, huius medicamenti exemplum nunc proponit. Tale autem pharmacum deſiccandi & aſtringendi vim habet. Aceti albi vires, loti arboris & amurcæ, prius ſunt expoſitæ, ὀῤῥὸν πίσσης, τὸ ὑγρότατον τῆς πίσσης exponit Erotianus, intelligitur autem humidum illud picis ſeroſum, aut picis liquidæ recrementum, quod ſupernatat, veluti lacti ſerum. Dioſcorides libro primo πισσέλαιον id vocat. Galenus vero libro primo κατὰ τόπους, capite de tineturis capillorum, picis florem dici ſcribit πίσσης ἄνθος, quod eſt tenuiorum partium, quam pix ipſa tum compage & συστάσει, tum facultate, quo in loco Galenus piſſelæon aliud quid eſſe a picis flore ſcribit. Scribonius Largus capite 40. picis florem πισσέλαιον appellat, ſcribitque florem picis eſſe id quod excipitur, dum coquitur pix, lana ſuperpoſita eius vapori, eamque vim habere dicit, vt non patiatur ſuppurationem fieri, pix autem ſicca, plus deſiccat, quam calefacit, humida, vero plus calefacit quam deſiccat. Galenus octauo libro de ſimplicium facultatibus. Prohibemus etiam ſuppurationem fieri, ſi vulnus recens aceto abluamus, & ſpongiam vino madentem ſuper imponamus, acetum enim tertio ordine deſiccat, vt ante dictum eſt, & aſtringit, ſpongia etiam per ſe deſiccat, & ratione vini, quod nigrum & auſterum eſt adhibendum.

Ἄλλο. Τὸν μόλιβον τὸν λεῖον ξὺν τῇ σποδῷ τῇ κυπρείῃ λεανθέντα ἐπιπάσσειν, καὶ τοῦ λωτοῦ τὰ ἰχθυήματα ἐπιπάσσειν, καὶ τὴν λε-

πίδα τοῦ χαλκοῦ, καὶ τὴν στυπτηρίην, καὶ τὴν χαλκῖτιν μετὰ τοῦ χαλκοῦ, καὶ μόνην, καὶ μετὰ τῶν τοῦ λωτοῦ ἰχθυημάτων, καὶ ἄλλως ὅταν δέηται ξηροῖσι, τοῖσι τοιούτοισι χρέεσθαι, καὶ τῇ σποδῷ τῇ ἰλλυριώτιδι λείῃ μετὰ τῶν ἰχθυημάτων, καὶ αὐτοῖσι μόνοισιν ἰχθυήμασι, καὶ ἄνθῃ ἀργύρου μόνῃ ὡς λειοτάτῃ, καὶ τὴν ἀριστολοχίην ξύων τε καὶ τρίβων λίην ἐπιπάσσειν.

ALiud. Plumbũ tenue cum ſpodio cyprio contritum inſpergito, loti etiam ramenta inſpergito & ſquamam æris, & alumen, & chalcitidem cum ære, & ſolam & cum loti ramentis. Alioquin cùm erit opus aridis, talibus vtendum eſt, & ſpodio illyrico trito cum ramentis, & ipſis ſolis ramentis, & flore argenti ſolo quàm tenuiſſimo. Ariſtolochiam item raſam & contritam inſpergito.

DEſcribit nunc plura ἐπιπαστὰ, quæ etiam καταπαστὰ ſiue καταπλάσματα vocari diximus. Sunt autem arida ex ſicco medicamẽtorum puluere conflata, inſperſilia dicere poſſumus, hæc autem quæ nunc proponuntur, ſuppurationem impediunt, & vlcera conglutinant, μόλιβος ἢ μόλιβδος καὶ μόλυβδος, plumbum refrigerat & aſtringit, & ita reprimendo ſuppurationem fieri non patitur, plumbi item crudi lamina magnopere commendatur non ad ſimplicia modo, verum

etiam ad maligna & cancrosa vlcera, tum sa-nanda, tùm etiam cicatrice tegenda, ad eadem omnia multo præstantior est crudi plumbi tenuissimus puluis, multorum experimento, inspersus enim malignis vlceribus, illa blandè citra vllum doloris sensum corrigit, expurgat, & ad cicatricem perducit, Huius conficiendi ratio hæc est, plumbum in laminas quam tenuissimas ducitur, hæ minutissimè cōciduntur, aceto quam acerrimo immerguntur, macerantúrque triduo, permutato quotidie si videtur aceto, postea exēptæ & igne siccatæ, citra vstionem, in mortario laboriosè teruntur, sic tandem in tenuissimum leuissimúmque puluerem rediguntur, cuius vis est, ad ea quæ dixi singularis & eximia, ἡ σποδὸς siue τὸ σπόδιον est recrementum metallorū vstorum, & a pompholyge sola specie non genere distat, & vtráque ex eadem materia prodeunt, eáque est vt plurimum æs, aut cadmia, aliquando tamen ex auro, argento, & plumbo nigro secernitur. Spodos lota & à sordibus, id est, a carbonibus, pilis, terra expurgata easdem vires habet, quas pompholyx, ea autem sine morsu desiccat. Galeno, libro 9. de simplicium facultatib. Spodos hîc duplex numeratur, vna Cypria quæ est optima, altera Illyrica, ἰλλυρεώτης, seu potius λαυρεώτης, fit enim in argenti fornacibus spodos, quam vocant Lauriotin. Plinio libro 34. cap. 13. De loco arbore quæ astringit & desiccat dictum prius. Squama æris vim habet astringentem, extenuantem, reprimētem & erodentem. Dioscoridi lib. 5. Alumen vim habet astringendi, vnde nomen Græcis, de quo dictum fuit sententia 23.

huius libri. Æs vim habet astringendi, desiccandi & reprimendi Chalcitis etiam desiccat & astringit, meliórque est vsta, quam non vsta, quòd sit partium tenuiorum, libro 9. de simplicium facultatibus. Ἀργυρείου ἄνθη vel ἄνθος, a latinis argenti flos siue spuma dicitur, a græcis sæpius λιθάργυρος, cuius tres differentias constituit Dioscorides libro quinto, quē sequitur Plinius libro 33. capite 6. Spumæ argenti tria genera, optima, quam Chrysitin vocant, secunda, quam argyritin, tertia quam molybditin. Vis eius est astringere, reprimere, refrigerare, cicatricem ducere, explere caua, siccare. Dioscoridi ibidem & plinio. Aristolochia, quam latini malum terræ vocant, teste eodem Plinio lib. 25. cap. 8. sic nominatur ἀπὸ τοῦ δοκεῖν ἄριστα βοηθεῖν ταῖς λοχείαις, quod existimetur optimè puerperijs opitulari, Dioscoridi. Vel quoniam est, ἀρίστη λεχούσαις, optima puerperis, Plinio ibidem. Tria eius genera traduntur, στρογγύλη, μακρὰ, κληματῖτις, rotunda, longa, clementis. Aristolochiæ radix ad medicationes vtilissima est, & vim habet abstergendi, digerendi, calefaciendi, efficacior est rotunda.

Ἕτερον ἔναιμον, σμύρνα, λιβανωτὸς, κηκὶς, ἰὸς, ἄνθος χαλκοῦ ὀπτὸν, στυπτηρία αἰγυπτία ὀπτὴ, οἰνάνθη, οἰσυπίδες, μολύβδαινα, τούτων ἴσον ἑκάστου, ἡ δίεσις σὺν οἴνῳ, ὥσπερ τὸ πρότερον, καὶ ἄλλη ἐργασίη κατὰ τὰ αὐτά, ὄξος ὀξύτατον λευκὸν, μέλι, στυπτηρίην αἰγυπτίην, νίτρον ὡς ἄριστον, ἡσύχως φρίξας, χολῆς ὀλίγον συμμίσγει,

τοῦτο τὰ ὑπερσαρκέοντα καθαίρει, καὶ κοιλαίνει, καὶ οὐ δάκνει. Ἄλλο. Ποίη ἡ μικρόφυλλος, ᾗ ὄνομα παρθένιον τὸ μικρόφυλλον, ἢ τὰ θύμια τὰ ἀπὸ τοῦ ποσθίου ἀφαιρεῖ, καὶ στυπτηρίη ἡ χαλκῖτις, καὶ μηλιὰς ὠμὴ, ἐλατήριον λεπτὸν ξηρὸν περιστεῖλαι, καὶ τὸ σίδιον λεπτὸν ξηρὸν ὡσαύτως.

ALiud enæmon, myrrha thus, galla, ærugo flos æris vſtus, alumen ægyptium vſtum, & œnanthe, lanarum ſordes, plumbago, ſingula pari pondere diluuntur ex vino. Simile priori, & alius effectus per eadem. Acetum album acerrimum, mel, alumen ægyptium, nitrum quàm optimum leuiter frictum, fellis parum, ſimul coquito. Hoc medicamentum carnem ſupercreſcentem coercet, cauátque & non mordet. Aliud. Herba eſt anguſtioribus folijs, cui nomen eſt parthenion microphyllon, quæ thymia pudendi virilis aufert, & alumen vocatum Chalcitis, idque Melinum crudum, elaterium etiam tritum aridum inijcitur, & malicorium tritum ſiccum ſimiliter.

ΕΝαιμον pharmacum eſt illud quod cruentis vulneribus & adhuc ſanguine manantibus inijciuntur ad ea glutinanda vnde etiã κολλητικὸν

nominatur, vimque habet de ſiccandi & aſtringendi, cuiuſmodi eſt quod nunc deſcribitur. Myrrhæ, thuris, gallæ vires antea ſunt expoſitæ, quæ deſiccant, & aſtringunt, ἰὸς autem ſiue ærugo, ſeu viride æris, eſt ſuccus concretus ex liquore miſto cum metallo æris, deſcribit eius genera Dioſcorides, & quomodo paretur libro quinto. Vim autem habet digerendi, aſtringendi, ſiccandi, carnem minuendi, adurendi, eáque omnia vehementiſſime agit non vſta ærugo, mitius autem ſi vratur. Alumen Ægyptium hîc aſſumit, paulo ante, melinum, quoniam vt ait Dioſcorides libro quinto, alumini ſomne fere genus in Ægypto inuenitur, gignitur & in Melo inſula, Aluménque validius aſtringẽs vel natione Ægyptium aut ex inſula Melo. Oenanthe, quam hîc intelligit Hippocrates non eſt herba, de qua Dioſcorides libro 3. & Plinius libri 21. capite 24. Sed Oenãthe vocatur vitis ſylueſtris fructus cum floret. Recondi debet fictili non picato aut calce oblito, colligitur ſubſtrato linteo, in vmbráque ſiccatur, vt ait Dioſcorides, libri 5. capite 5. δύναμις δὲ αὐτῆς συπτικὴ, καὶ καταπλάσμα-των ἐναίμων. Vis eius aſtringens, eſtque cataplaſma vulnerum recentium. Plinio libri 12. capite vltimo: Oenanthe eſt vitis labruſcæ vua. Colligitur cum floret, id eſt, cùm optime olet, ſiccatur in vmbra ſubſtrato linteo, atque in cados conditur, omnis autem ex alba labruſca præſtantior, quam è nigra, & eidem Plinio libri 14. cap. 16. fit è labruſca hoc eſt vite ſylueſtri vinum, quod vocatur Oenanthinum, flores eius libris duabus in muſti cado maccrati, poſt triginta dies mutan-

tur, οἰσυπίδες, Galeno in exegesi linguarum sunt, προβάτου ῥύπος, ἤγουν ἔειον ῥυπαρόν. Ouium sordes, aut lana sordida, μολύβδαινα plumbago & galena, Plinio libri 34. capite 18. est plumbi & argenti vena communis, melior hæc, quanto magis aurei coloris, quantóque minus plumbosa & modicè grauis. Dioscoridi libro quinto, vlcera ad cicatricem ducit, glutinantibus tamen medicamentis non conuenit, quod Hippocrati repugnat, qui molybdænam enæmo pharmaco miscet, verùm aliorum mixtura temperatur. Galenus nono libro de simplicium facultatib. molybdænam scribit similem lithargyro vim possidere, lithargyrus autem, ibidem deficcat, astringit, neque manifeste calefacit, neque refrigerat. Hic Vidius molybdæ nam non distinxit à scoria plumbi, est enim σκωρία μολύβδου plumbi recrementum. Describit Hippocrates aliā compositionem præcedenti similem, quæ constat fere ijsdem, nempe agglutinantibus & desiccantibus, quia tamen non ex vino diluitur, sed in aceto acerrimo coquitur, alium effectum præstat, carnémque supercrescētem coërcet, & exedit, & cauat sine morsu. Cùm enim alumen, mel, nitrum & fel admodum desiccent, & acetum sua tenuitate transitus celeritatem promoueat, secúmque aliorum facultates in altiora perducat, merito hoc medicamentum supercrescentem carnem coercet & consumit sua siccitate. Proponit deinde, quatuor simplicia remedia, quæ vlceris supercrescentem carnem coërcere possunt, nempe Parthenium, alumen quod vocatur chalcitis, elaterium & malicorium. Pars

thenium plurium herbarum nomen eſt, nam vt ait Galenus in exegeſi linguarum, καλεῖται παρθένιον, καὶ ἡ ἀνθεμὶς, καὶ ἡ ἑλξίνη, καὶ ἡ λινόζωστις, καὶ τὸ ἀμάρακον, ἀλλὰ καὶ Διοσκορίδης μήποτε, φησὶν, ἀκουστέον ἐστὶν, ἢ τοὶ τῆς ἑλξίνης, ἢ τῆς λινοζώστεως τὸ εἶδος τὸ σμικρόφυλλον. Vocatur parthenion & Anthemis, & Helxine, & mercurialis & amaracon, ſed nunquam, inquit Dioſcorides, intelligenda eſt helxines vel mercurialis ſpecies minuta habens folia, ergo Parthenion vel erit Anthemis id eſt chamæmelum, vel amaracon id eſt ſampſuchum ſiue maiorana, vel ipſum Parthenium proprie dictum, de quo Dioſcorides libri tertij capite 138. His enim tribus τὸ μικρόφυλλον conuenire poteſt, Anthemis enim habet foliola parua & tenuia, Sampſuchum ſiue amaracon habet folia ſimilia calaminthæ, quæ tenui folio conſtat. Parthenium proprie dictum folia habet tenuia, ſimilia coriandro, ex Dioſcoride. Anthemis vim habet calefaciendi & deſiccandi primo gradu, Sampſuchum calefacit ordine tertio, deſiccat ſecundo, ex Galeno, libro 6. de ſimplicium facultatibus. Parthenium proprie dictum, calefacit & digerit, quod ex ſapore amaro colligere licet. Parthenium μικρόφυλλον dicit Hippocrates ſanare thymia genitaliũ virilium. Aiunt mercurialis ſuccum illitum genitalium thymos curare. Dioſcoridi libro 4. linozoſtis etiam parthenion dicitur, & nonnulli Hermubotanion appellant, Plinio libro 25. cap. 5. Linzoſtis ſiue parthenion mercurij inuentum eſt, ideo apud Græcos Hermupoan multi vocant eam, apud nos omnes mercurialem. Helxine etiam Galeno

lib. 6. simplicium medicamentorum parthenium dicitur, vimque habet abstergendi & constringendi, fortasse vitiosus est locus ille Galeni in exegesi. Cæterum docet Paulus libri 3. cap. 59. quibus remedijs carnosas naturalium excrescentias, quas thymos græci vocant, compescamus, & in vniuersum thymos, myrmecias, acrochordonas per medicamenta valenter exulcerantia elidit. *Στυπτηρία χαλκῖτις, ἣν ἁπλῶς οὕτως ὀνομάζομεν χαλκῖτιν.* Alumen chalcitis, quam sic simpliciter vocamus chalcitin, & ibidem, *χαλκῖτις στυπτηρία, ἴσον τῇ χαλκίτιδι.* Chalcitis alumen idem est ac chalcitis. Plinio vero libri 35. capite 15. Concreti aluminis vnum genus schiston appellant Græci, in capillamenta quædam canescentia dehiscens, vnde quidam trichitin potius appellauere, hoc fit è lapide, ex quo & chalcitin vocant, vt sit sudor quidam eius lapidis in spumã coagulatus, hoc genus aluminis siccat. Dioscoridi libro quinto, optimum est schiston siue scissile, præsertim recens candidissimum, gustu perquàm astringens, graueolens, calculorum expers, in capillamenta quædam canescentia dehiscens, quale est quod trichites quasi capillare nominatur. *Ἐλατήριον, οὐ μόνον τὸ ἀπὸ τοῦ ἀγρίου σικύου γιγνόμενον, ἀλλὰ καὶ πᾶν τὸ κάτω κοιλίαν καθαῖρον.* Elaterium non solum quod ex cucumere agresti fit medicamẽtum, sed & quicquid aluum inferiorem expurgat. Galeno in exegesi, hîc autem propriè sumitur, pro succo expresso ex fructu cucumeris agrestis, & in orbiculos coacto, quomodo paretur docet Dioscorides libro 4. Vim habet digerendi & calefaciẽdi præter alios

effectus, quos præstat sumptum per os, aut aliter in corpus intromissum.

Πληροῖ δὲ μάλιστα τὰ κοῖλα τὰ καθαρὰ ποίη, ἡ λαγώπυρος οὔνομα, ἔστι δὲ πιτύροισιν ὁμοίη, ὅταν αὐαίνηται, μικρὸν τὸ φύλλον, ὥσπερ καὶ τὸ τῆς ἐλάιης, καὶ μακρότερον, καὶ πρασίου τὸ φύλλον, σὺν ἐλαίῳ, ἕτερον, ἰσχάδος τὸ εἴσω τὸ πίαρ, τὸ μελιτοειδὲς ὡς ξηροτάτης, ὕδατος δύο μοίρας, καὶ λίνου καρπὸν φρύξας μὴ σφόδρα, ὡς λεπτοτάτου μοῖραν μίαν.

MAximè replet vlcera caua cùm purgata sunt, herba, cui nomen Lagopyrus, est autem furfuribus similis quum inaruit, paruum est folium instar oleæ, sed longius. Et prasij folium cum oleo. Aliud, ficus siccissimæ partem internam pinguem, melli similem, aquæ partes duas, lini etiam seminis bene triti & non admodum fricti partem vnam, simul miscero.

SArcoticum medicamentum, & quod producendæ carnis vim habet, nunc proponit, eiusmodi autem medicamentum modicè calefacit, moderatè deterget & purgat, atque minimùm siccat, nullóque modo astringit, talem facultatem habet lagopyrus herba, est enim, omnium fere sententia eadem herba quæ λαγώπους Dios-

coridis quæ vim σαλπτικὴν habet id eſt compeſcendi, ſiſtendi aut reprimendi. Galeno vero libro octauo ſimplicium medicamentorum, facultatis eſt deſiccantis: Lagopi autem nullas notas tradit Dioſcorides, tantum naſci in ſegetibus dicit. Hippocrates autem ſcribit paruo eſſe folio inſtar oleæ, ſed longiore, eámque herbam quàm inaruit furfuribus eſſe ſimilem. Suſpicor locum in exegeſi linguarum mendoſum, cum agit de Lagopyro, ſicque legendum puto, λαγώπυρος ἡ λαγώπους καλουμένη βοτάνη, id eſt Lagopyrus eſt herba quæ vocatur Lagopus. Marrubij etiam folia oleo temperata, vlcera caua replent, marrubium autem Galeno libro octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, calidum eſt ſecundo gradu & ſiccum tertio; vim habet detergendi & purgandi. Sed quomodo admiſcet oleum, ex ſecundo capite libri tertij methodi therapenticæ, oleum cauis vlceribus ſit medicamentum omnium aduerſiſſimum, quia vlcus olei vſu & ſordidum, & male olens redditur. Sic reſpondet huic obiectioni Galenus libro ſecundo κτ' γένη circa finem, medicamentum ſordis καθαρτικὸν non poteſt carnem gignere; niſi oleo liquatum deterſionis vehementiam remittat, & roſionem deponat. Cùm ergo marrubium ſit tertio ordine ſiccum, & guſtu amarum, & idcirco detergens, & corpus exedens Celſo libro 5. capite 7. carnem producere non poteſt, niſi oleo temperetur. Aliud medicamẽtum proponit ſarcoticum, quod recipit caricæ ſicciſſimæ interiorem partem pinguem & melli ſimilem, cui adiungit aquæ partes duas, & ſeminis lini

contriti & leuiter fricti partem vnam, hæcque miscet & simul coquit, ἰσχάς. Carica siue ficus arida vim habet calefaciendi, digerendi, cum quadam partium tenuitate, decoctum caricarum in aqua non solum melli simile est consistentia, sed etiam facultate, ait Galenus octauo libro simplicium medicamentorum. Lini semen additur coctioni, fitque ita medicamentum moderate siccans citra morsum aut rosionem.

Ἄλλο, τῆς ἰσχάδος τὸ εἴσω, καὶ ἄνθος χαλκοῦ ὀλίγον λεπτὸν, καὶ συκῆς ὀπόν, τὸ δ' ἐκ τῆς ἰσχάδος, χαμαιλέων μέλας, χολὴ βοὸς ξηρὴ, τὰ μὲν ἄλλα τὰ αὐτά, τὰ δὲ ξηρὰ, κάρδαμον λεπτὸν ὠμὸν, ἐρύσιμον, ἑκατέρου ἴσον, τῆς δὲ ἰσχάδος δύο μέρη, λίνου καρποῦ δύο μοίρας, ὀπὸν συκῆς, ὅταν τούτων τινὶ χρέη τῶν φαρμάκων, σπλῆνας ἄνωθεν ὀξηροὺς ἐπιθεὶς, σπόγγον ἄνωθεν τῶν σπληνῶν ἐπίθες καὶ ἐπίδει, καὶ περιαπίεσαι ὀλίγῳ μᾶλλον, τὰ δὲ περιέχοντα ἢν φλεγμαίνῃ, ὅτι ἂν δοκέῃ ξυμφέρειν, περιπλάσσειν.

Aliud. Caricæ pars interior, floris æris contriti modicum, fici liquor. Pars eadem caricæ, chamæleon niger, fel bubulum aridum, & alia eadem. Arida vero hæc, nasturtium tritum crudum, erysimum, vtrúmque pari pondere, caricæ vero duæ partes, se-

minis lini partes duæ, cum fici liquore. Quùm aliquo horum pharmacorũ vteris, ſplenijs aceto madentibus ſuper poſitis, ſpongiam ſuperinijcito, ac deligato, ac paulò aretius comprimito. Si verò circumpoſitæ partes inflammatione occupentur, quicquid conferre videbitur, imponito.

HÆc pharmaca vim habent ſiccandi & purgandi, itáque poſſunt referri ad ea quæ ſordida vlcera purgare & ſiccare ſolent. Primum conſtat parte interiore ficus aridæ, modico floris æris contriti, cum liquore fici, de Caricæ viribus, & facultate floris æris dictum prius. Ὀπὸς fici, id eſt, ſuccus, ſiue liquor, tam ſatiuæ quàm ſylueſtris ἑλκωτικὸς σωμάτων, corpora exulcerat, Dioſcoridi libro primo, vbi in græco codice male legitur ἑλκτικός. Idem ſcribit Galenus libro octauo ſimplicium medicamentorum, fici tum liquor, tum foliorum ſuccus admodum calidus eſt, itáque non mordicat tantùm, aut abſterget vehementer, ſed & vlcerat, & purgare poteſt. Par autem caricarum pinguis & μελιτοειδὴς acrimoniam huius liquoris contemperat. Secundum remedium quod componitur ex parte interna caricarum, & radice chamæleontis nigri, ex felle bubulo arido, cum liquore fici, admodum detergens eſt, expurgans, & carnem putrem exedens. Chamæleontis albi & nigri hiſtoriam vide apud Dioſcoridem libri tertij capite 8. & 9. vires explicat Galenus libro octauo ſimplicium

cium medicamentorum. Chamæleontis nigri radix letale quippiam obtinet, itáque foris tantùm adhibetur, ad ea quæ detersionem postulant, præterea medicamentis digerentibus & emollientibus commiscetur, & phagedænica tetráque vlcera illitu sanat, est enim sicca tertio ordine, calida vero secundo gradu absoluto. Tertium pharmacum aridum est, neque vllo liquore excipitur, vim habet siccandi & carnem hebetem exedendi. Nasturtium enim arefactum vt eius etiam semen, adurentis seu causticæ facultatis est particeps, herba vero humida ac viridis adhuc, quam Hippocrates ὤμιν vocat, multo inferior est semine, aqueæ enim humiditatis admistio, mordacitatem eius moderatam reddit. Erysimum siue Irio, sicuti gustum habet in semine similem nasturtio, ita etiam vim habet igneam & calefacientem. Galeno, libro octauo simplicium medicamentorum. Quartum & postremum remedium, quod ex duabus partibus caricarum pinguium, & totidem seminis lini, cum fici liquore componitur, non admodum desiccans aut exedens est. Quoniam medicamenta præscripta calida sunt & acrimoniam in se continent, locum affectum & vicinas partes possent inflammare, ideo huic etiam symptomati occurrendum. Splenia itáque aceto imbuta, aut panni aceto madentes superponuntur, spongiáque ex aqua, aceto aut vino expressa superinijcitur. Quod si ne his quidem impediri possit, ne inflammatio superueniat, tunc medicamentum quod conferre videbitur, est illinendum, talia multa proposuit sententia 23. & 24.

huius libri σπλῆνες hoc loco τὰ σπλωνία vocantur Hippocrati, Latinè Splenia & panni, siue Linteola.

Ἢν βούλῃ ὑγρῷ χρέεσθαι, καὶ τὸ καρικὸν φάρμακον ἐπαλείφειν, ἐπιδεῖν δὲ ὥσπερ τὰ πρότερα γέγραπται, κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, ἔστι δὲ ἐκ τῶνδε τὸ φάρμακον ποιεύμενον, ἐλλεβόρου μέλανος, σανδαράχης, λεπίδος, μολίβδου κεκαυμένου σὺν πολλῷ θείου, ἀρρενικοῦ, κανθαρίδος, τούτῳ ὁποίῳ δοκέει συντεθέντι χρῆσθαι· ἡ δὲ δίεσις κεδρίνῳ ἐλαίῳ, ἐπειδὰν δὲ ἅλις ἔχῃ ἐπαλείφοντι, ἐκβάλλειν τὸ φάρμακον, ἐπιπλάσσων ἄρον ἑφθὸν λεῖον, ἢ τρίβων ξηρὸν, τῷ μέλιτι δεύων. Καὶ ἢν ξηρῷ χρῇ τῷ καρικῷ, τούτων χρὴ ἀφαιρέειν, τὸ φάρμακον ἐπιπλάσσων, ποιέει δὲ τὸ ξηρὸν, ἀπὸ τοῦ ἐλλεβόρου μόνον, καὶ τῆς σανδαράχης.

SI liquido velis vti, Caricum medicamentum illinito, deligato vero sicut prius scriptum est eodem modo. Componitur autem medicamentum ex elleboro nigro, sandaracha, squama, plumbo vsto cum multo sulphure, auripigmento, cantharidibus, hoc composito vbi opus fuerit vtitor, diluatur vero oleo cedrino, vbi satis illitum manserit medicamentum, remoueto, & arum co-

ctum contusum imponito, vel aridum terito, & melle excipito. Si carico sit opus arido, ab his abstinebis, & medicamentum impones. Paratur autem aridum, ex solo elleboro & sandaracha.

DEscribit caricum medicamentum quod est cathæreticum, sordida vlcera detergens, & carnes exedens, καρυκὸν melle quidam scribunt, & ex nucibus apparatum dicunt, & tamen nulla hic nucum mentio. Sunt qui putent a Carum gente, quibus in multo vsu fuit, appellatum. Dicitur Hesychio καρικὸν, εὐτελὲς, μικρὸν, vile & exiguum, quasi compositio sit vilis & exigui pretij. Postquam vlceribus admotum fuerit hoc medicamentum caricum, pānus aceto madens super imponatur, deinde spōgia superiniecta paulo arctius alligetur, vt vitetur partium vicinarum & loci exulcerati inflammatio. Elleborus vtérque tàm niger quàm albus, detergentis & calefaciētis est facultatis, quin etiam niger, si in fistulam callo obduratam demissus fuerit, duobus tribúsve diebus callum detrahit, éstque vtérque in tertio ordine calidus & siccus, Galeno, libro sexto simplicium medicamentorum. Elleborus niger erodentibus & septicis medicamentis commiscetur, Dioscoridi libro quarto. Ellebori autem radix præcipue vtilis. Sandaracha & ἀῤῥενικὸν siue ἀρσενικὸν, id est auripigmentum in eisdem metallis gignuntur, differtque tantum Sandaracha ab auripigmento, quòd hæc maiori naturæ coctione colorem, rubeum con-

traxit, & tenuior est facta. Arsenicum vim habet astringentem & erodētem, crustas cum vredine vehementi, & violento morsu excitat, reprimit, quæ excrescunt, & capillos euellit. Sandarachæ vis eadem & vstio, quæ arsenici. Dioscoridi libro quinto, λεπὶς simpliciter pro æris squama sumitur hoc loco. Scribit enim Plinius libri 34. capite vndecimo, medicos vocare lepida, squamam æris. Dioscoridi dicitur λεπὶς χαλκȣ̃, squama æris, vim habet astringentem, reprimentem, extenuantem & erodētem. Μολίβδου πεπλυμένου, plumbi eloti, legunt codex Basiliensis & Venetus ex Restitutione Hieronymi Mercurialis, Vidius etiam ita legisse videtur, vertit enim plumbo eloto abundè. In exemplari Aldino mendosè scriptum reperitur, μολίβου κεκλημένου, pro quo restituendum curaui, μολίβδου κεκαυμένου, vt etiam legit Cornarius, quæ est germana lectio, nec multùm à vitiosa illa distat, solum enim λ, pro α, & ι, pro υ, fuit immutatum. Miror sane Vidium & Mercurialem viros doctissimos hoc non animaduertisse. Cum enim plumbum vratur substrato & interiecto sulphure, vt docet Dioscorides libro quinto, & Plinius libro 34. capite vltimo, cur elotum plumbum cum multo sulphure, tam oscitanter & imprudenter pro vsto nobis substituunt & supponunt? Plumbum autem vstum acriores habet effectus quam elotum, Astringit enim & vlcerum excrescentem carnem coercet, valet etiam ad vlcera serpentia, sordida, & rebellia. Cantharides causticam habent facultatem, eásque enumerat Celsus libro quinto, inter ea medicamēta

quæ corpus adurunt, experientia etiam testatur eas exulcerare, quod in phænigmorum vsu videre licet. Vbi caricum medicamentum parti satis inhæserit, ipsam adurit, sordémque copiosam gignit, quæ tandem siccanda est, & idcirco arum coctum & contusum, vel aridum tritum & melle exceptum imponit. Arum autem terrena essentia constat & calida, proinde extergendi vim possidet. Galeno libro sexto simplicium medicamentorum. Cum caricum siccum admouetur, tunc ab vsu ari abstinemus, aridum enim hoc pharmacum nõ solum carnem exedit, sed etiam purgat, saniémque consumit.

Ἕτερον ὑγρόν. Ποίη, ἧς τὸ φύλλον ὅμοιον ἄρῳ τὴν φύσιν, λευκὸν δὲ, χνοῶδες, κατὰ κισσοῦ φύλλον τὸ μέγεθος, αὕτη ἡ ποίη σὺν οἴνῳ ἐπιπλάσσεται, ἢ τοῦ πρίνου τὸ περὶ τὸ στέλεχος τρίψας σὺν οἴνῳ ἐπιπλάσσαι.

Aliud liquidum, herba, cuius folium aro natura simile est, album tamen, lanuginosum, hederæ folium magnitudine æquans, hæc inquam herba cum vino imponitur. Aut, ilicis quod circum truncum est, vino tritum, imponito.

Pharmacum humidum quod nunc describit, refrigerãdi vim habet, & repellendi. Itáque hanc compositionẽ statim Carico medicamẽto

cathæretico subiungit, vt excitatam partium inflammationem coerceat & temperet, herba autem quam describit, videtur esse βήχιον, siue tussilago, cuius folia Ari naturam habent, sed paulo imbecilliorem, est enim tussilago modice acris, eius etiam folia similia sunt hederæ, sed maiuscula, subalbida à terra, supernè virentia, ait Dioscorides libro 3. huius folia cum melle trita, erysipelas & inflammationem sanant imposita, ibidem, folia vero virentia partes phlegmone obsessas illitu extrinsecus adimunt, ob aqueæ substantiæ admistionem, qua omnia viridia, teneráque participant, alia plus, alia minus, nam sicca bechij folia sunt acriora, quam vt phlegmonis conueniant. Galeno sexto libro simplicium medicamentorum. Sic Hippocrates libro 4. de articulis, sententia 22. folia tussilaginis in vino nigro austero semicocta, fracturis cum vulnere imponit, vt repellat & desiccet, & inflammationem impediat. Quid sit autem illud, quod circum truncum ilicis est, ambiguum esse potest. Polypodium enim nascitur in vetustis quercuum caudicibus, Dioscoridi libro 4. muscus etiam, Græcè βρύον in cedro, populo alba, & quercu inuenitur, non tamen circa truncum, sed circa corticem. Itáque fallitur Vidius, qui per id quod circum truncum ilicis est βρύον siue muscum intelligit, Per id autem quod circum truncum ilicis est, intelligo librum, qui cortici & ligno intercedit, id est, vt ait Dioscorides, τὸ μεταξὺ τοῦ φλοιοῦ, καὶ τοῦ πρέμνου ὑμενοειδές, membranosum illud medium inter corticem & truncum ilicis, quod μάλιστα στύφει, maxime astrin-

gendi vim habet, eidem Dioscoridi libro primo, & vt ait Galenus libro sexto simplicium medicamentorum, quercus omnes partes astringentis facultatis sunt participes, sed plus tamen habet, quæ in trunci cortice membrana subest.

Ἕτερον, ὄμφακος χυλὸς, ὄξος ὡς ὀξύτατον, ἄνθος χαλκοῦ, νίτρον, ὀπὸς ἐρινεοῦ, ἐς ὄμφακος χυλὸν στυπτηρίην τὲ ἐμβάλλειν ὡς λειοτάτην, καὶ θεῖναι ἐν χαλκῷ ἐρυθρῷ ἐς ἥλιον, καὶ ἀνακινέειν, καὶ ἀνελεῖν ὅταν δοκέῃ καλῶς ἔχειν τὸ πάχος.

Aliud, vuæ immaturæ succus, acetum quàm acerrimum, flos æris, nitrum, liquor caprifici. In succum vuæ immaturæ alumen quoque conijcito leuissimè tritum, & in vase æris rubri soli exponito, atque agitato, cumque iustam crassitudinem habere videbitur, remoueto.

Compositio hæc detergens & siccans est, iisque vlceribus admoueri potest, quæ sordida & humida sunt, quod ex simplicibus quibus constat, facilè colligitur. Vua immatura, & acetum vim habent astringendi & refrigerandi, flos æris, & nitrum astringũt etiam, & digerunt. Succus lacteus caprifici corpus exulcerat, desiccat, & vehementer absterget. Alumen etiam validissimam habet astrictionem, vnde etiam a græcis nomen habet, vt supra fuit dictum, vas etiam

æris rubri facultatem reprimentem & astringentem medicamenti auget. Itáque compositio hæc ad detergendum & desiccãdum idonea est.

Νέμοντα ξηρὰ τάδε, ἐλλέβορος μέλας ὡς λειότατος ἐπιπάσσεται, ἕως ἄν τι τοῦ ὑγροῦ ἐνέῃ καὶ νεμομένου, ἐπίδεσις δὲ ἡ αὐτὴ, ἥπερ ἐπὶ τοῖσιν ἐμπλάστροισιν, ἕτερον ὁμοίως. Ἄλας χόνδρους ὡς ξηροτάτους ἐς χυτρίδιον χάλκεον, ἢ κεραμεοῦν κενεὸν ἐμβάλλειν, ἴσους ὡς μάλιστα τὸ μέγεθος, μὴ ἀδρούς, καὶ μέλι ὡς κάλλιστον διπλάσιον τῶν ἁλῶν εἰκάσας, ἐπιχέαι ἐπὶ τοὺς ἅλας, ἔπειτα ἐπιθεῖναι ἐπὶ τοὺς ἄνθρακας τὸ χυτρίδιον, καὶ ἐᾶν, ἕως ἂν κατακαυθῇ πᾶν, ἔπειτα ἀνασπογγίσας τὸ ἕλκος καὶ ἐκκαθήρας, ἐπιπάσαι, καὶ ἐπιδῆσαι ὥσπερ τὸ πρότερον, καὶ πιέσαι ὀλίγῳ μᾶλλον, τῇ δ' ὑστεραίῃ, ὅπη ἂν μὴ λάβηται τὸ φάρμακον, ἐπιπάσσειν, περιαπτίζειν καὶ ἐπιδεῖν, ὅταν δὲ βούλει ἀφιστάναι τὸ φάρμακον, ὄξος θερμὸν ἐπιχέειν, ἕως ἂν ἀποστῇ, αὖθις τὰ αὐτὰ ποιέειν, ἢν δέηται ἀνασπογγίσας.

Exedunt arida hæc. Elleborus niger tenuissimè tritus inspergitur, donec humidi aliquid inerit ac depascentis. Deligatio verò eadem quæ in emplastris. Aliud simile. Salis grana quàm siccissima in ollam æneam, aut fictilem

nouam inijcito, maximè magnitudine æqualia, non maiuſcula, & ſuper ſalem mel optimum affundito duplum ſalis, quantum coniectura poteris aſſequi, dein ollan ſupra prunas imponito, & dum totum vſtum fuerit, ſinito, tum per ſpongiam deterſo ac purgato vlcere, inſpergito, atque vt prius deligato, ac paulo arctius comprimito, poſtridie quâ non admiſſum medicamentum fuerit, inſpergito, túmque comprimito ac deligato. Cum vero medicamentum abſcedere voles, acetum calidum affundito, donec abſceſſerit, ac rurſum eadem facito, ſi opus fuerit, vlcere per ſpongiam deterſo.

INſcriptio huius pharmaci in codice Aldino eſt, ἔναιματα ξηρὰ τάδε. In exemplari Baſilienſi legitur, ἔναιμα ξηρὰ τάδε, quam lectionem retinet codex venetus à Mercuriali reſtitutus, vtráque lectio mendoſa eſt, itáque legendum eſt, νέμοντα ξηρὰ τάδε. Eſt autem compoſitio hæc depaſcens & exedens carnem humidam, ſupercreſcentem, inutilem ac putridam. Primum remedium eſt elleborus niger tenuiſſime tritus, cuius vires in explicatione carici paulo ante fuerunt explicatæ. Deligatio eadem quæ in emplaſtris, quam propoſuit ſententia 35. huius libri, vt nempe ſplenia aceto madentia ſuperpo-

nantur, spongiáque superiniecta deligetur, artiúsque cõprimatur, quam etiam deligationis speciem repetit in admotione sequentis pharmaci. Illud autem pharmacum quod fit ex granis salis, & ex melle simul vstis, ea proportione quam describit Hippocrates, valet ad carnem humidam & putrem exedendam, vnde Doctissimo Fernelio, sal torrefactus, melléque duplo exceptus in olla noua, inter cathæretica medicamenta numeratur. Sal autem omnis siue fossilis sit, siue marinus, sub quo continetur fluuiatilis & lacustris astringit, reprimit, absterget, crustas inducit, omnésque ὑπερσαρκώσεις tollit, teste Dioscoride libro quinto, & Galeno libro vndecimo simplicium medicamentorum, sal quicquid in corporibus humidum inest, id quodammodo absumit, & quod reliquum est substantiæ solidæ astrictione contrahit, ac proinde etiam conditura sua carnes seruat & a putredine tuetur. Sal autem vstus digerit potentius, quàm vstionis expers, ibidem. Plinio libri 31. capite 9. Salis natura per se ignea est, omnia erodens, in medendo vero mordens, adurens, repurgans, extenuãs, dissoluens. Celsus libri quinti capite 8. Salem recenset inter ea quæ corpus adurunt. Mel autem abstergẽdi facultatem habet desiccat etiam & calefacit ordine secundo. Galeno libro septimo simplicium medicamẽtorum. Vstum autem cum sale potentius digerit & desiccat, & superfluam carnem exedit. Si medicamentum hoc vlceratis partibus ita inhæreat, vt ægræ subtrahatur, acetum calidum affundit, quod non solùm abluendo deterget, sed etiam, vt ait Diosco-

rides libro quinto ; Phagedænas vlcerum, nomásque fotu continuo cohibet. Cæterum χυτρείδιον κενεὸν est olla inanis, vacua, hoc est pura & noua, vel fortasse, καὶ νέον, aut vnica dictione, καινὸν scriptum fuit ab Hippocrate, præterea post ἐκκαθήρας, ἐπιπάσαι, restituimus, vt legisse etiam videtur Cornarius.

Ἄλλο ξηρὸν δάκνον, μύσιος ὡς λειοτάτου ἐπιπάσσειν ἐπὶ τὰ ὑγρὰ καὶ σαπρὰ, καὶ ἄνθος λεπτὸν μὴ παντελῶς λεῖον. Ἄλλο ξηρὸν ὁμοίως δάκνον, ἀναςπογγίσας ὡς οἰσυπωδέςατα εἴρια, ἐπ' ὀςράκου κατακαῦσαι δαιδίῳ προσίσχων ἕως ἂν πάντα κατακαύσῃς, τοῦτο λεῖον τρίβων, καὶ ἐπιπάττων, τὴν αὐτὴν ἐπιδεῖν ἐπίδεσιν, ἕτερον ξηρὸν ἐπὶ τῶν αὐτῶν ἑλκέων. Χαμαιλέων μέλας, συπληρίη ἢ τῷ ὀπῷ τῆς συκῆς δεδευμένη, δεύειν δὲ ὀπῷ, καὶ ἀγχουσαν μίσγειν, ἀναγαλλὶς καὶ συπληρίη ὀπῷ, ἐπίπαστον ὀρχομένιον ἐπιπάσσειν.

Aliud aridum mordax. Mysi tenuissimè tritum inspergito ad vlcera humida & putria, & florem æris tenuem non omnino tritum. Aliud aridum similiter mordax. Vlcere per spongiam deterso, lanas admodum succidas in testa exurito teda admota, donec totas combusseris, hoc bene contritum

inſpergito, & eodem modo deligato. Aliud aridum ad eadem vlcera. Chamæleon niger, alumen fici liquore dilutum, diluendum eſt autem vſtum, & anchuſa miſcenda. Anagallis & alumen Ægyptium vſtum, Aridum etiam in pollinem redactum orchomenium inſpergito.

MEdicamentum δῆκνον ſiue mordax, id dicitur quod calidum eſt, tenuium partium, & acrimoniæ particeps, frigidum etiam mordax dici poteſt, ſed in frigidis tardior & cunctantior eſt mordacitas, at in calidis celerior & promptior, ex Galeno ſecundo capite libri quarti ſimplicium medicamento. Μῖσυ & ſæpius μισυ, cum Chalcitide naſcitur, eãdémque vim habet, adurit enim, cruſtas inducit, purgat & nonnihil aſtringit, ex Dioſcoride & Galeno. Miſy tenuiſſime tritum vlceribus hoc loco inſpergit, quia quæ in tenuiſſimum redacta ſunt pollinem, cùm inſperguntur, minus rodunt, ſi ſpiſſiora, magis, ídque vrendo, faciendóque cruſtam. Vide Paulum capite 13. libri 7. de flore æris dictum fuit ſententia 26. huius libri. Secundum pharmacum fit ex lana ſuccida vſta, quæ, vt ait Galenus libro vndecimo ſimplicium medicamentorum, vim habet acrem & calidam, vna cum partium tenuitate. Itáque molles nimiúmque humidas vlcerum carnes, celerrimè eliquat. Vrit autem eam tanquam alia plurima, ollam implens nouam, quam tegat operculum multis foraminibus pertuſum, hîc alio modo comburit Hippocrates.

alij assulis tedæ subiectis & subinde inter stratis oleo aspersam accendunt, cinerémque in libellis aqua addita confricant manu, & considere patiuntur, idque sæpius, mutantes aquam, donec linguam astringat leniter, nec mordeat, tùm cinerem reponunt. Vis eius septica est, ait Plinius libro 29. cap. 2. Chamæleontis nigri facultates dictæ sunt sententia 35. huius libri de alumine & fici liquore alibi etiam dictum. Anchusæ quatuor species recenset Galenus libro sexto simplicium medicamentorum, prima dicitur onocleia, secunda lycopsis, tertia onochelos, quarta parua & innominata. Hîc videtur intelligere primam & secundam, quæ refrigerãt, desiccant, & astringunt, radicis autem potissimum hæc sunt opera, & operum facultates, nam folia radicibus sunt imbecilliora. Miscetur autem anchusa, ad chamæleontis & aluminis vsti & fici liquore diluti acrimoniam temperãdam, vt etiam anagallis, tam ea quæ flore cæruleo, quàm quæ phæniceo, vtráque enim mitigandi vim habet, & inflammationem arcet. Dioscoridi libro secundo. Quid autem ἐπίπαστον ὀρχομένιον vocet, non ita manifestum, vult autem denotare aridum aliquod medicamentum in pollinem redactum. Sunt qui per orchomenium adarcen vel adarcion intelligant. Variè autem hoc nomen scribitur apud authores. Apud Galenum libro vndecimo simplicium medicamentorum, ἡ ἀδάρκη, ὁ ἀδάρκος καὶ τὸ ἀδάρκιον, Apud Dioscoridem ὁ ἀδάρκης, latine adarca Plinio dicitur, & græcè καλαμόχνος quasi arundinum Lanugo, quòd in arundinibus concretæ lanuginis modo inuenitur,

nascitur enim eidem Plinio libri 32. cap. 10. circa tenues arundines è spuma aquæ dulcis & marinæ, vbi se miscēt, vímque habet causticam. Idem fere scribit Galenus eodem libro vndecimo simplicium medicamentorum, adarca est spuma aquæ salsæ concreta, circa arundines concrescens, éstque acerrimum & calidissimum medicamentum. Dioscoridi vero libro quinto est tanquam salsilago humidis & palustribus locis siccitate emergens, & arundinibus ac herbis agglutinata. Ego per orchomenium, malo intelligere puluerem vstum calami orchomenij, qui puluis vt ait Galenus libro septimo simplicium medicamentorum, admodum tenuium est partium, digerentis facultatis, adiunctum habens abstersorium quiddam, vt exsiccet & calefaciat tertio ordine, plus tamen desiccet, quàm calefaciat. Plinius enim scribit libri 16. capite 36. orchomenium esse calamum cōtinuo foramine peruium, quem auleticon vocant, quod sit tibijs vtilior. Dioscoridi hæc arundo fœmina vocatur, qua tibiarum linguas efficiunt, libro primo, hic autem calamus dicitur orchomenius, quod in orchomenij lacus arundinetis plurimus nascatur.

Πρὸς δὲ τὰς νομὰς, στυπτηρίη ἥτε αἰγυπτίη ὀπτὴ καὶ ἡ μηλείη, πρότερον δὲ ἀπονιτρῶσαι ὀπτῶ, καὶ ἀνασπογγίσαι, καὶ ἡ χαλκῖτις στυπτηρίη ὀπτὴ, ὀπτᾶν δὲ ἕως ἂν φλογοειδὴς γένιται.

AD nomas autem, alumen & ægyptium vstū & melinum. Sed prius

nitrum vſtum inſpergatur, ſpongiáque detergatur, alumen etiam vſtum quod chalcitis vocatur, vratur autem dum flammeum fiat.

NOmæ ſunt vlcera depaſcentia & ſerpentia, vel ſunt vlcera putredinoſa, quæ vicinas partes ſerpendo depaſcuntur. Plinius paſſim nomas vocat. Contra nomas eiuſmodi nunc remedia præſcribit. De alumine ægyptio & melino dictum fuit ſentẽtia 23. huius libri, de nitro etiam ſententia 26. de alumine quod vocatur Chalcitis vide quæ notata ſunt circa finem ſententiæ 33. nitrum autem inſpergitur prius, vt vlcus putredinoſum abſtergatur & expurgetur, quod tamen rurſus ſpongia detergendum, vt alumen vſtum carnem putreſcentem facilius abſumat. Alumen vri & torreri debet Chalcitidis modo. Dioſcoridi libro quinto. Torretur autem Chalcitis fictili ſubditis candentibus prunis ſubinde verſata, donec igni conflagret & colorem mutet.

Τῶν παλαιῶν ἑλκέων τῶν ἐν τοῖσι ἀντικνημίοισι γινομένων, αἱματώδεα δέ τοὶ γίνεται καὶ μέλαινα, μελιλώτου ἄνθος τρίψας, μέλιτι φυρῶν ἐπιπλάσσω χρῆσθαι.

AD inueterata vlcera quæ in anteriore tibiæ parte fiunt, ſunt autem ea cruenta & nigra, meliloti florem tri-

tum & melle exceptum cataplaſmatis modo imponito.

ANτικνήμιον appellatur quod excarne & tenue in antica eſt tibia, vel medium & minimè carnoſum in tibia, à ſummo deorſum in longitudinem protenſum, in gracilibus conſpicuum, eadem pars quia ſit multum acuta, a quibuſdam ἄκανθα & ſpina dicitur. In ea parte fiunt vlcera diuturna, ob partis ſitum decliuem, & quoniam maximam corporis partem ſuſtinet os, quod ab interiori parte tibiæ ſitum eſt, præterea vt dicet poſtea ſententia 49. varix eſt in anteriore parte tibiæ, aut ſub carne, qui vlcus fouet, illúdque reddit non ſolum ſanguine ſuffuſum, ſed etiam nigri coloris ob ſanguinem melancholicũ in varicibus contentum. Huic vlceri inueterato cataplaſma imponit ex meliloti floribus tritis & melle exceptis, quod vim habet purgandi aſtringendi, digerendi & concoquendi. Μελίλωτος, latinis ſercula campana, nomen autem ſerculæ occupauit, quòd antiquitus coronæ ex hac fierent, campanæ vero, quod in campania Italia laudatiſſima naſceretur, miſtam habet facultatem, aſtringit enim, digerit & concoquit. Galeno libro ſeptimo ſimplicium medicamentorum. Locum iſtum non legerat Matthiolus, dum ſcribit capite de meliloto, neminem adhuc inueniſſe è græcis auctoribus, qui explicauerit, quæ meliloti pars in vſum medicinæ recipiatur, an radices, an folia, an flores, vel ſemina.

Ἐπὶ

Ἐπὶ νεῦρα δὲ διατμηθέντα ἐπιδεῖν μυρρίνης ἀγρίης ῥίζας κόψας καὶ διαττήσας, καὶ φυρήσας ἐλαίῳ, καὶ τὴν ποίην τὴν πεντάφυλλον, λευκὴ δὲ ἐστὶ καὶ χλοώδης, καὶ ὑψηλοτέρα ἀπὸ τῆς γῆς, ἢ τὸ μέλαν πεντάφυλλον, ταύτην τρίψας ἐν ἐλαίῳ ἐπιδεῖν, ἀπολύειν δὲ τεταῖον.

AD neruos præcisos alligato myrti syluestris radices contusas, cribro traiectas, oleóque subactas, & herbam quinquefolium, quod est album, ex virore pallescens, elatius à terra, quam quinquefolium nigrum, hanc inquam herbam in oleo tritam alligato, & tertia die soluito.

NErui vulnerati curatio medicamenta postulat, quæ valenter desiccent citra tamen dolorem & molestiam, calorémque debent excitare tepidum, & suæ substantiæ natura trahendi vim habeant, sintque tenuium partium. Galeno libro sexto methodi medēdi. Eiusmodi pharmaca duo nunc proponit ad neruos præcisos. Μυῤῥίνη ἀγρία, vel Dioscoridi, μυρσίνη ἀγρία, Plinio est myrtus syluestris, quam quidam oxymyrsinem vocant, alij chamæmyrsinen. libri 15. capi. 7. & capite vltimo libri 23 ruscum vocat, ex quo fiunt ruri scopæ. Radix myrti syluestris in honore est, ibidem, decocta enim cum vino & pota valet contra renum dolores, vrinam difficilem, & morbum regium, itáque tenuium est par-

tium & temperata in calore. Contunditur autem radix, cribróque secernitur, & exactè læuigatur, vt arida collyria, quod enim crassis constat partibus, neruos vulneratos nihil iuuat, quia subtilia pharmaca requirunt, vt docet Galenus libro 3. κτ' γέν. Oleo vero diluitur & maceratur, quia medicamenta omnia, quæ neruorum vulneribus adhibentur, liquida & mollia esse conuenit, mollitiem autem quoduis oleum conciliat. Galeno ibidem. Pentaphyllum autem siue quinquefolium tenuium est partium, minimum habens euidentis caliditatis, & citra morsum desiccat. Galeno libro octauo simplicium medicamentorum. Hippocrates hoc loco duplex quinquefolium agnoscit, album & nigrum, quamuis vnius tantum quinquefolij meminerit Dioscorides, eius tamen interpretes Matthiolus quatuor se genera vidisse in Italia scribit, describítque secundum genus, quod constat folijs albicantibus, hirsutis, & flore candido, album autem quinquefolium assumit Hippocrates ad neruos præcisos, illúdque depingit quòd sit album, ex virore pallescens, aut pallido colore infectum, & procerum, magísque distans a terra, quàm nigrum pentaphyllum. Puncti autem nerui & cæsim vulnerati curationem copiose docet Galenus cap. 2. & 3. libri sexti methodi therapeuticæ, & libro 3. κτ' γέν.

Φάρμακα μαλθακώδεα, ἃ καὶ οὐλὰς καλὰς ποιέει, τοῖσι δὲ χρὴ τοῖσι φαρμάκοισι χρῆσθαι ἐν χειμῶνι μᾶλλον, ἢ ἐν θέρει. Σκίλλης τὸ εἴσω

τὸ μυξῶδες τρίψας, ἢ πεύκην σὺν συείῳ στέατι νέῳ, ὀλίγον ἔλαιον, καὶ ῥητίνης ὀλίγον, καὶ ψιμυθίου, καὶ στέαρ χηνὸς, καὶ συὸς νέον, καὶ σκίλλαν, καὶ ἔλαιον ὀλίγον, κηρὸς ὡς λευκότατος, στέαρ πρόσφατον καθαρόν, ἢ σκίλλαν, ἔλαιον λευκὸν, ῥητίνης ὀλίγον, κηρὸν, στέαρ συὸς παλαιὸν, καὶ νέον, καὶ ἔλαιον, καὶ ἴος, καὶ σκίλλα, καὶ ῥητίνη, ἔστω δὲ δύο μοῖραι τοῦ παλαιοῦ στέατος πρὸς τὸ νέον, τῶν δὲ ἄλλων ὁκόσον δοκέει καιρὸς εἶναι, στέαρ συντήξας πρόσφατον ἀποχέας εἰς ἕτερον χυτρίδιον, καὶ τῆς μολυβδαίνης τρίψας ὡς λειότατον διαττήσας, συμμίξας, ἕψειν, καὶ κυκᾶν τὸ πρῶτον, ἕψειν δὲ ἕως ἂν ἐπισταχθὲν ἐπὶ γῆς πήγνυται, ἔπειτα καθελὼν ἀποχέαι τὸ ἄλλο, πλὴν τῆς λίθου τῆς ὑποστάσης, καὶ ἐμβάλλειν ῥητίνην καὶ ἀνακινέειν, καὶ κέδρινον ἔλαιον ὀλίγον ξυμμίξας τὸ ἀφηρημένον, πᾶσι χρὴ τοῖσι μαλθακοῖσιν ὅκου ἂν ῥητίνην ξυμμιγνύῃς, ἐπειδὰν ἀφέλῃς ἀπὸ τοῦ πυρὸς τὸ φάρμακον, ἐς θερμὸν ἔτι ἐὸν καθεὶς τὴν ῥητίνην κυκᾶν. Ἕτερον, στέαρ συὸς παλαιὸν, καὶ Κηρὸς, καὶ ἔλαιον, τὰ δὲ ξηρὰ, ἰζήματα τοῦ λωτοῦ, λιβανωτὸς, μολύβδαινα, ἤγουν τοῦ μὲν μοῖρα, καὶ τῆς δὲ μοῖρα, καὶ τοῦ ἰζήματος μοῖρα, ἔστω δὲ τοῦ παλαιοῦ στέατος δύο μοῖραι, κηροῦ δὲ μία, καὶ ἐλαίου μία, ἕτερον, ἢ στέαρ μόνον παλαιὸν ὕειον, σὺν τῷδε, στέαρ αἰγὸς πρόσφατον, ὡς ἥκιστα ξὺν τῷ ὑμένι κατακαθήρας, μικρὰ τρίψας, ἢ κατακόψας

λεῖα, ἔλαιον παραχέειν καὶ παραπάσσειν τοῦ μόλιβδον ξὺν τῇ σποδῷ, καὶ λωτοῦ ἰχθυημάτων τὸ ἥμισυ, ἕτερον, στέαρ αἰγὸς, σποδὸς, χαλκῖτις κυανέη, ἔλαιον.

MEdicamenta lenia, quæ cicatrices decoras faciunt, potius hyeme quam æstate admouenda sunt. Scillæ interiorem partem mucosam contundito, aut piceam cum adipe suilla recenti, paucum oleum, resinam paucam & cerusam, & adipem anserinam, & suillam recentem, & scillam, & oleum paucum. Cera albissima, adeps recens mundata. Aut scilla, oleum album, paulum resinæ, cera. Adeps etiam suilla vetus ac recens, oleum, ærugo, scilla, resina, sint autem duæ partes adipis veteris ad recentem, aliorum vero quantum opportunum videbitur. Adipem recentem liquefacta in aliã ollam effundito, ac molybdenam diligenter tritam, ac cribro traiectam vbi miscueris coquito, ac primùm agitato. Coquito autem donec instillatum in terram conctescat, deinde tollens effundito reliquum, præter lapidem subsidentem, & resinam adijcito ac dimoueto, & modicum oleum cedrinum misceto cum ab igne detrahitur.

Omnibus lenibus quibus resinam admisces, vbi phārmacum ab igne sustuleris, necesse est in calidum adhuc, resinam immittere, ac agitare. Aliud, adeps suilla vetus, & cera, & oleum: Arida vero, loti ramenta, thus, molybdæna, videlicet thuris pars vna, molybdænæ pars vna, & ramenti pars vna. Sint vero adipis veteris partes duæ, ceræ vna, & olei vna. Aliud, aut adeps suilla vetus dumtaxat, & cum hac, adeps caprina recens curata, vt sine membranulis sit, quam vbi parum contriueris aut læuiter contuderis, oleum infundendum est & plumbum inspergendum cnm spodio, & loti ramentorum dimidium. Aliud, adeps caprina, spodium, Chalcitis cærulea, oleum.

Principium huius sententiæ in codice græco & mendosum & transpositum legitur, nos ita restituimus, quemadmodum etiam legisse videtur Vidius. Vulneribus autem recentibus & sordidis, medicamenta lenia, quæ vocant μαλθακώδεα minime conuenire dixit, sententia nona huius libri, nunc quis sit horum medicamentorum vsus, quoque tempore sint admouenda, demonstrat, & lenium medicamentorum formulas nonnullas recenset. Lene autem siue μαλθακῶδες vocat Hippocrates omne genus pharmacorum, quæ ὑγρότητα σύμφυτον & connatam hu-

miditatem habent, qualis in pingui est, singulisque oleosis medicamentis, & quidem in ipso oleo & aqua: quin & resina ceráque aliquid μαλθακῶδες habent, ait Galenus libro 4. κτ' γένη, hæc autem lenia medicamenta decoras & venustas cicatrices inducunt, differunt autem ab ijs quæ cicatricem generãt, quæque ob id ἐπουλωτικὰ vocantur, quòd hæc valde sicca sint & astringentia, illa vero emolliant, relaxent, detergant & discutiãt, potiúsque cicatrices reparant & emendant, quam generant. His lenibus medicamentis potius hyeme quàm æstate vtendum est, quoniam Hippocrates in calidioribus anni temporibus, ijs quibus frigidior sit facultas medicamentis vtitur, calidioribus vero per frigora, vt ait Galen. libro tertio methodi medendi capi. 8. & ex admotione medicamentorum calidorum, cuiusmodi sunt ista lenia ex adipibus & oleis, periculum est ne pars computrescat, si anni tempus calidius sit, ex secundo capite eiusdem libri. Omnes istæ lenium medicamentorum formulæ decoras cicatrices generant, vel emolliendo, vel discutiendo, vel detergẽdo, quod ex simplicium medicamentorum facultatibus perspicuum esse potest. Cicatrix autem turpis est, cum excreuit, vel nigra est, itáque venustas cicatrici acquiritur, cum aut reprimitur, aut colorem maxime sano corpori similem accipit. Scilla incidentem admodum facultatem obtinet, & secundo fere ordine calida est, itáque resoluit & deterget. Interior pars scillæ sumitur, quoniam vt ait Dioscorides libro secundo. Sumi solet, quod est maxime medium, direptis viuo tenus tunicis. Ad ri-

mas etiam pedum, interna pars crudæ scillæ in oleo feruefacta, aut cum resina liquefacta imponitur. Pix omnis siue sit ex pinu siue ex picea, siue sit liquida, siue arida, calefacit & desiccat, sed arida magis desiccat, humida plus calefacit, Galeno octauo lib. simplic. medicament. Dioscoridi libro primo discutiẽdi & emolliendi vim habet. Πεύκη siue picea hoc loco significare potest corticem piceæ arboris, qui tritus & illitus prodest vlceribus summum corpus occupantibus, vlcera etiam delicatulorum acrimoniam recusantium, cerato myrtino exceptus ad cicatricem perducit. Vel quod magis verisimile est, significat liquidam resinã è picea, vt vertit etiam Cornarius. Omnibus autẽ resinis natura est calefacere, mollire, discutere, expurgare. Dioscoridi libro primo. στέαρ siue adeps est elcosa & pinguis in animalibus substantia, quæ vim habet calefaciendi & humectandi. Adeps autem suilla largius humectare potest. Calor autem eius nostro similis est, recens omnis adeps minus calefacit, dum enim inueterascit, seipsa & calidior & tenuior efficitur, validiúsque desiccat. Galeno libro vndecimo simplicium medicament. Adeps anseris calidior est suilla. Cerussa vim habet refrigerandi, emolliendi, insuper excrescentia leniter reprimit, & ad cicatricem perducit, miscetur ceratis & emplastris, quæ liparæ vocantur, Dioscoridi libro 5. Cera omnis mollit, calefacit. Candida quomodo fiat docet Dioscorides libro 2. & Plinius libri 21. capite 14. Cera quæ ablutione fit candida, deponit quam à melle habet acrimoniam. Galeno libri 4. de simplicibus me-

dicamentis, capite 6. Cera quædam alba est, quæ sua natura talis prouenit, qualis est pontica, in ponto enim plurima alba nascitur, quædam albicans ablutione efficitur, non autem sua sponte talis nascitur. Galeno, libro primo κτ̓ γένη, cum agit de emplastris albis, quæ ex argenti spuma & cerussa fiunt. Μολυϐδαινα duplex est, vna factitia, quæ fit arte, dum eliquatur plumbum, vel dum argentum vel aurum admixto plumbo funditur, quod crassum remanet in fornacibus, molybdæna est, quam Plinius Galenam vocat, & ideo Dioscoridi dicitur gigni ex auro vel argento, non quod aurum & argentum sint materia molybdænæ, sed quod cum argento vel auro plumbum reperiatur, vel auro & argento ad eliquationem, plumbi aliquid admisceatur, & excrementum illud quod fornacibus adhærescit, molybdæna est. Altera est fossilis & naturalis, quæ est vena plumbi, quæque rara est, molybdæna vim habet desiccandi, & vlcera ad cicatricē perducit, miscetúrque conuenientissimè medicamentis, quæ liparas vocant. Dioscoridi libro 5. Plinio vero libri 34. capite 18. molybdænæ vsus, in liparis, ad lenienda refrigerandáque vlcera. Vidius semper molybdænam malè confundit cum plumbi recremento, plumbum autem mirifice cicatrices reprimit. Itáque suadet Celsus lib. 5. cap. 26. vt super cicatricem plumbum album deligetur, quo & reprimitur cicatrix, & colorem maxime sano corpori similem accipit, monétque vt lenibus medicamentis in facie cicatrix vngatur, in alijs vero corporis partibus emplastrum imponatur, quod idem suadet Plinius

lib. 34. dum vult ne alligentur emplaſtra lenia, ſed illinantur in teneris corporibus, molliſſimíſque partibus. Animaduerte autem miram Hippocratis diligentiam, dum admonet quomodo miſcenda ſit reſina lenibus medicamentis. Sequens pharmacum lene, quod cōſtat adipe ſuilla vetere, cera, & oleo, humidis medicamentis: & tribus alijs aridis nempe, loti ramentis, thure, & molybdæna, mira fuit arte ab Hippocrate deſcriptum, & ſingulorum menſura præſcripta, quod tamen hactenus a nemine intellectum puto, interpretes enim Latini male vertunt, mendúmque in exemplari Græco manifeſtum non animaduertunt, quod tamen facile deprehendet qui medicamentorum ſimplicium ordinem & ſymmetriam ab Hippocrate propoſitam conſiderare voluerit. Cum enim tria humida proponat, & ſtatim ſubiungat tria alia arida, aridorum menſuram primùm deſcribit, nempe thuris partem vnam, molybdænæ partem vnam, & ramenti partem vnam, definit deinde & quantitatem humidorum, aſſumítque veteris adipis ſuillæ partes duas, ceræ partem vnam, & olei, quod ſolum reſtat, partem vnam. Hîc omnes codices mendosè legunt, νέυ στέατος μία, nos pro νέυ, ἐλαίυ reſtituimus, & illud στέατος, quod male fuit additum, deleuimus, facilis fuit lapſus, dum fortaſſe ἐλαίυ ſine prima ſyllaba legerent, νέυ reſtituere voluerunt, στέατος addiderunt, quod initio huius compoſitionis στέαρ παλαιὸν aſſumat Hippocrates. De loti ramentis, & thure vide commentarium in ſententiam 27. huius libri. Plinius ſimile medicamentum lene ex tribus tantum.

recenset, libri 34. capite 18. Cuius compositio est ex molybdænæ libris tribus, ceræ libra vna, olei tribus heminis. Vidius nec vidit, nec vertit huius pharmaci maximam partem. Sequuntur duo alia pharmaca lenia, prius recipit adipem suillam vetustam, quæ minus humida est, adipem etiam caprinam a membranis expurgatam, quæ ob crassitiem citius concrescit, adipis autē membranulæ eximuntur ipsáque adeps leniter contunditur, vt liquari facile possit, libro primo κτ̀ γένη. Galeno, infunditur deinde oleum, tum inspergitur plumbum, non autem plumbi recrementum, vt male vertit vidius, cum spodio, quod idem interpres prætermisit, & dimidium ramentorum loti. Cæterum σποδὸς siue σπόδιον a pompholyge sola specie non genere distat. Vtráque enim in fornacibus in quibus æs vritur, colligi solet, sed pompholyx est fauilla quæ tectis & parietibus adhærescit, spodium vero est purgamentum, quod in officinarum pauimentis colligitur, nemo autem spodio vti debet, cui suppetit pompholyx. Galeno libro nono simplicium medicamentorum. Postremum pharmacum recipit adipem caprinam, spodium, chalcitim cæruleam, & oleum. Quid autem sit χαλκῖτις κυανέη, chalcitis cærulea, non facile est dictu, nisi forte chalcanthum intelligas, quod in chalcitim transire Galenus obseruauit, libro nono simplicium medicamentorum. Chalcanthum autem cœruleum optimum esse creditur Dioscoridi libro 5. atque hoc constringit, deficcat, & calore suo carnis humiditatem absumit, vel fortasse χαλκῖτις κεκαυμένη, non κυανέη legendum est, quod chalcitis

vsta melior sit quàm non vsta, minus enim mordicat, nec minus desiccat, & astrictionis parum retinet. Galeno ibidem. Vidius non κυανὲη legisse videtur sed κύανος præter omnium exemplarium Græcorum fidem.

περὶ πυρικαύστου, ἑψεῖν χρὴ πρίνου ῥίζας ἁπαλὰς, ὧν εἰ ὁ φλοιὸς ἐστὶν παχύτατος καὶ χλωρώτατος, κατατεμὼν μικρὰ, οἶνον λευκὸν ἐπιχέας, μαλθακῷ πυρὶ καθεψεῖν, ἕως ἂν δοκέῃ καλῶς ἔχειν τὸ πάχος, ὡς ὑπάλειπτρον, καὶ ἐν ὕδατι τὸν αὐτὸν τρόπον, ἕτερον μὴ δάκνον. Ὑὸς στέαρ μόνον παλαιὸν ὑπαλείφειν τήξας αὐτὸ, ἄνωθεν δὲ τῆς σκίλλης τὴν ῥίζαν διαιρῶν καὶ περιθεὶς καταδεῖν, τῇ δὲ ἑξῆς ἐπαιονᾶν τήξας στέαρ τε ὑὸς παλαιὸν, καὶ κηρὸν, καὶ ἔλαιον συμμίξας καὶ λιβανωτὸν, καὶ λωτοῦ ἰχθυήματα, καὶ μίλτον, τούτῳ ὑπαλείψας, ἄρου φύλλα ἐν οἴνῳ καὶ ἐλαίῳ ἑψήσας, περιθεὶς καταδεῖν, ἕτερον, ἐπειδὰν, τῷ συείῳ στέατι ὑπαλείψῃς τῷ παλαιῷ, καταλείφειν ἀσφοδέλου ῥίζας ἐν οἴνῳ τρίψας καὶ λειώσας. Ἕτερον. Τήξας στέαρ συὸς παλαιὸν, συμμίξας ῥητίνῃ, καὶ ἀσφάλτῳ, καὶ αὐτὸ ἐπαλείψας ἐς ὀθόνιον, θερμήνας πρὸς πῦρ, ἐπιθεὶς ἐπιδεῖν.

De adustis.

Oportet ilicis radices teneras incoquere, quarum corticem, si maxi-

mè crassus, maximéque viridis sit, in tenues partes dissectum, vino albo affuso, lento igne coquito, donec iustam crassitudinem habere videatur, vt illini possit, eodem modo & infusa aqua potest coqui. Aliud non mordax. Adipem suillam veterem liquefactam solam illinito, supernè verò scillæ radicem dissectam imponito, ac deligato, postridie vero superfundito liquatam suillam adipem veterem, vbi miscueris ceram, oleum, thus, ramenta loti, ac minium, hoc vbi illeueris ari folia in vino ac oleo decocta imponito ac deligato. Aliud. Postquā adipe suilla vetere inunxeris, asphodeli radices in vino contritas donec læues fiant, super illinito. Aliud. Adipem suillam veterem liquato, cum resina & bitumine misceto, hæcque linteolo excepta & ad ignem calefacta imponito ac deligato.

Πυρίκαυστον combustio, non solum significat quod igne ambustum est, sed etiam quod est aqua feruente exustum. Galeno libro primo κατὰ γένη, cum agit de pharmaco ex chalcitide confecto. Paulus tamen libri quarti capite vndecimo. Πυρίκαυστον vocat ambustum igne, vstionem vero ex aqua calente nominat κατάκαυμα ἀφ᾽ ὕδατος. Quæ oleo feruente aut simili materia combusta sunt, sub hoc etiam genere continentur.

Hippocrates hîc ambustorum remedia proponit, quod in his etiam vlcera fiant, vel fortasse, quod ego mihi persuadeo, titulus hic περὶ πυρικαύστων, non est Hippocratis, sed ab aliquo appositus, & ambustorum nulla in his remedijs mentio, quamuis ea indigeant medicamentis lenibus vt turpis & indecora emendetur cicatrix. In membris autem adustis tria potissimum sunt obseruanda, primùm empyreuma, inflammatio & dolor, deinde pustulæ, tùm vlcus siue excoriatio. Ad inflammationem extinguendam, empyreuma euocandum, dolorémque sedandum statim ab initio admouenda sunt, quæ vim habent refrigerandi, cuiusmodi est aqua, acetum, oxycratum, oui albumen, succus lactucæ, aizoi, solani, & quæuis terra læuis, vt bolus armena, & Galeno terra selinusia & chia, aquâ, oxycrato, aceto, succis aut aquis stillatitijs soluta & tepidè admota, pro ratione corporum mollium aut durorum, hæc autem omnia pennis illinenda sunt, a manuum autem contactu prorsus abstinere oportet, ex Ætio, neque vero solis frigidis in ambustis circa initia vtendum, sed quemadmodum ignis si propiùs ipsi pars exusta admoueatur, fit proprij iniusti mali alexiterium, partémque reuocato empyreumate, dolore leuat, sic nonnulla impressum partibus ardorem foras calore prolectant, atque ita sedata inflammatione ambustis medenter. Sic cæpæ cum sale contusę, ambustæ parti impositæ, miraculo persanant, at ex aqua calente vstiones, priúsquam pustulæ oriantur, oliuarum salsarum aquâ continuè superfunduntur, ipsæque oliuæ salsæ cum polenta contritæ indu-

cuntur, aut fel taurinum cum aqua copiosiore liquatum inungitur. Paulo, ambusta denique aquis feruidis, si ouo statim occupentur, pustulas non sentiunt. Gluten etiam ex tergoribus boum pellucens & candidum dilutum aqua, ambustis illitum pustulas prohibet. Pustulæ cùm iam excitatæ fuerint non sunt statim disrumpendæ, sed cum durauerint, tunc sunt aperiendæ, antequam rumpantur fel porci coctum, aut hyosciami viridis succum assiduè illine, & pustulæ marcescent, Ætio. Excoriatis pustulis betæ folia in vino cocta & trita imponuntur, aut calx aqua rosarum aut plantaginis lota, & rosaceo vnguento subacta, blandum est excoriatis pustulis remedium. Sed in facie hoc vnguento ex calce composito non vtendum, ne cicatricem nimium contrahat. Laridum etiam ad flammam liquatum, aut ferro ignito superpositum dum destillet, aqua rosacea exceptum, ambusta sanat, hordeum tostum tritum ex oui candido vtiliter illinitur, frumentum etiam tostum & tritum è vino vlceratis præstantissimo est remedio; folia myrti puluerata aqua rosarum perfusa blandè exsiccant, & cutim nutriunt. Corticis vitis cinis ex oleo illitus pilos reddit; frigoris autem adustionē rutæ folia cum vino & oleo cocta, & trita impōsita persanant. Denique ambusta, medicamenta requirūt, quæ modicè abstergant, & non multum desiccent, citra manifestam calefactionem aut refrigerationem, sic enim generabitur caro, & implebitur vlceris cauitas. Curationem ad... torum paucis perstringit Celsus libri quinti cap.27. circa finem. Dum inflammatio est, impone cum melle

lenticulam, vbi ea declinarit, farinam cum ruta, vel porro, vel marrubio, donec crustæ cadant, tum eruum cum melle, autirim, aut resinam terebinthinam donec vlcus purum sit, nouissimè siccum linamentum. Hippocrates hîc quatuor pharmaca proponit. Primum vim habet refrigerandi & repellendi, siccandi etiam & glutinandi, de radicibus ilicis in vino albo coctis, dictum est commentario in sententiam 28. Secundum pharmacum, quod primo statim die imponitur, vim habet sedandi doloris & euocandi foras caloris. Scillæ enim radix vim acrem & feruentem habet. Quod vero postridie illinitur, vim habet leniendi, astringendi, detergendi, & desiccandi. De cera, oleo, thure, & loti ramentis dictũ prius, μίλτος Plinio libri 33. capite 7. minium vocatur, vim habet siccandi & astringendi, Dioscoridi libro quinto. De aro dictum fuit commentario in sententiam 30. huius libri. Huius pharmaci verba Græca non expressit Vidius in sua interpretatione. Tertium etiam pharmacum dolores lenit, & empyreuma prolicit foras, hîc etiam oscitanter Vidius νέον pro παλαιῷ legit. Radix autem asphodeli gustu acris est & calefacit Dioscoridi, ideóque astringentis & discutientis est facultatis, Galeno. Plinio autem libro 22. decoctæ radicis asphodeli succus ambusta emendat. Postremum remedium lenit desiccat. De resina præcedenti commentario dictum. Ἄσφαλτος autem siue bitumen, Galeno libro vndecimo simplicium medicamentorum vim habet siccandi, valetque ad vlcera glutinanda, & ad alia omnia quæ siccari debent cum modico calore.

Ὅταν ἐν τῷ νώτῳ ὑπὸ πληγέων ἢ ἄλλως ἕλκος γένηται, τῇ σκίλλῃ διέφθῳ, τρίψας καὶ ἐπ' ὀθόνιον ἀλείψας, ἐπιδεῖν, ὕστερον δὲ στέαρ αἰγὸς, καὶ συὸς νέον, καὶ σποδὸν, καὶ ἔλαιον, καὶ λιβανωτὸν ἐπαλείφειν.

CVm in dorso ex ictu, aut alio quouis modo vulnus fuerit, scillam coctam tritam ac linteo illitam deuincire oportet, deinde vero caprinam adipem, ac suillam recentem, spodium, oleum, ac thus inungere.

Νῶτος siue νῶτον dorsum Rufo dicitur posterior corporis pars a ceruice ad metaphrenum vsque nonnulli ἀντίστερνον vocant, vt enim στέρνον est thoracis pars anterior, sic νῶτος posterior. Aristoteli autem latius patet, diciturque pars tota posterior ab occipite ad extremum vsque coccygem. Vulnera autem dorsi medicamentis etiam lenibus curantur, ideóque meminit hoc loco vulnerum dorsi, quod quia neruis abundat & exquisiti sensus est, medicamenta requirit quæ dolorem leniant. Neruorum enim vulneratorum curatio medicamenta postulat, quæ calorem tepidum excitent & valenter siccent, tum quæ ex substantiæ suæ natura trahendi vim habeant, & tenuium sint partium, quæque dolorem mitigent & exitum saniei patefaciant, libri sexti methodi medendi capite secundo. Idem Galenus libro 3. κατὰ γένη, medicamenta omnia

quæ

quæ neruis adhibentur mollia esse vult, oleúmque dicit molliciem cõciliare. Hippocratis pharmacum vulneri in dorso videtur accommodatum, quod scilla vim habeat incidentem, & non admodum calidam, præsertim cocta, coctione enim facultatis vehementia exoluitur, deinde quod admouetur, ratione olei, adipis caprinæ & suillæ vim habet leniendi, ratione spodij & thuris vim habet desiccandi citra morsum. Spodium enim citra calorem manifestum tenuium est partium. Galeno libro 3. κτ' γέν. Itáque totum hoc pharmacum, dolorem mitigat, exitum saniei præbet, desiccat citra morsum, nec admodum calefacit.

Οἰδήματα ἐν τοῖσι ποσὶ γινόμενα, αὐτόματα καὶ μὴ αὐτόματα, οὐδὲν ὑπὸ τῶν καταπλασμάτων καθιστάμενα, τάτε οἰδήματα, καὶ ἡ φλεγμασίη, καὶ ἢν σπόγγους ἐπιδέη τις ἢ εἴρια, ἢ τὶ ἄλλο ἐπὶ τὸ ὑγιὲς, ἔπειτα ἀνοιδίσκηται αὐτόματον καὶ ἀναφλεγμαίνη, κατὰ φλέβας ἐπιῤῥους αἴτιόν ἐστιν αἵματος, ᾧτινι μὴ φλάσμα αἴτιόν ἐστὶ, καὶ ἢν πῃ ἄλλοθι τοῦ σώματος τοιοῦτόν τι γίνηται, ὁ αὐτὸς λόγος.

TVmores pedum siue sponte aut aliter orti, si nihil à cataplasmate remittantur, & ipsi tumores, & inflammatio, quamuis aliquis vel spongiam, vel lanam, vel quid aliud ad sanitatem con-

ferens deligarit, si postea sponte intumescant ac inflammentur, causa est fluxio sanguinis per venas, vbi contusio causa non fuerit, eadémque ratio est, cum tale quid in quacumque corporis parte contigerit.

PEdes cùm sint partes decliues,& onus totius corporis sustinentes, facile intumescunt, & inflammantur, sponte sua, & citra occasionem manifestam,corpore nempe superfluum humorem in eos fundente. Sæpius vero excitantur hi tumores in pedibus, ex vulneribus, vlceribus, contusionibus, fracturis,luxationibus & similibus causis. Cataplasmata proposuit Hippocrates sententia 23. huius libri,quibus eiusmodi tumores & inflãmationes sedari & sanari possint,quibus si non cesserint,quamuis spongia sit imposita,vel lana,vel pannus cum aqua,oxycrato,vino austero, aut aliquo alio astringente & repellente,vel etiam herbarum conuenientium folia:vel si his remedijs impositis, nonnihil remissior factus tumor, & sedata quodammodo fuerit inflammatio, postea tamen sponte, & citra occasionem manifestam reuertuntur,sanguinis è venis fluxum causam esse dicit,cur eiusmodi tumores & inflammationes recurrant. Itáque aliud quærendum remedium est, quàm vel cataplasmata,vel alia repellentia,quod sequenti sententia patefaciet, neque verò solùm id in pedibus obseruandum,sed in alia etiam quacumque corporis parte.

Ἀλλὰ τοῦ αἵματος χρὴ ἀφιέναι, μάλιστα μὲν κατὰ φλέβας τὰς ἐπιῤῥεούσας, ἢν καταφανέες ἐῶσιν, ἢν δὲ μὴ, κατακρούειν τὰ οἰδήματα βαθύτερα καὶ πυκνότερα καὶ ἄλλο πᾶν ὅ, τι ἂν κατακρούῃς, οὕτω χρὴ ποιέειν, καὶ ὡς ὀξυτάτοισι σιδηρείοισι, καὶ λεπτοτάτοισι, καὶ ὅταν ἀφαιρῇς τὸ αἷμα τῇ μήλῃ, μὴ κάρτα πιέζειν, ὡς μὴ φλάσις προσγίνηται, ὄξει δὲ καταινίζειν, καὶ θρόμβον αἵματος ἐν τοῖσι χάσμοισι μὴ ἐᾶν ἐγκαταλείπεσθαι, καταχρίσας τῷ ἐναίμῳ φαρμάκῳ, εἰρία οἰσυπηρὰ, κατεξασμένα, μαλθακὰ ἐπιδῆσαι ῥαίνας οἴνῳ καὶ ἐλαίῳ, καὶ ἐχέτω τὸ σχασθὲν ὅκως ἀνάῤῥους εἴη τοῦ αἵματος, καὶ μὴ κατάῤῥους, καὶ μὴ τεγγέτω ὅλως, καὶ ὀλιγοσιτεέτω, καὶ πινέτω ὕδωρ, ἢν δὲ ἀπολύων, εὑρίσκῃς τὰ σχάσματα φλεγμαίνοντα, καταπλάσσειν τῷ ἐκ τοῦ ἄγνου, καὶ λίνου καρποῦ καταπλάσματι. ἢν δὲ ἑλκωθῇ τὰ σχάσματα καὶ συῤῥαγῇ, πρόσχημα ὁρέων, ἔπειτα προσφέρων ὃ ἂν δέῃ, τὰ λοιπὰ ἰητρεύειν.

VErùm ſanguinem mittere oportet, potiſſimum ex venis quæ ſanguiguinem fundunt, ſi cónſpicuæ ſint, ſin minus pertundendi ſunt tumores altioribus ac frequentioribus vulnuſculis, & ita agendum eſt, quodcúmque aliud pertundas, idque acutiſſimis & tenuiſſimis

ferramentis. Cùm ſanguinem detrahis ſpecillo, ne nimiũ comprimas, ne forte contuſio ſuperueniat, tùm aceto perfundito; nec in fiſſuris ſanguinem concretum remanere ſinito, cúmque medicamento enæmo inunxeris, lanam ſuccidam, bene carptam, mollem ſuperalligato reſperſam vino atque oleo. Locum autem ſcarificatum ita collocato, vt refluxio ſit ſanguinis, non defluxio, nullóque modo madefacito. Parum autem cibi aſſumat æger, & aquam bibat. Vbi ſolueris, ſi cutis inciſiones inflammatione teneri deprehendas, cataplaſma ex vitice & lini ſemine imponito. Si vero exulceratæ fuerint ac confractæ, conſiderata rei occaſione & ſtatu, quod commodum erit impones, & ad ſanitatem perduces.

TVmores qui per ſe & ſponte ſuboriuntur in pedibus, aut in alia corporis parte, vel qui ſequuntur vulnera, vlcera, fracturas, luxationes, vel à cauſa aliqua externa dependent, ſi adhibitis idoneis cataplaſmatis & alijs remedijs non cedant, vel ſi ceſſerint, rurſus ſponte reuertuntur, veriſimile eſt eos excitari a ſanguine per venas diffluente. Itáque ſuadet Hippocrates, vt in eiuſmodi tumoribus ſanguinem detrahamus ex ijs venis, ex quibus confluit ſanguis, ſi ſint ma-

nifestæ, sin minus tumores ipsos pertundamus altioribus & frequentioribus incisionibus. Memineris autem istorum remediorum vsum non esse vsurpandum, nisi prius vacuato vniuerso corpore,& per sanguinis missionem, & per idoneam purgationem. Sic Hippocrates sententia 10. & 17. huius libri purgationem vlceribus conferre scripsit. Sic Galenus in arte medica docet per partem affectam vacuãdum non esse, si vniuersum corpus plenius fuerit, nam si manifeste scarificationibus & sectionibus vacuemus, dolorem excitabimus,proindéque fluxionem maiorem aduocabimus. Si vero calidis medicamentis digerere tentemus, plus in affectum locum ob calorem attrahemus, quàm per halitum dissipari possit, at si retorquere quod influxit velimus,corpus plenum non excipiet, duabus igitur his de causis, totum corpus vacuare oportet, deinde in contrarium omnino quod influit retrahere. Idem Galenus libro 14. methodi medendi, post sanguinis missionem, quæ ad animi defectum vsque fit adhibita, scarificare carbunculum,alienum non putat, vultque vt incisiones sint mediocribus altiores, ex venis autem vicinis sanguinem fundentibus fit detractio,cum id quod laboranti parti impactum est, euacuare oportet. Vacuatur id optimè, per venas vicinas & coeuntes cũ ijs quæ in partibus ipsis sitæ sunt, sic in anginis ambas sub lingua venas incidimus, sic in oculis induratas inflammationis reliquias, vena quæ ad magnum est angulum secta iuuat. Sic in vlcere varicoso venam ipsam vlceri suprapositam incidimus. Vbi verò conspicuæ nõ sunt

venæ,quæ ſanguinem fundunt, tumorem ipſum ſcarificamus, fit autem ſcarificatio, cum ſanguis in aliqua parte ita inhæſit,vt nec medicamento, nec phlebotomia poſſit reuelli aut educi, tunc ſcalpello inciditur cutis, & nonnunquam adigitur ſcalpellum in ſubiectam carnem, & quò altior fuerit inciſio, eo plenior eſt ſanguinis effuſio. Scribit Galenus libro de ſcarificatione, partes corporis phlegmone laborantes, aut induratas,aut tenſas, aut dolore vexatas, aut fluxione quæ iam firmata eſt, tentatas, ſcarificandas eſſe, quod ex hoc Hippocratis loco deſumpſit. Inciſiones præcipit fieri ferramentis acutiſſimis & tenuiſſimis,vt minori cum dolore fiant, facilius ſaneſcant, vt etiam vitentur magnæ inciſiones, quæ partibus & turpes cicatrices & imbecillitatem etiam aliquam relinquunt. Horum vulnuſculorum ſcalpello excitatorum curationem ſtatim præſcribit,primò leniter ſpecillo ſanguinem detrahit, ne forte in ſectionibus remanens inflammationem pariat,locúmque ſcalpello ex aſperatum perfundit aceto, quod repellendo, deſiccando,grumúmque ſanguinis diſſoluendo iuuat, præterea ſanguinis profuſionem, ſi forte ſit vehemens,ſupprimit,acetum enim quidam vulneri infundunt ad ſanguinem ſupprimendum, ex Celſo libro quinto de curatione profuſionis ſanguinis in vulneribus. Vbi inciſiones aceto perfudit, pharmaco aliquo enæmo inungit, vt deſiccando & aſtringendo vulnera conglutinet. Enæam autem pharmaci formam vide ſententia 33. huius libri, tum lanam ſuccidam reſperſam vino atque oleo ſuper alligat,eámque bene

carptam & mollem, vt astringat modicéque calefaciat, dolorem leniat, nec duritie sua partem lædat. Locus autem scarificatus sublimis sit, ne sanguinem aliunde fluentem recipiat, ita tamen collocandus æger, vt dolorem non sentiat, membrum vulneratum certa ratione collocari debet, ex Celso libro quinto, si glutinandum est, superius sit, in inflammatione, in neutram partem inclinatum sit, si iam pus profluit, sit deuexum. Locum hunc scarificatum madefacere nõ oportet, ex sententia prima huius libri. Sed cur meminit hîc diætæ tenuis, quam præscripsit sententia tertia in hunc modum. Abstinere a cibo quantũ vires patiuntur & aquam bibere, cunctis vulneribus prodest, magísque recentioribus, quàm vetustioribus, ne quis arbitretur morbum hunc esse inueteratum, & putet victum esse præscribendum, antiquo tumori & inflammationi conuenientem. Curationem enim incisionis persequitur, & vt ait Celsus libro quinto, Vetus vlcus vbi scalpello incisum est, & emissus sanguis, nonatum est vulnus, eíque eadem curatio adhibenda, quæ recentibus vulneribus. Post resolutum vinculum partibus inflammatis admouet cataplasma ex vitice & lini semine, de quo vide sententiam 23. & 24. huius libri vbi multa similia cataplasmata proponũtur. Scarificationes si exulcerentur, & ex multis vulnusculis fiat vlcus vnum lacerum, confractum, & commistum, tunc considerata vlceris specie, statu & conditione, quod opportunum videbitur remedium erit accommodandum, siue enæmon, siue detergens siue exedens, siue sarcoticum, siue epuloticum, aut

aliud quippiam. Cæterùm hoc loco duplex est lectio, Codex enim Basiliensis legit προσχῆμα, Aldinus προσχήμα, est autem προσχῆμα, ἡ πρόφασις, occasio, rei status, forma & figura, προσχήμα est id quod vtile & operæ pretium videtur, quasi ad rem faciens. Cornarius diuisum legisse videtur πρὸς χῆμα, vertit enim ad rem respiciens.

Ὅκου δὲ κιρσὸς ἔνεστιν ἐπ᾽ ἀντικνημίου, ἢ περιφανὴς, ἢ κατὰ τῆς σαρκὸς, καὶ ἔστι μέλαν τὸ ἀντικνήμιον, καὶ δοκέη δεῖσθαι αἵματος ἀπ᾽ αὐτοῦ ἀπορρυέντος, οὐ χρὴ τὰ τοιαῦτα ἀποκρούειν οὐδαμῶς, ὡς γὰρ ἐπιτοπολὺ ἕλκεα μεγάλα γίνεται ἐκ τῶν σχασμάτων, διὰ τοῦ κιρσοῦ τὴν ἐπιῤῥοὴν, ἀλλὰ χρὴ αὐτὸν τὸν κιρσὸν ἀποκεντέειν ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε, ὅπη ἂν δοκέη καιρὸς εἶναι.

CVm autem varix in anteriore tibia inest, aut conspicuus, aut in carne, estque tibia nigricans, & indigere videtur sanguinis detractione, talia nequaquam pertundere oportet, plerúmque enim vlcera maiora fiunt ex incisionibus ob varicis influxum, sed varicem pungere conuenit varijs locis, vbi opportunum esse videbitur.

VArix est immodica venæ dilatatio, in tibijs, quàm in cæteris partibus frequẽtior, quod sanguis melãcholicus propter suam grauitatem,

in partem decliuem & a fonte caloris longe dis-sitam facilius delabitur. Generari solet etiam va-rix in ima ventris parte, sub vmbilico, circa te-stes & scrotum, in ipsis inguinibus, in tempori-bus & in palpebris, Ætio. Varices plerúmque à succho melancholico, interdum etiam ab alijs crudis crassisque humoribus concitantur. Vari-ces & hæmorrhoides, si in sanientibus superue-niant, insaniæ solutio, aphorismo 21. libri 6. & rursum aphorismo 34. eiusdem libri. Qui calui fiunt, ijs varices magni non fiunt, quibus vero caluis existentibus varices superueniunt, ij rursus capillati fiunt, præterea ex fine sexti commenta-rij in librum sextum epidem. Varices melancho-liam, lienem scirrho tentatum, podagras & ar-thritides discutiunt. Curationem varicum hic proponit Hippocrates, nō autem temere secan-di, extrahendi, aut adurendi sunt varices, & ho-rum curationem non suscipiet Chirurgus, nisi admodum pateant, & vasis fracturam minen-tur, dolorémque excitent acerbum, aut adsit vl-cus magnum & malignum, tuncque satius est Hippocratis curationem adhibere, quam Gale-ni, Pauli, Ætij, aliorúmve medicorum, qui se-ctionem, ablationem aut adustionem præcipiūt, quæ curationes aliquando sunt ipso morbo gra-uiores. C. Marius cum vtrúmque crus varico-sum haberet, eámque deformitatem moleste ferret, vnius cruris varices medico sanandos pre-buit, & dum secaretur, neque suspirans, neque supercilia contrahens pertulit sectionem, fixís-que oculis, cruciantem se medicum spectauit, cúmque medicus alterum crus secare vellet,

minime assensum præbuit, dicens ἐγὼ τὸ ἐπανόρθωμα τῆς ἀλγηδόνος οὐκ ἄξιον. Video hanc directionem siue in naturalem statum restitutionem dolore non dignam. Galenus circa finem libri 13. methodi therapẽticæ, varicum excisionem probat, libro 4. κατὰ γένη capite 2. eorumdem vel excisionem vel scarificationem, quomodo varices excindantur docet Paulus libri 6. capite 82. Varicum sectionem & vstionem demonstrat Ætius capite penultimò libri 14. Rationem adurendi & excidendi varices explicat Celsus libri 7. capite 31. Miror nemini placuisse Hippocratis curationem, cùm sit tutior, facilior, breuior. Albucasis Arabs ad Hippocratis mentem propius accedit, tibiam fouet aqua calida, vt sanguinem crassum ac melancholicum attenuet, deinde femur ab inguinibus ad genu vsque constringit & deuincit, tùm vniuersam venam in tibia pungit duobus tribúsve locis, satis amplō foramine, sanguinémque detrahit, quantum ægrotantis vires patiuntur, demùm sectionem constringit, vt in venæ sectione fieri solet. Hippocrates hoc loco varicem non vult pertundere & scarificare, cum indigere videtur sanguinis detractione, ne ob varicis influxum vlcera amplientur & maiora fiant, sed tantùm diuersis in locis vt opportunum videtur, pungit & aperit. Scribit libro περὶ ἰητρεῖ, in varicibus debere fieri τομὰς στενάς, id est angustas sectiones, quia non facile sanguinis fluxus sisti possit. Ante hanc particularem apertionem, memineris cubiti venam secandam esse, & purgandum corpus pharmaco melancholicum humorem & petuitosum educente, ex quarto

libro κζ' γένη cap. 2. Rasis etiam 9 libro ad Almansorem circa finem, varices ita curat, vt statim initio basilicam aperiat, & melanogogum medicamentum exhibeat, hócque sæpius repetit, victúmque conuenientem præscribit, cúmque diu hoc regimẽ adhibitum fuit, ex venis in crure conspicuis sanguinem detrahit, a quibus tandiu fluere dimittit, donec quicquid in eis est euacuetur. Alij incipientes varices malunt medicamentis astringentibus prohibere, vt Ætius & Auicenna.

Ὅταν δὲ φλέβα τάμνῃς, ἐπειδὰν τοῦ αἵματος ἀφῇς, καὶ λύσῃς τὴν ταινίην, καὶ μὴ ἵστηται, τὰ ἀντία, ὅκως ἀνάρροους γίνηται τοῦ αἵματος, ἐχέτω, ἤν τε χεὶρ, ἤν τε σκέλος ᾖ, ὡσεὶ ῥέοντος τοῦ αἵματος ὀπίσω, καὶ οὕτως ὀπομείνας χρόνον πλείω ἢ ἐλάσσω κατακείμενος, ἔπειτα ἐπιδῆσαι αὐτὸν οὕτως ἔχοντα, μὴ ἐνεόντος τινὸς θρόμβου ἐν τῇ τομῇ, ἔπειτα σπλήνιον διπλόον προσθεὶς, τέγξας οἴνῳ, καὶ ἄνωθεν εἴριον ἐλαιώσας καθαρόν, ἢν γὰρ ἐπίρρυσις τοῦ αἵματος ἔῃ βιαίη, σχέσις γίνεται ἐπιρρέοντος, ἢν θρόμβου ἐπὶ τῇ τομῇ γινομένου, οὕτω φλεγμήνῃ, διαπυΐσκεται, ἑστηκότα δὲ χρὴ πλέον ἢ ἔλαττον, καὶ πεπωκότα φλεβοτομέειν καὶ ὑποτεθερμασμένον, καὶ ἡμέρης θερμοτάρης ἢ ψυχροτέρης.

QVùm vena incisa sanguinem miseris, & fasciam solueris, si non sista-

tur, vt refluxio fiat ſanguinis, & aduerſa parte collocetur ſiue manus, ſiue crus, ſicque ſanguinis fluentis impetus retrocedet, atque ita plus minúſve temporis iacens maneat, eóque in ſtatu deligetur, modò nihil concreti ſanguinis in ſectione relinquatur, dupléxque linteolum vino madens imponatur, ſupráque id lana lota, oleóque imbuta, nam etſi vehemens fuerit ſanguinis profuſio, ſuppreſſio fit effluxionis. Si vero in ſectione ſanguis concreſcat, & ita inflammetur, in pus verti ſolet. Vena autem ſecanda eſt, cum homo plus aut minus pranſus fuerit, ac biberit, cúmque leuiter calefactus fuerit, & die calidiore potius, quàm frigidiore.

SAnguinem mittendum eſſe dixit antea ex venis ſanguinem fundentibus ſi conſpicuæ ſint, in tumoribus pedum & aliarum corporis partium, varicem etiam pungendum varijs in locis, proximè propoſuit, nunc quid obſeruandum ſit, poſt ſanguinis eiuſmodi detractionem docet. Neque enim hîc commune præceptum deſcribitur, quod in ſanguinis miſſione & venæ ſectione, vel in brachio, vel in crure obſeruandum ſit, non enim tam curioſus in venæ ſectione fieri debet apparatus, ſed tantùm deligatur brachium vel tibia, ſuper impoſito penicillo ſicco, vel ex-

preſſo ex aqua frigida, celerrimeque venæ cicatricula confirmatur, ergo ſi nō ſupprimatur ſanguis ſoluto vinculo, mutandus eſt partis ſitus in cōtrarium, vt fiat ſanguis ἀνάῤῥοπος, qui prius erat καταῤῥοπος. Hîc autem in codice Græco vitioſe legebatur ἂν ὁ ῥοῦς, nos reſtituimus ἀνόῤῥους, & Paulo poſt legendum duximus, ῥέοντος pro χέοντος, quamuis legi etiam poſſit χωρέοντος, Cubans autem in eo ſitu tandiu detineatur, quandiu profuſionis ſanguinis imminebit periculum. Stare enim in vulneribus nō conducit, ſed neque ſedere, nec ambulare, ex ſentētia quarta huius libri, ita decūbens alligetur, vt nihil in ſectione ſit sāguinis concreti, quod etiam in ſcarificationibus prius obſeruandum iuſſit, vtque ſanguinis eruptio citius ſupprimatur, poſtquam faſcia ſectionem deligaris, ſuper imponendum linteolum duplex vino imbutum. Sit autem vinum nigrum & auſterum, vt curſum ſanguinis fluentis repellat & vlcus deſiccet. Lanam lotam oleo reſperſam ſuperaddat, vt locū muniat & vinculi dolorem leniat, Paulo ante in ſcarificationibus lanam ſuccidam vſurpabat, quia in his dolor grauior, lana etiam ſuccida magis lenit. Sic Galenus libello de hirudinibus, foraminibus ex quibus cruentæ lachrymæ effluunt, amotis hirudinibus, oleo madidam lanam imponit, ſi vero ſanguis cum impetu erumpat, linteolum aceto imbutum inijcit, aut gallam vſtam, aut ſpongiam pice liquida madentem ac poſtea vſtam ſuperponit. Quod in fine præcipit, vt pranſis, potis & leuiter calefactis mittatur ſanguis, Hippocrate eſt indignum, ſi per phlebotomiam, intelligas venæ ſe-

ctionem, quæ solet fieri in brachio, ad deplendam plenitudinem, aut ad vacuãdam humorum in vasis contentorum labem. Solent omnes medici in missione sanguinis diligenter obseruare, ne sit in ventriculo & in primis venis humorum cruditas, & noxiorum excrementorum colluuies, néve sit astrictior aluus. Crudiore enim vẽtriculo secta vena & euacuata, crudorum humorum plurimùm in sanguinis locum rapiet, & si suppressa aluo, venam incidas, hepar & exhaustę venæ sordidum & impurum quiddam è fæcibus exsugẽt, ergo præceptum hoc de particulari missione sanguinis est intelligendum, quæ fit in varicibus, aut in tumoribus pedum & aliarum corporis partium, qui excitantur a sanguine in partem affectam per venas fluente, hîc enim nullum periculum est, ne ex ventriculo crudiore, aut impuriore prima regione, hepar & venæ aliquid crudum aut impurum attrahant, partem enim affectam tantùm euacuat hæc venę sectio, aut certè minimum è vicinis, nihil vero prorsus ex alto aut ex distantiore loco prolicit. Ad idem refertur quod scribit, die calidiore potius, quam frigidiore secandam esse venam, cum enim in his tumoribus secentur varices aut venæ conspicuæ & vicinæ sanguinem impurum crassum & fere iam à natiuo calore destitutum continent, qui non facile profundetur, si accesserit frigus externum, diei autem calor eum tenuiorem & ad fluendum aptiorem reddit.

Σικύην δὲ προσβάλλοντα χρὴ, ἢν ἐπιῤῥέῃ τὸ αἷμα, ἀφῃρημένης τῆς σικύης κ ἢν πολὺ ῥέῃ,

ἢ ἰχὼρ ῥέῃ, αὐτοῖσι ταχέως πρὶν ἢ πλησθῆ, αὖθις προσβάλλων, ἐπεξέλκειν τὸ λειπόμενον, ἢν δὲ μὴ θρόμβοι ἐνεχόμενοι ἐν τοῖσι σχάσμασιν, ἔπειτα ἀναφλεγμήναντα ἕλκεα γίνεται ἐξ αὐτῶν, ὄξει δὲ χρὴ πάντα τὰ τοιαῦτα καταιονίζειν, καὶ ὕστερον μὴ τέγγειν, μὴ δὲ κατακέεσθαι ἐπὶ τὰ σχάσματα, τῶν δὲ ἐναίμων τινὶ φαρμάκων καταχρίσαι τὰ σχάσματα, καὶ ὅταν κάτωθεν τοῦ γόνατος δέῃ προσβάλλων ἢ πρὸς τὸ γόνυ, ἑστηκότι ὀρθῷ, ἢν δύνηται ἑστάναι.

Cucurbitulam autẽ admouere oportet si profluat sanguis, eáque remota si copiosè fluat sanguis, aut tenuis & serosus humor, oportet cito priúsquam impleatur, rursus imponere, & quod reliquum est extrahere. Alioquin concretus sanguis in locis scalpello concisis retinetur, indéque vlcera cum inflammatione exoriuntnr. Aceto vero hæc omnia perfundere conuenit, & postea non madefacere, neque in partem scalpello exasperatam decumbere, sed eam illinere medicamẽto aliquo ex his quæ cruentis protinus vulneribus inijciũtur. Quũque sub genu, vel ad genu cucurbitula admouenda fuerit, id fiat stante recto homine, si modo stare possit.

NOn hic cucurbitularum generalem vſum docet, neque præcepta communia de admouendis cucurbitulis proponit, ſed demonſtrat quomodo cucurbitulis vtendum ſit, in tumoribus ſcarificatis aut ſcalpello cõciſis, in quibus cucurbitulæ idcirco admouentur, vt ſanguinem qui inhæret, exhauriant foráſque attrahant. Cucurbitularum autem plura ſunt genera, fieri enim poſſunt ex qualibet ferè materia, ſuntque æneæ, corneæ, terreæ, vitreæ, & vitreis ſæpius vtimur in locis ſcalpello exaſperatis, vt ſanguinis qui vacuatur menſura in extractione pelluceſcat. Cucurbitulæ etiam aliæ magnæ ſunt, aliæ paruæ iuxta corporis partes, quibus admouere oportet, ex Hippocrate libro de medico, ſiue de chirurgi inſtitutione, vbi etiam alias circulum latum & amplum habere dicit, alias breuem & anguſtum, háſque humores diſtãtes in directum ad carnem attrahere ſcribit, illas vero ex plurimis partibus id quod dolorem facit, elicere, prætereа quædam exiguum foramen habent, quæ vbi corpori impoſitæ ſunt, ea parte qua foramen illud eſt, ore ſpiritus adducitur, ſupérque cera id clauditur, túncque corpori inhæreſcit, aliæ foramen nullum habent, in quas candela cerea ardens vel ſtupa, ἐλλύχνιον aliquod vel linamentum conijcitur, ſicque corpori aptatur & imprimitur, donec inhæreat. Imponitur autem partibus corporis cucurbitula duobus modis, vel cute integra, quam κούφην σικύαν, lenem cucurbitulam vocant, vel cute ſcalpello conciſa, quam μετὰ κατασχασμῶν, cum ſcarificationibus nominant. Leuis inflammationes diſcutit, & doloribus a ſpiritu

flatuoſa

flatuoso concitatis, incantamenti cuiúsquam simile quid efficere videtur, illicò enim admota cucurbitula, qui spiritu flatuoso cruciantur, tùm a dolore liberi, tùm omnino sani redduntur, ex vltimo cap. libri 12. methodi medendi, errabundum etiam vterum hæc cohibet, leuis etiam cucurbitula imponi solet oppositis partibus, ad sanguinem attrahendum, & ad profluentē rursus sistendum, éstque hæc etiam reuulsorium remedium, ex Galeni libro de cucurbitulis, & ex aphorismo 50. libro 5. Cucurbitula verò cum scarificatione, a parte læsa efficacius sanguinem & alios humores euacuat, & validissimè trahit, præsertim si cum flamma ampliore admoueatur. Denique cucurbitularum medicinaliũ vsus est, ait Plinius libri 32. capite 10. ad corpora leuanda sanguine, & spiramenta laxanda. Sed longius labi uideor, quam expositionis ratio requirat, eorum tamen quæ dicta sunt consequutione impulsus hæc adieci, nunc ad Hippocratis verba redeamus. Si locis scalpello exasperatis admota fuerit cucurbitula, profluátque sanguis, remouenda breui est cucurbitula, si vero ea remota, copiosior videatur sanguinis eruptio, aut alterius tenuis & serosi humoris, rursus admouenda est, ad sanguinis reliquias exhauriendas, eam tamen repleri sanguine non permittas, impleta enim non modo non euocaret sanguinem, sed eum in incisionibus retineret, ibíque concresceret. Concretus autem sanguis, qui Græcis θρόμβος dicitur, prius nigrescit, deinde putrescit, túncque vlcus inflammatum excitat, cuius generationem impedies, si in scarificationibus concrescere non

finas, sed prius exhaurias admotione cucurbitulæ. Tempus definit Guido, vúltque vt per semihoræ spatium ibi relinquatur cucurbitula, quoúsque sanguine fuerit semiplena, sed cum impares magnitudine sint cucurbitulæ, cúmque copiosius, aut parciùs profundatur sanguis, certum tempus definiri non potest. Vbi sanguinis satis effluxerit, neque θρόμβωσις in fissuris fuerit, tunc partes omnes quæ scarificatæ, cucurbitulam admiserint, aceto perfundendæ sunt, vt Paulo ante tumores scarificatos, detracto prius leuiter per specillum sanguine, perfundebat aceto, cuius perfusionis ibi rationem reddidimus, has etiã partes nullo modo madefaciendas esse imperat, vt eodem etiam loco, neque in partem scarificatam decumbendum esse, ne fiat in eam partem sanguinis defluxio, quam siccare volumus & conglutinare, idcircóque superimponendum pharmacum aliquod ex his quæ cruentis vulneribus accommodata sunt, de quibus sæpius antea, dictum est. Sed cur cucurbitulã priusquam impleatur, remouet, iterúmque vacuam imponit? quoniam cucurbitula vacua sanguinem attrahit, flamma enim vbi aerem consumpsit, in eius locum sanguis attrahitur, ne sit locus inanis & vacuus, a quo natura penitus abhorret, vt docet Aphrodis, problemate 56. lib. 2. Hippocrates tamen libro de veteri medicina, causam attractionis cucurbitularum pendere dicit a figura ex cauitate & amplitudine in arctum & in angustiam coacta, ídque non solùm agnosci posse ex rebus externis, vt ex cucurbitulis, quæ corpori solent apponi ad attrahendum & eliciendum,

verùm etiam ex internis quæ in hominis corpore sunt, cuiusmodi sunt vesicæ, caput & vterus, quæ manifeste figuram talem habent, eáque trahunt & semper plena sunt attractæ humiditatis. Si quando autem ad genu vel sub genu, cucurbitula sit admouenda, imponatur homini stanti & erecto, si modo stare possit, sic enim particulæ in rectum figuratæ affigetur, nullo enim modo flecti & curuari potest genu, quin musculi alio atque alio modo figurentur, ex fine secundi commentarij de fracturis, præterea laborat homo, si flectere poplitem cogatur, in fine tertij commentarij de articulis, & quæcumque in corpore ad aliquem vsum fabricata sunt, bene valent, quando in eo vsu moderatè continentur, cui singula assueuerunt, ibidem, in eo etiam statu facilior erit & sanguinis defluxio, & humorum deorsum inclinatio, cum in stantibus humores sua grauitate deorsum ferantur, potissimum cucurbitula circa genu attrahente. Cæterùm si cute concisa circa genu cucurbitulæ admoueantur, tunc altiores incisiones fuge, propter multitudinem neruorum, ligamentorum, tendonum, originum & insertionum musculorum in his autem partibus excitata vulnera periculi sunt plena, afferúntque symptomata grauissima, nempe lipothymiam, syncopen conuulsionem, & similia, à quibus pauci liberantur. Ait Auicenna in fine tertij capitis libri quarti, senten. 4. tract. 1. si stare non possit, collocetur ea ratione genu, qua nerui & musculi minimum tenduntur, aut flectuntur,

túncque ex facili accommodari poterit cucurbitula. Cùm autem in hoc contextu bis προσβάλλων repetatur, ſuſpicor illud quod initio legitur προβάλλοντα, mendoſum, & προσβάλλοντα eſſe reſtituendum.



ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΠΕΡΙ αἱμορῤοΐδων.

Αἱμοῤῥοΐδων τὸ μὲν νόσημα ὧδε γίνεται, ἐπὴν χολὴ ἢ φλέγμα ἐς τὰς φλέβας τὰς ἐν τῷ ἀρχῷ κατασκήψῃ, θερμαίνει τὸ αἷμα τὸ ἐν τοῖσι φλεβίοισι, θερμαινόμενα δὲ τὰ φλέβια ἐπισπᾶται ἐκ τῶν ἔγγιστα φλεβίων τὸ αἷμα, καὶ πληρεύμενα, ἐξοιδέει τὸ ἐντὸς τοῦ ἀρχοῦ, καὶ ὑπερίσχουσιν αἱ κεφαλαὶ τῶν φλεβίων, καὶ ἅμα μὲν ὑπὸ τῆς κόπρου ἐξιούσης φλώμεναι, ἅμα δὲ ὑπὸ τοῦ αἵματος ἀθροιζομένου βιαζόμεναι, ἐξηκοντίζουσιν αἷμα, μάλιστα μὲν ξὺν τῷ ἀποπάτῳ, ἐνίοτε δὲ, χωρὶς τοῦ ἀποπάτου.

Hippocratis liber de hæmorrhoidibus.

Hæmorrhoidũ morbus sic nasci solet. Quùm bilis aut retorridus humor ad venas quæ sunt in ano, decubuerit, sanguinem in venulis calefacit, calefactæ autem ve-

nulæ ex vicinis ſanguinem trahunt, & impletæ partem ani internam in tumorem attollunt, venarúmque ſuperemiment capitula, quæ dum ab exeunte ſtercore opprimuntur, & ſimul à coaceruato ſanguine coguntur, eiaculantur ſanguinem, potiſſimúmque cum alui deiectionibus, & aliquando ſine his.

HVnc libellum Hippocratis eſſe nemo negabit, qui vel ſtylum conſiderarit, vel λέξιν aut τάξιν obſeruarit. Omnium etiam medicorum conſenſus hunc germanum eſſe Hippocratis librum fatetur. Galenus genuinum eſſe Hippocratis fœtum agnoſcit in exegeſi linguarũ duobus in locis, nempe in dictione πέιρα, & in dictione ϛροϐίλην, quibus in locis hunc libellum cum ſequenti de fiſtulis coniungit & præponit. Ætius etiam libri decimi quarti capite ſexto, admirandum Hippocratis pharmacum ad hæmorrhoidas excidendas ex hoc libro deſumptum proponit, hoc autem pulcherrimo libello, hæmorrhoidum cauſas, ſigna, multiplicémque curationem breuiter docet. Eſt autem hæmorrhois aliquando ſanguinis profluuium ex venis quæ ſunt in ano, aliquando vero vena in ano dilatata. Celſus hæmorrhoidas vocat ora venarum tanquam ex capitulis quibuſdam ſurgentia, quæ ſæpe ſanguinem fundunt, eáſque non in ano tantum naſci, ſed in ore vuluæ fæminarum dicit generari conſueuiſſe. Hæmorrhoidum duæ ſummæ ſunt dif-

ferentiæ, aliæ enim sunt cœcæ, aliæ apertæ. Cœcæ dicuntur, quæ vel intus latent, nec videri possunt, vel quæ nihil sanguinis excernunt. Apertæ sunt, quæ vel conspicuæ sunt & tument extra sedem, vel quæ sanguinem certis circuitibus effundunt. Quinque alias hæmorrhoidum differentias recenset author definitionum medicarum, quæ sumuntur à magnitudine, multitudine, figura, loco, constitutione siue more à magnitudine quidem, quod aliæ sint magnæ, aliæ paruæ, quædam mediæ. A multitudine siue numero, quod in quibúsdam plures sint, in quibúsdam pauciores. A figura, quod aliæ basi sint angusta, aliæ vero lata, à loco, quod aliæ sint, in podice, aliæ in sphinctere, aliæ in recto intestino. A constitutione denique quòd aliæ sint mites, aliæ malignæ. Auicenna præterea lib. 3. fen. 17. tracta. 1. capite 2. quatuor constituit hæmorrhoidum differentias ex materia desumptas. Sunt quædam morales dictæ, quæ fiunt a sanguine crasso, quædam verrúcales, quæ generantur a sanguine melancholico, aliæ vesicales, a sanguine pituitoso, aliæ verò dicuntur vuales, quæ fiunt ex mediocribus humoribus. Sed has differentias hæmorrhoidum non agnoscunt Græci, nam vt ait Galenus commentario in aphorismum duodecimum libri sexti, propter multitudinem & crassitudinem sanguinis, ora quædam venarum aperiuntur, vnde hæmorrhoides excitantur, hepate in ipsas fæculentum & melancholicum sanguinem reijciente. Hippoc. etiam hoc loco hæmorrhoidas oriri dicit, quum bilis aut retorridus humor ad venas quæ sunt in ano decubuerit, hic

enim φλέγμα sumitur pro humore retorrido, & ad inflammationem accommodato, quemadmodum, & libro de vlceribus sententia tertiâ φλέγμα, φλεγμασίην ἢ φλόγωσιν indicare videtur. Quomodo autem excitentur hæmorrhoides & intumescant, earúmque venularum quæ sunt in ano capita promineant, sanguinémque aliquando profundant, tam dilucide describit, vt explicatione non sit opus. Controuersum tamen est, vnde venæ quæ circa sedem intumescunt, prodeant, an à vena caua, an vero à ramis venæ portæ, fere omnes in eam inclinant sententiam, vt putent a ramis venæ portæ deriuari hæmorrhoidas, anatomica tamen inspectio, & profluentis sanguinis copia & qualitas facile conuincũt aliquando venas istas pendere a ramis venæ portæ, aliquando a vena caua exoriri, eásque non solum corporis expurgare cacochymiam, sed & plenitudinem deplere. Portio enim rami mesenterij recto intestino & sedi inseritur, & ramulis aliquot venas hæmorrhoidas excitat, per quas venas expurgatur corpus, sanguísque qui profunditur, fæculentus & melancholicus apparet, neque per venas istas fieri potest copiosum sanguinis effluuium. Hypogastria etiam vena, constituens tertium ramum diuisionis venæ cauæ, cum ad crura fertur, in recti intestini musculos, & musculosam cutim spargitur, ibíque hæmorrhoidas etiam producit, per quas sanguis purus & copiosus aliquando excernitur, quíque sola quantitate peccat.

Θεραπεύειν δὲ δεῖ ὧδε, πρῶτον μὲν ὑπαρχέτω εἰδέναι ἐν οἵῳ χωρίῳ γίνονται, ἀρχὸν γὰρ καὶ τάμνων, καὶ ἀποτάμνων, καὶ ἀναῤῥάπτων καὶ δαίων, καὶ ἀποσέπων, ταῦτα γὰρ δοκέει δεινότατα εἶναι, οὐδὲν ἂν σίνοιο.

HÆmorrhoidas hac ratione curare conuenit, primùm equidem nosse oportet, qua in parte sint. Anum enim & excidens, & consuens, & vrens, & putrefaciens, grauissima enim hæc esse videntur, nihil detrimenti afferes.

CVrationem hæmorrhoidum variam proponit, per vstionem, per præcisionem, per auulsionem siue detractionem, per ferramentum candens fistulâ immissum, per medicamentum hæmorrhoidas consumens & extirpans, & tandem per balanos & glandes. Cæterùm vt temerè hæmorrhoidibus non est assuescendum, sic neque temere hæmorrhoidum fluxus supprimendus, in quibusdam enim parum tutô supprimitur, qui sanguinis profluuio imbecilliores nō sunt, habéntque purgationem, non morbum. Ideóque curati quidam cum sanguinis exitum non haberent, inclinata in præcordia ac viscera materia, subitis & grauissimis morbis correpti sunt. Si ora venarum sanguinem solita fundere, subito suppressa sint, aut aqua inter cutem, aut tabes sequitur, ex aphorismo 12. libri 6. Quibus etiam naturis salutaris est hæc euacuatio, vt me-

lancholicis, nephriticis, epilepticis, quartana aut lepra laborantibus, in his non est suscipienda hæmorrhoidum curatio, sed in ijs tantum quibus nocet, hæc enim affectio malorum plurimorum quibusdam occasio est, nam vt ait Ætius libri 14. capite quinto, deformitatem & miseram vitam hæmorrhoides inducunt, multos etiam vita priuant, & deformitatem quidem propter totius corporis fœdum colorem ex euacuatione succedentem, miseram & infelicem vitam, propter corporis debilitatem, quandóque autem & de vita periclitantur sic affecti, quum ob immodicam euacuationem labefactatur hepatis αἱμάτωσις, in talibus hæmorrhoidas curare conuenit. Hæmorrhoidum autem curatio propriam hanc animaduersionem desiderat, vt prius sciamus, quanam in parte consistant hęmorrhoides, nam vt ait author definitionum medicarum, αἱ μὲν ἐν δακτυλίῳ γίγνονται, αἱ δὲ ἐν σφιγκτῆρι, αἱ δὲ ἐν τῷ ἀπευθυσμένῳ, quædam fiunt in ano, quædam in sphinctere, quædam vero in recto intestino. Hîc primum agit de curatione earũ hæmorrhoidum quæ in ano, sede, aut podice consistunt. Ἀρχὸς enim hoc loco ἀντὶ τῆς ἕδρας sumitur, pro sede & podice, quamuis apud Hippocratem aliquando sumitur pro recto intestino, vt patet ex aphorismo 58. libri 5. & ex Galeni libro περὶ μήτρας ἀνατομῆς. Itáque inconsideratè vertit hoc loco interpres, rectum intestinum. Cum enim sphincter & rectum intestinum neruosa constent substantia, neque vstionem neque sectionem, sine conuulsionis periculo sustinent, podex autem cum sit carnosus & ignobilis ea remedia per-

ferre poteſt. Inteſtina quidem inter partes principes numerantur Ætio libri 14. capite 8. externa tamen recti inteſtini extremitas princeps pars non eſt, ſed & dum vritur aut ſecatur nullum periculum inducit, velut ipſa experientia teſtatur. Curationem per inciſionem, vſtionem, & conſumptionem perſequitur hoc libro, quomodo conſuantur, aut per ſuturam extirpentur, non docet, quod paucis perſtringit in fine de dięta acutorum. Paulus etiam libro tertio acu compungit hæmorrhoidas. Cæterùm quod nos vrẽs, vertimus, eſt in codice Aldino, δαίων, id eſt καίων Heſychio, in codice Baſilienſi, & veneto ex reſtitutione Mercurialis, legitur δέων, ligans, quæ lectio etiam non reijcienda, cum Paulus libro ſexto hæmorrhoidas lino quintuplici aſtringat, vt hoc ligamine decidant, quo ab Hippocrate deſumptum eſt libro de fiſtulis. Eſt autem hæmorrhoidum, vt & aliarum ſedis affectionum curatio ἐργώδης, laboris tædiique plena, nam vt ait Galenus libro nono κατὰ τόπους, ſedis vitia ob multas cauſas ſunt δυσίατα, difficilémque curam accipiunt, quòd multo ſenſu hæc pars prædita ſit, faciléque per acria & auſtera medicamenta irritetur, tum quod excrementorum tranſitus per ſe mordax, tũcque potiſſimum magis quando vna cùm excrementis fertur bilis aut ichor ſiue ſeroſus humor, præterea cùm ad excrementorum excretionẽ impellantur ægrotantes tempore minimè conuenienti, non habent medici certum tempus ad imponenda pharmaca, quin & humiditas & caliditas ipſius loci, ſiccantibus ſimul & refrigerantibus opus habens, non pa-

rum confert, & vitia hæc ſint ægrè curabilia, mordent enim aſtringẽtia locus autem hic morſum ferre non poteſt. Locus etiam cum ſit decliuis, multáſque venas eô peruenientes habeat, fluxionibus excipiendis eſt opportunus, vnde difficilis etiam curatio, quam difficultatẽ etiam auget fœditas partis, quam inuitiſſimus quíſque alteri oſtendit.

Παρασκευάσασθαι δὲ κελεύω ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ σιδήρια σπιθαμιαῖα τὸ μέγεθος, πάχος δὲ ὡσεὶ μήλης παχείης, ἐξ ἄκρου δὲ κατακάμψαι, καὶ ἐπὶ τῷ ἄκρῳ πλατὺ ἔστω, ὡς ἐπὶ ὀβολοῦ μικροῦ, προκαθήρας δὴ φαρμάκῳ τῇ προτέρον, αὐτῇ δὲ ἣ ἂν ἐπιχειρέης καῦσαι, ἀνακλίνας τὸν ἄνθρωπον ὕπτιον, καὶ προσκεφάλαιον ὑπὸ τὴν ὀσφὺν ὑποθεὶς, ἐξαναγκάζειν ὡς μάλιστα τοῖσι δακτύλοισι τὴν ἕδρην ἔξω, ποιέειν δὲ καὶ διαφανέα τὰ σιδήρια, καὶ καίειν ἕως ἂν ἀποξηραίνης, καὶ ὅκως μὴ ὑπαλείψης, καίειν δὲ καὶ μηδεμίην ἐᾶσαι ἄκαυστον τῶν αἱμορροΐδων, ἀλλὰ πάσας ἀποκαύσεις.

FErramenta ſeptem octóue parare iubeo, quę magnitudine ſpithamam & craſſitudine ſpecillum craſſum exæquent, ſumma parte recurua, ſitque in extremo latitudo, qualis in paruo obolo, præcedenti die, corpore per pharmacum præpurgato, eâ ipſâ qua adurere

aggrederis, resupinum hominem inclinato, puluinúmque lumbis subijcito, sedémque digitis quantum poteris foras attrahito, datóque operam vt adsint candentia ferramenta, quibus hæmorrhoidas adurito, donec resiccaueris, non autem vt leuiter attingas. Vrere vero oportet, nullámque hæmorrhoidem sine adustione relinquere, sed omnes adurere.

ADmiratione dignus Hippocrates vt in omnibus operibus artis sic & in hæmorrhoidũ vstione, primo docet quibus ferramentis instructus esse debeat chirurgus, secundo corpus ante vstionem purgãdum esse, deinde qua figura collocandus æger, quid circa sedẽ moliendum, quæ cum omnia rite comparata sunt, tum demum candentibus ferramentis hæmorrhoidas adurit non leuiter, sed tum adurendi finem facit, cum exsiccatæ fuerint, omnésque hæmorrhoidas adurendas esse, nullámque prorsus relinquendam censet, ferramenta verò septem octóve parari iubet pro multitudine hæmorrhoidum quæ vstionem desiderant, quorum magnitudinem siue longitudinem vult esse vnius spitamæ, aut dodrantis, vt loquitur Plin. li. 7. ca. 2. Est autem σπιθαμὴ Hesychio τὸ μέτρον, τὸ ἀπὸ τοῦ μεγάλου δακτύλου ἐπὶ τὸν μικρὸν διάστημα ἐκταθὲν, mensura, nempe à magno digito ad minimum interuallum extensum, vel mensura duodecim digito-

natio, perfecta liberatio & legitima curatio, rum. Latitudinem in extremo partis recuruæ requirit, qualis est in paruo obolo, est autem obolus genus numismatis minimi, éstque sexta drachmæ pars, vel scriptuli dimidium. Plinio enim libri 21. capite vltimo, drachma sex obolos pondere efficit. Cum ferramenta διαφανέα translucida esse vult, intelligit ἱκανῶς διάπυρα, abunde ignita & candentia, vt docet Gal. commentario in sententiam 43. sectionis primæ de articulis. Quod Hippocrates subiungit, καὶ ὅκως μὴ ὑπαλείψῃς, & vt non sublinas, vertimus, non autem vt leuiter attingas, quod facere solent qui partem aliquam oleo illinunt, vel qui fucum parti admouent, vel qui parietem calce dealbant, ὑπαλείφεσθαι enim propriè est oleo illinere, deinde etiam fuco vti, dicitur etiam ὑπαλείφεσθαι καὶ τοῖχος κονίᾳ ἢ ἑτέρᾳ ὕλῃ, paries dealbari calce, aut alia materia, ex commentarijs Eustathij. ξ. ἰλιάδ. Vult ergo Hippocrates vt hæmorrhoidas ferro candente adhibito aduramus, dum resiccentur, & breui decidant, hunc autem locum sic vertit Cornarius, hoc ita vt non contingas. Dalechampius vero, admouendo tantùm ferrum candens, non autem tangendo, Hollerius dixit Hippocratem, vrere hæmorrhoidas, non adhibito venæ ferro, sed admoto. Hic autem Hippo. vere adurit, & contra hanc vstionem remedia præscribit, sententia quinta huius libri. In condylosis tamen extractione si profluat sanguis, venam adurit, sed cauet diligenter ne ferro contingat, sed tantum propius admouet ferramentum

ad deficcandum, quod interna fit ibi vena & in recto inteftino. Ætius tamen libri 14. capite octauo, de prolabentis fedis peruftione, inurit extremam & externam fedis partem per cauteria πυρηνοειδῆ nuclei formam referentia, moderatis interuallis quod, nullum periculum inducit. Hippocrates hîc ter repetit, vt omnes aduramus, nullámque relinquamus fine vftione, quoniam vt ait Galenus libro 4. κατὰ γένη, circa initium, τὰ δ' ἀναγκαῖα καὶ μεγάλην φέροντα βλάβην, εἰ παρεφθείη, βέλτιόν ἐστι καὶ δὶς καὶ τρεὶς λέγειν, quæ neceffaria funt, & maximam noxam afferunt neglecta, fatius eft bis térve repetere. Sed huic Hippocratis præcepto de adurendis omnibus hæmorrhoidibus repugnat aphorifmus duodecimus libri fexti. Diuturnas curanti hæmorrhoidas, nifi vna quæpiam feruetur, periculum aquæ inter cutem vel tabis impendet. Hic non leuis eft controuerfia inter Galenum & Ætium, an ita fcripferit Hippocrates hunc aphorifmum. Galenus fic legit, optimáque ratione, ait, confulit Hippocrates in curatione diuturnarum hæmorrhoidum vnam effe feruandam, vt per hanc fcilicet fæculenta hepatis cacochymia vacuari poffit. Ætius vero fic legit, Diuturnas fananti hæmorrhoidas, nifi feruetur, periculum aquę inter cutem, aut tabis impendet, nec enim velut quidam opinantur, dixit, nifi vna feruetur hæmorrhois ad fanguinis excretionem, fed dixit, nifi feruetur, hoc eft, nifi conuenienti diæta vtatur. Quod autem fic velit Hippocrates, ipfa aphorifmi diftinctio oftendit, ait enim hic vir, diuturnas fananti hæmorrhoidas, eft autem fa-

quare iuxta Hippocratem non oportet aliquam hæmorrhoidem relinquere, ſed omnes excindere, & poſt perfectam ipſarum curationem, per conueniētem diætam ad naturalem ſtatum corpus curatum reducere; incideréque cubiti venam tempore opportuno, quo videlicet coaceruatus in corpore ſanguis euacuetur, hactenus Ætius. Vtra autem lectio retinenda ſit, quídquē de hac controuerſia ſit ſentiendum, non facile eſt ſtatuere, expoſitoris tamen officium cogit me quid ſentiam dicere. Cum Hippocrates hoc libello ſuadeat hæmorrhoidas omnes eſſe adurendas, excindendas aut putrefaciendas, mihi ſit veriſimile, Hippocratem non conſuluiſſe, vt in curatione hæmorrhoidum etiam diuturnarum, vna quæpiam relinquatur ad ſanguinis excretionem, malóque cum Ætio legere, ἢν μὴ φυλαχθῆ vel vt alij legunt διαφυλαχθῆ, quam cum Galeno & alijs, ἢν μὴ μία φυλαχθῆ, quod ratio & experientia conuincit, alioquin diuturnam fluxionem nemo ſanare auderet, ne humor qui fluere ſolebat, in aliquam partem principem decumbat, quamuis enim periculum imminere videatur, ne graues & ſubiti morbi ſuperueniāt, id tamen præcautione fugiendum, præterea dictio qua vtitur Hippocrates, non relinquere, ſed ſeruare & cautionem adhibere ſignificat, φυλάττεσθαι enim proprie eſt εὐλαβεῖσθαι, ὀπτηρεῖν, φρουρεῖν ἀσφαλίζειν, ſibi cauere, cuſtodire, obſeruare, tutum ſe reddere. Sic Hippocrates 7. ἐπιδημιῶν hoc verbo vtitur, βέλτιον δὲ μέχρι τῶν τεσσαρεσκαίδεκα φυλάττεσθαι, melius eſt ad decimū quartum vſque ſibi cauere, & libro de aere, locis, & aquis,

& aquis, φυλάττεσθαι χρὴ μάλιστα τὰς μεταβολὰς τῶν ὡρέων μεγίστας, obſeruare oportet maxime, magnas temporum mutationes. Paulus etiam cum dicit ex ſententia Hippocratis vnam hæmorrhoidem relinquendam eſſe purgationis gratia libro tertio, non dicit φυλάττειν, ſed ὑπολείπειν. Idem libro ſexto, dum ſcribit hæmorrhoidas fune eſſe conſtringendas, vna duntaxat relicta, καταλείψαντες μίαν dixit. Itáque cum in aphoriſmo ſcribatur διαφυλαχθῇ, videtur Ætius in propria ſignificatione accepiſſe ſuſpicor autem Galenum hunc de hæmorrhoidibus libellum non accurate legiſſe, neque enim pharmacum ex hoc libello vllum deſumpſit, quamuis multa recenſeat contra hæmorrhoidas ex Aſclepiade, Magno Tarſenſi, Diogene, & Scribonio largo, circa finem libri noni κατὰ τόπους. Hollerius Hippocraticæ medicinæ, ſi quis alius, ſtudioſus ita hunc locum conciliat, vt dum incipit medicus hęmorrhoidibus manum admouere, poſt conuenientem diætam, miſſionem ſanguinis & purgationem non protinus & ſimul omnes exurat aut excindat, ſi plures ſint, ſed vna relinquatur, vt paulatim, non temere & præcipitanter fluxus cohibeatur, tandem verò dum perſanare vult celebratis vniuerſalibus remedijs tum demum nullam relinquat. In annotationibus eiuſdē capitis de hæmorrhoidibus, Paulo aliter rem iſtam diſtinguit, & tamen ad huius libri ſententiam magis accedit, in hæmorrhoidum fucata & non legitima curatione vna relinquenda eſt hæmorrhois, in artificioſa, omnes ſunt adurendæ & excindendæ, Itáque in aphoriſmo videtur agere de

fucata curatione, in hoc libello curationem artificiosam docet. Postremo Celsus ipse Hippocratis interpres libri secundi capite septimo, aphorismum illum latinũ reddens de relinquenda vna hæmorrhoide ne verbum quidem facit, sic autem vertit. Si ora venarum sanguinem solita fundere subito suppressa sint, aut aqua inter cutem, aut tabes sequitur. Sed subito supprimi putat in eo qui sibi probe non cauet. Idem libro sexto circa finem hæmorrhoidum curationem proponens, primum leuioribus remedijs sanguinem supprimentibus pugnat contra profluuium sanguinis, inflammationi etiam medetur admotis quibusdam pharmacis & conuenienti præscripto victu, si ista parum iuuant, solet adurentia medicamenta imponere, vt hæmorrhoidum capitula absumat, adustis capitulis fit cicatrix, quæ sanguinem fundi prohibet, & ne quid periculi afferat suppressus sanguis, multa exercitatione materiam digerendam esse suadet, & præterea interdum ex brachio sanguinem esse mittendum, vnam autem relinquendam esse non præcipit, libro etiam septimo circa finem agens de hæmorrhoidum capitulis alligandis & incidendis, si duo triáve sunt, inquit, imũ quódque primum curandum, si plura, non omnia simul, ne tempore eodem vndíque teneræ cicatrices sint. Non suadet relinquendum esse aliquod venarum capitulum: sed tantum ne omnia simul incidantur, vt facilius cicatrix induci possit.

Γνώσει δὲ οὐ χαλεπῶς τὰς αἱμορροΐδας, ὑπερέχουσι γὰρ ἐς τὸ ἐντὸς τοῦ ἀρχοῦ, οἷον ῥάγες πελιδναὶ, καὶ ἅμα ἐξαναγκαζομένου τοῦ ἀρχοῦ, ἐξακοντίζουσιν αἷμα, κατεχόντων δ' αὐτῶν ὅταν καίηται, τὴν κεφαλὴν καὶ τὰς χεῖρας, ὡς μὴ κινέηται, βοάτω καιόμενος, ὁ γὰρ ἀρχὸς μᾶλλον ἐξίσχει.

Facile cognoſces hæmorrhoidas, in interna enim àni parte prominent velut vuæ acini liuidi, & ſimul dum premitur anus, ſanguinem eiaculātur. Dum autem vritur nonnulli caput contineāt, manúſque, ne dimoueatur. Clamet autem ipſe qui vritur, anus enim magis foras ſeſe exhibet.

Quibus ſignis hæmorrhoides quæ adurendæ ſunt, deprehendantur, nunc docet, proponit autem tantum duo ſigna, quæ viſu percipi poſſunt, nempe venarum capitulum in ano ſurgens ſimile acino vuarum, & profuſionem ſanguinis in coactis deiectionibus alui & aliquando ſine his. Cætera ſigna non recenſet, quia medico in adurendis capitulis hæmorrhoidum occupato non ita protinus occurrūt. Hippocrates hoc loco dicit hæmorrhoidas in ano prominere, tanquam vuarum acinos liuidos, vnde Arabes diuiſionem & differentiam illam hæmorrhoidum quadripartitam excogitarūt à ma-

teria deſumptam, ſed non ea fuit mens Hippocratis, ſignum enim externum & ſimilitudinem quandam cum acino aut grano vuæ ad dignotionem affert, vt etiam poſtea curatione tertia dicit adnaſci hæmorrhoidi extuberanti veluti fici fructum. Cætera facilia ſunt, & ad adurendi viam faciliorem pertinent. Cæterum in exemplaribus Græcis male legebatur τῆς κεφαλῆς, quod autem ſcribit ἐξίσχει, ſeſe exhibet, vertit Celſus, relaxatur & foras prodit.

Ἐπὴν δὲ καύσῃς, φακοὺς καὶ ὀρόβους ἑψήσας ἐν ὕδατι, τρίψας λείους, καταπάσσε πέντε ἢ ἓξ ἡμέρας, τῇ δὲ ἑβδόμῃ σπόγγον μαλθακὸν τάμνειν ὡς λεπτότατον, πλάτος δὲ εἶναι τοῦ σπόγγου, ὅσον ἓξ δακτύλων πάντῃ, ἔπειτα ἐπιθεῖναι ἐπὶ τὸν σπόγγον, ὀθόνιον ἴσον τῷ σπόγγῳ, λεπτὸν καὶ λεῖον, ἀλείψας μέλιτι, ἔπειτα ὑποβαλὼν τῷ δακτύλῳ τῷ λιχανῷ τῆς ἀριστερῆς χειρὸς, μέσον τὸν σπόγγον ὦσαι κάτω τῆς ἕδρης ὡς προσωτάτω, ἔπειτα ἐπὶ τὸν σπόγγον προσθεῖναι εἰρίον, ὡς ἂν ἐν τῇ ἕδρῃ ἀτρεμίζῃ, διαζώσας δὲ ἐν τῇσι λαγόσι καὶ ὑφεὶς ταινίην ἐκ τοῦ ὄπισθεν, ἀναλαβὼν ἐκ τῶν σκελέων τὸν ἐπίδεσμον, ἀναδῆσαι ἐς τὸ, διάζωσμα παρὰ τὸν ὀμφαλόν, τὸ δὲ φάρμακον ὃ εἶπον ἐπιδεῖτο πυκνὴν τὴν σάρκα ποιέειν, καὶ ἰσχυρὴν φῦναι, ταῦτα δὲ δεῖ ἐπιδεῖν μὴ ἔλασσον ἡμερῶν εἴκοσι.

VBi combusseris, lentem ac eruum coquito in aqua, eáque bene contrita quinque séxve dies imponito, septima vero die spongiam mollem quàm tenuissime concidito, sitque spongiæ latitudo sex digitorum omni ex parte, deinde super spongiam imponito linteolum æquale spongiæ, tenue, læue & illitum melle, postea sinistræ manus indice digito subiecto, mediam spongiam deorsum in sedem quàm longissimè impellito, tùm super spongiam lanam apponito, vt in sede immota permaneat. Vbi autem ilibus zonam admoueris, fasciámque submiseris ex posteriore parte, per crura vinculum receptum, ad zonam circa vmbilicum deligato, pharmacum autem quod dixi alligatur ad gignendam celerem carnem, eámque firmam producendam. Hæc autem non minus quam viginti diebus deligare conuenit.

ADustio hæmorrhoidum partibus ani vim infert, inflammationem enim relinquit, crustas siue ἐσχάρας inducit, & his solutis remanet vlcus, quibus omnibus remedia præscribit Hippocrates. Cataplasma enim ex lente & eruo in aqua decoctis, benéque contritis πολύχρηστον

& his omnibus affectibus conueniens est. Lens enim cum astringat,& desiccet, mediúmque teneat caliditatis & frigiditatis inflammationi medetur. Sic Hippocrates lentem in vino coctam & bene contritam imponit, cum periculum est ne superueniat vlceribus erysipelas, sententia 24. libri de vulneribus. Sic Celsus in curatione adustorum dum inflammatio est, impositam habere cum melle lenticulam præcipit, ad crustas resoluendas lenticulæ cum melle farina conuenit, Celso libri quinti, capite decimo & vigesimo septimo. Paulo etiam libri sexti capite 66. φακώμελι pharmacum est, quod post vstionem crustam adimit, est autem φακώμελι, farina lentis cui mellis aliquid adiectum est. Plinio etiam libri vigesimi secundi capite vltimo, lens aqua semicocta, postea trita & per cribrum effuso furfure, curat quæ sunt ambusta, eruum vero desiccans secundo gradu, calefaciens primo, & quatenus amaritudinis est particeps, vim detergendi habens, sarcoticum est, itáque merito dicet postea Hippocrates pharmacum hoc valere ad celerem carnem gignendam, eámque validam producendam. Hoc remedio sex primis diebus vtitur ad eos quos dixi vsus, septimo vero die spongiam mollem quam tenuissime incidit sex digitorum latitudine, cui superponit linteolum tenue, læue, spongiæ æquale, illitum melle, quam deinde spongiam in sedem quantum potest impellit. Spongia cum sit vulneraria & τραυματικὴ, vulnera non solum conglutinat, sed & partes fluxione laborantes desiccat, sanguinis profluuium sistit, Dioscoridi libro quinto, linteolum

ſuperponit ſpongiæ, vt ſiccandi facultatem augeat, ſic ſententia vndecima libri de vulneribus, ſæpius ſpongiam vulneri admouet, rurſúſque linteum purum & ſiccum ſæpius adhibet, melle autem illinit, vt melius adhæreat, & vt ſordes, ſi quæ ſint, vim detergendi habeat, ſimilem ſpongiæ admotionem & iiſdem fere verbis iterum tradet ſententia quinta libri de fiſtulis, cur lanam ſuperponat, ipſe declarat, hæc omnia vinculo conuenienti deligat, non minus quam viginti diebus. Hoc vinculum repetit ſententia decima libri de fiſtulis, vbi iiſdem fere verbis vtitur, meminit etiam ſententia quinta eiuſdem libri Vinculum autem hoc ex duabus faſcijs componitur, prior faſcia zonæ modo cingitur huic mediæ aſſuitur alterius faſciæ caput, & ambæ ſimul literam T, referunt, hæc altera faſcia a dorſo demittitur, & per crura porrigitur, atque ad priorem circa vmbilicum deligatur. Cæterùm quod dixit Hippocrates πυκνὴν τὴν σάρκα ποιέειν, nos vertimus ad celerem carnem gignendam, nam vt ait Galenus commentariorum de diæta in morbis acutis ſectione tertia, apud veteres horum nominum τοῦ πυκνοῦ καὶ τοῦ τάχεος vſus confunditur, quamuis etiam πυκνὴν σάρκα conuenienter dicere, duram & denſam poſſimus.

Ροφέειν δὲ ἅπαξ τῆς ἡμέρης ἄλευρον, ἢ κέγχρον, ἢ τὸ ἀπὸ τῶν πιτύρων, καὶ πίνειν ὕδωρ, ἢν δὲ ἐς ἄφοδον ἴζηται, ὕδατι θερμῷ διακλύζειν, λούεσθαι δὲ διὰ τρίτης ἡμέρης.

SEmel autem die assumenda est sorbitio facta ex farina, aut ex milio, aut ex furfuribus. Aqua potui danda. Si ad aluum exonerandam desideat, aqua calida abluere oportet. Tertio autem quoque die lauare conuenit.

HÆmorrhoidibus vstis aut quouis modo exulceratis conuenit victus ὀλιγαίμους paucique sanguinis efficax, miniméque recrementitius, quíque siccet & astringat, vt docet Paulus libri tertij cap. 60. Suadet Celsus vt in ani vitijs per primos dies sorbitionibus ægrum sustineamus, quam victus rationem hic præscribit Hippocrates, sic enim vlcera desiccantur, aluóque astricta pauca excrementa ad anum feruntur, quæ pharmacorum vires alioquin infringerent sorbitiones autem siue ῥοφήματα veteres medici inuenerunt vt paucam valentioris cibi quantitatem multa aqua diluentes, ei vim mixtura & coctione detraherent, ait Hippocrates libro de veteri medicina. Apud Celsum ex frumento, milio & panico fiunt potiones, sorbitiones, pulticulæ, panes, quæ sunt infirmissimi, medij, aut firmissimi alimenti, potiones quidem & sorbitiones, imbecilliores sunt cibi, pulticulæ, mediocres: panis autem alimentum est valentissimum, ἄλευρον κυρίως τὸ τοῦ σίτου σιτοῦ, Aleuron proprie est farina tritici, Hesychio, quamuis apud Hippocratem ἄλευρον φακῶν, farina lentium & aliorum passim dicatur. Galeno vero in expositione linguarum Hippocratis, farinæ tenuiores ἄλευρα

nominantur, craſſiores κείμνα, mediocres ἄλφιτα. Sorbitio autem ex quacumque farina fiat, minimi eſt alimenti, aluúmque aſtringit, vt etiam ea quæ fit ex milio, milium enim Dioſcoridi minus cæteris frugibus alit, aluúmque ſiſtit, τὸ ἀπὸ τῶν πι-τύρων, eſt decoctum furfurum, quod eſt minimi alimenti. Aqua autem omnium potionum imbecillima eſt, quam idcirco bibendam ſuadet Hippocrates poſt deiectionem ſedes aqua calida eſt abluenda, ad detergendas & expurgandas ſordes. Quod ſubijcit tertio quoque die lauandum eſſe, id intelligendũ eſt, quamuis non deijciat, nihilominus tamen tertio quoque die anus eſt ſubluendus, ad dolorem leniendum, tenſionem minuendam, & ad humores qui in ano coaceruantur extenuandos & detergendos λούσαι autem non ſolum lauare aut balneo vti ſignificat, ſed etiam perfundere & humectare, vt ſcribit Galenus in expoſitione linguarum.

Ἑτέρα μέθοδος, ἐκβαλὼν τὴν ἕδρην ὡς μάλιστα αἰονᾷν ὕδατι θερμῷ, ἔπειτα ἀποτάμνειν τῶν αἱμορροΐδων τὰ ἄκρα, φάρμακον δὲ προσκατασκευασθῆναι πρὸς τὴν τομὴν, τόδε, οὐρήσας ἐς χαλκεῖον ἐπίπασσον ἐπὶ τὸ οὖρον, χαλκοῦ ἄνθος ὀπτοῦ καὶ τετριμμένου, ἔπειτα διεὶς καὶ κινήσας τὸ χαλκεῖον, ξήραινον ἐν τῷ ἡλίῳ, ὅταν δὲ ξηρὸν γένηται, συνξύσας τρῖψον λεῖον, καὶ προστίθει τῷ δακτυλίῳ, καὶ σπληνία ἐλαιώσας προστίθει, καὶ σπόγγον ἐπάνω ἐπίδει.

Alia methodus. Sedem quam maxime extractam aqua calida foueto, deinde hæmorrhoidum capitula resecato, pharmacum autem hoc sectioni aptum præparatum sit. In vas æneum vbi minxeris, vrinæ inspergito florem æris vsti tenuissimè contriti, deinde vbi dilueris, vásque æneum agitaueris, in sole siccato, vbi inaruerit, deradito, tenuissime conterito, sedíque apponito, pannósque in oleo tinctos superponito, spongiámque super deligato.

Aliam hæmorrhoidum curationem, proponit, quæ fit per excisionem, in qua purgandum corpus, vt in prima curatione, quæ fit per adustionem, ijs denique cibis ac potionibus vtendum. Aqua vero calida imprimis sedes fouenda, vt relaxetur & foras prodeat, vbi conspicuæ fuerint hæmorrhoides, earum capitula scalpello excidito. Leonides apud Paulum forcipe præhensas hæmorrhoidas scalpello deinde excidit. Celsus & Ætius hæmulo excipiunt, linóque alligant, tum demum incidunt, post incisionem imponit pharmacum detergens, astringens & cicatricem inducens. Vrina enim hominis extergendi vim habet, ex æneo vase facultatem æris contrahit, quod astringit, desiccat, & cicatricem inducit, huic vrinæ inspergitur flos æris vsti, qui tenuioris est substantiæ, quàm æs vstum, éstque pulcherrimum cicatrici inducendæ re-

medium, absumit etiam carnosa sedis vitia, Dioscoridi. Sæpius agitatur, vt plurimum ex ære contrahat, interdiu soli exponitur, vt siccetur, aut si sol absit, calidas esse ædes saltem conuenit, sic omphacium in vase æris rubri contundit, soli exponit interdiu, noctu vero summouet, ne rore madefiat, sententia vigesima quinta, libri de vulneribus. Vbi hæc sole siccata fuerint, deradit, tenuissiméque conterit, tum demum puluerem illum tenuissimum sedi imponit, pānósque oleo madentes superdat, ad leniendam & temperandam medicamenti acrimoniam, his omnibus superponenda & deliganda spongia, vt siccet & sanguinem excipiat si forte profluat. Cæterum initio huius sententiæ in Aldino codice scribitur, ἑτέρα μέθοδος, in Basiliensi & Veneto ex restitutione Mercurialis, legitur, ἑτέρα θεραπείη.

Ἕτερος τρόπος, προσφύεται πρὸς τῇ αἱματίτιδι τῇ κονδυλώδει, οἷον συκαμίνου καρπὸς, καὶ εἰ μὴ ἔξω σφόδρα ἦ ἡ κονδύλωσις, περιπέφυκεν αὐτῇ καλυπτὴρ ὁ τῆς σαρκός, καθίσας οὖν τὸν ἄνθρωπον ὀκλὰξ ἐπὶ ὅλμων δύο, σκόπει, εὑρήσεις γὰρ πεφυσημένα τὰ μεσηγὺ τῆς παρὰ τὴν ἕδρην, τὸ δὲ αἷμα ἐκχωρέειν ἔνδοθεν, ἢν γοῦν ἐνδιδοίη ὑπὸ τῷ καλυπτῆρι τὸ κονδύλωμα, τῷ δακτύλῳ ἀφελεῖν, οὐδὲν γὰρ χαλεπώτερον, ἤπερ τοῦ προβάτου δειρομένου τὸν δάκτυλον μεταξὺ τοῦ δέρματος, καὶ τῆς σαρκὸς παραίνειν, καὶ ταῦτα διαλεγόμενος ἅμα λάνθανε ποιέων, ἐπὴν δὲ ἀφέλῃς τὸ κονδύλωμα, ἀνάγκη

ῥέεσθαι δρόμους αἵματος ἀπὸ πάσης τῆς ἀφαιρέσιος, τάχα χρὴ ἀποπλῦναι οἴνῳ αὐστηρῷ κηκίδας ἐπιβρέξας, καὶ ἥτε αἱματῖτις οἰχήσεται σὺν τῷ κονδυλώματι, καὶ τὸ κάλυμμα καταστήσεται, καὶ ὅσῳ ἂν παλαιότερον ῇ, ῥηϊδίως ἔσται ἡ ἴησις.

ALius modus. Adnaſcitur ad venam ſanguine fluentem colloſam & eminentem, tanquam fici fructus, & ſi exterior admodū fuerit calloſa illa eminentia, velum carnoſum circa ipſam adhæreſcit, hominem igitur vbi collocaueris genibus flexis ſuper duas clunes, anum inſpicito, reperies enim inflatas partes inter nates iuxta ſedem, ſanguinem vero ex interiori loco procedere. Si ſub velamento remittatur condyloma, digito demendum eſt, neque enim maiore negotio id fiet, quam ſi digitum inter pellem & carnem ouiculæ dum excoriatur ad extremum perducas. Atque hæc inter loquendum latenter perage, poſtquam condyloma abſtuleris, neceſſe eſt ex tota illa exciſione ſanguinis impetum fluere, ſtatim, vino auſtero in quo gallæ maceratæ fuerint, abluere oportet. Atque tum vena ipſa ſanguine fluens

cum condyomate euanescet, tum etiam velamentum ipsum subsidet, quantóque id vetustius fuerit, tanto facilior erit curatio.

TErtiam hæmorrhoidum curationem proponit, in qua potissimum condylomatis curandi rationem explicat. Tuberculum autem quod condyloma appellatur in sede fit ruga aliqua corporum in ano re duplicatorum insurgente, ac præter naturam intumescente. Cum enim sinuosus sit anus, rugas coagmentatas habet, vbi vero amplius intumuerit ruga, tũc condyloma nascitur, fitque aut præcedente inflammatione, aut rhagade, Paulo. Hæmorrhoides vero aliquando inflammationem in ano excitãt calefacto in venulis sanguine, aliquando vero dum finduntur rhagadas generant, indéque condyloma producitur. Hippocrates hic circa hæmorrhoidas callosas & eminentes adnasci dicit σύκωσιν ficum aut mariscam, συκαμίνου καρπὸν, fici fructum non autem mori conuertimus, vt alij vertunt interpretes, ficus enim & condyloma, ani sunt affectiones, quæ eandem curationem requirunt, & Guido de vtróque hoc affectu simulagit, ijsdémque curat remedijs, proprie autem ficus est eminentia tuberculosa, aspera, subrubra, oblonga, magnitudine thymum excedens, tuberculum autem in ano cùm callum obduxit & induruit sæpius condyloma appellatur. Qui συκάμινον morum vertunt Celsum habent authorem, qui libro tertio cap. 18. Græcos mo-

rum συκάμινον appellare ſcribit, verum idem Celſus libri quinti capite 18. ſycaminum alias ſycomorum vocari dicit dum malagmatis Andreæ compoſitionem recenſet. Præterea Dioſcorides libro primo, ſycomorum a quibuſdam ſycaminum vocari teſtatur. Eſt autem ſycomorus ficus Ægyptia, quæ folio magnitudine & aſpectu ſimilis eſt moro, eiúſque pomum ficus eſt præ dulcis Plinio libri 13. capite 7. In externis illis eminentijs calloſis adhæret operimentum & operculum quoddam carnoſum quod καλυπτὴς & κάλυμμα Hippocrati dicitur, Celſo velum libro ſeptimo circa finem, apud alios authores huius mali ne nomen quidem legi, fitque cum hæmorrhoidum externarum capitula ſurgunt, ſimul enim partem ani in tumorem attollunt, cutíſque carnoſæ excreſcens eminentia fit hæmorrhoidum καλυπτὴς ſiue velum. Vt autē commodè curari poſſit condyloma, quod ad cibos potionéſque pertinet, eadem ſeruari etiam debent quæ prius ſcripta ſunt, collocandus autem eſt æger ſuper duas clunes genibus flexis, vt ani eminentiæ illæ calloſæ conſpicuæ ſint, ἐπὶ ὅλμων δύο dixi ſuper duas clunes, non ſuper mortaria duo, aut ſuper lapides duos, vt alij interpretes, & certe ſæpius miratus ſum ſitum illum inſolitum. Cum enim in aduſtione hæmorrhoidum reſupinum hominem inclinarit, puluinúmque lumbis ſubiecerit, cur in condylomatis exciſione ſuper duo mortaria, aut ſuper lapides duos ægrum collocat? Itáque cæpi diligentius vim vocabuli ὅλμων explorare, vt ab Hippocratis mente non diſcederem, ὅλμος autem præter cætera ſignifi-

cata est aliquando τὸ ὑπὸ ταῖς ὑπογλουτίσιν ἑκατέρωθεν κοῖλον, Hesychio, idest, cauitas illa quæ carnosę natiũ parti versus femur subiacet vtrímque, vel vt ait Aristophanis interpres, τὸ μέρος ἐν ᾧ κάθηται, καλεῖται ὄλμος pars sedendi officio destinata, vocatur ὄλμος, quod hîc exprimere velle videtur Hippocrates. Cum autem ait sub velamento condyloma remitti, cessare aut mollius reddi denotat. Sic enim solet Hippocrates τὸ ἐνδοῦναι de affectionibus aut symptomatis efferre, & ἔνδοσις apud Galenum est febrium continuarum remissio. Digito condyloma illud auferre, difficilius non esse, quam digitum inter carnem & pellem ouiculę dum excoriatur, ad extremum perducere, verisimile fortasse non videbitur, Hippocrates tamen mentiri nescit, imo quæcúmque ipse ad curationem excogitauit, priúsquam nos doceat, experimento comprobat, non sicut nonnulli ex iunioribus medicis, qui in scriptis de ratione medendi, nobis ea imperarũt, quæ ipsi nunquam ante sunt experti, vt ait Galenus commentario in sententiam tertiam libri primi de articulis. Sanguinem post ablationem condylomatis profluentem abluit vino austero, in quo gallæ maceratæ fuerint, vinum enim nigrum austerum astringit, repellit & glutinat, gallarum item vis vehementer astringit, itáque hac ablutione sanguinis profluuium facile supprimitur. Suadet Celsus, si post excisionem capitulorum hæmorrhoidum profluat sanguis, vt excipiatur spongia, deinde linamentum imponatur.

Ἢν δὲ ἀνώτερος ᾖ ἡ κονδύλωσις, τῷ κατόπτηρι σκέπτεσθαι, καὶ μὴ ἐξαπατᾶσθαι ὑπὸ τοῦ κατόπτηρος, διηγεύμενος γὰρ ὁμαλύνει τὴν κονδύλωσιν, ξυναγόμενος δὲ πάλιν, δείκνυσιν ὀρθῶς ἀφαιρέειν δὲ χρὴ ἐλλεβόρῳ μέλανι ὑπαλείφοντα τὸν δακτύλιον, ἔπειτα τριταίῳ, οἴνῳ κλύζειν αὐστηρῷ, τὸ δὲ αἷμα ὅταν ἀφέλῃς τὴν κονδύλωσιν, ὅτι οὐ ῥέει, μὴ θαυμάζειν, οὐδὲ γὰρ ἢν ἐν τοῖσιν ἄρθροισι διατάμῃς τὰς χεῖρας ἢ τὰ σκέλεα, οὐ ῥεύσεται αἷμα, ἢν δ' ἄνωθεν ἢ κάτωθεν τάμῃς τῶν ἄρθρων, εὑρήσεις κοίλας φλέβας καὶ αἱμόῤῥους, καὶ χαλεπῶς ἂν ἴσχοις εὐπόρως, οὕτω καὶ τὴν ἐν τῇ ἕδρῃ αἱμοῤῥοΐδα, ἢν μὲν ἄνωθεν ἢ κάτωθεν τάμῃς τῆς ἀφαιρέσιος τοῦ κονδυλώματος, αἷμα ῥεύσεται, ἢν δὲ αὐτὴν ἀφέλῃς τὴν κονδύλωσιν ἐν τῇ προσφύσει, οὐ ῥεύσεται, ἢν μὲν οὖν οὕτω καθίσταται, καλῶς ἂν ἔχοι, ἢν δὲ μὴ, καῦσαι, φυλασσόμενος ὡς μὴ ἅψῃ σιδήρῳ, ἀλλ' ἐγγὺς προσφέρων τὰ σιδήρια ἀποξηραίνειν, καὶ προστιθέναι τὸ τοῦ χαλκοῦ ἄνθος τὸ ἐν τῷ οὔρῳ.

SI vero altior fuerit callosa eminentia, per catopterem inspicere oportet, caue autem ne à catoptere decipiaris, explicatus enim eminentiam illam exæquat, contractus rursum, recte demonstrat. Auferre autem couuenit sublinendo anum

do anum elleboro nigro, tertio posteà die, vino austero subluere oportet. Neque mirandum est, si sanguis non profluat, cùm eminentiam callosam detraxeris. Non enim si in ipsis articulis manus aut crura præcidas, effluet sanguis. Sed si supra infráve articulos dissecueris, inuenies venas insignes & sanguinem effundentes, nec facilè citò supprimes. Sic etiam in ano hæmorrhoidem si supra vel infra condylomatis detractionem secueris, sanguis profluet, sin autem ipsam callosam eminentiam in ipsa connexione detraxeris, minime fluet. Si igitur ita cõquiescat, benè se res habet, sin minus, adurito, cauens diligenter ne ferro contingas, sed propius admoue ferramenta ad desiccandum, túncque florem æris ex vrina imponito.

Callosâ eminentia quæ hæmorrhoidibus adnascitur vel exterior est, & patet conspicua foris, vel interior, & penitus intus delitescit, quid moliendum sit circa exteriorem condylosim iam exposuit, nunc docet quænam curatio interiori sit adhibenda, primúmque vsum catopteris admouet ad explorandam internam condylosim, est autem κατοπτὴρ instrumentum chirurgicum ad sedem dilatandam & aperiendam idoneum, quo quæ recondita sunt, & intus la-

tent, in conſpectum veniunt, dicitur etiam Galeno & Paulo ἑδροδιαστολεὺς, & vulgo ſpeculum ani nominatur. Catopter autem dilatatus & apertus anum nimium dilatat, & ita obſcuram reddit eminentiam, dum verò contracto catoptere anus ad ſuam redit formam, apertè patet & conſpicua eſt eiuſmodi condyloſis. Per κονδυλώσιν autem hoc loco σύκωσιν & ficum intelligere videtur, ad eam verò detrahendam, anum ſublinit elleboro nigro, qui cum ſit detergentis facultatis, fiſtulam etiam callo obduratam impoſitus purgat, callúmque duobus tribúſve diebus detrahit, ait Galenus libro ſexto de ſimplic. facultatibus, vult etiam Dioſcorides vt tertio die detrahatur, & ideo Hippocrates hoc loco, anum tertio die vino auſtero ſubluit poſt detractionem huius condyloſeos, non eſt metuenda ſanguinis profuſio, cum tamen detracto condylomate profluere ſoleat ſanguis, quod minimè mirum videri debet, cum videamus crura aut brachia in ipſis articulis diſſecta ſanguinem non profundere, quod obſeruandum etiam admonet Guido in ſectione membri emortui, ſi gangræna ſit articulo vicina, aut articulum ipſum occupet, tractatu ſexto doctrina 2. cap. 8. neque verò metuenda tunc venit conuulſio propter neruorum inciſionem, quoniam cum præciſus totus neruus eſt, nullus conuulſionis metus inſtat, ex tertio capite libri ſexti methodi therapeuticæ. Si quis autem extra articulos diſſecuerit artus ipſos, maior ſanguinis profuſio imminet propter amplas & inſignes venas, quod idem in hæmorrhoidum exciſione contingit. Si enim hæmorrhoi-

dem detrahas per excisionem, emanat sanguis, si vero detrahas eminentiam illam in connexione nön profluit. Si tamen in detractione vulneretur hæmorrhois, profundetur sanguis, cui profusioni medetur vstio, cicatrix enim quæ fit adustis capitibus, sanguinem fundi prohibet, hæc autem adustio quia propius accedit ad rectum intestinum, quam ea de qua dictum est sententia tertia huius libelli, in qua sedis externas hæmorrhoidas adurit, idcirco etiam monet ne ferro candente partem contingat chirurgus, sed propius admouẽdo eam exsiccet, mortificatur enim ita hæmorrhois, & deinde resiccata decidit, velut cutis ambusta, vt docebit statim sententia vndecima, post casum imponit pharmacum ex flore æris & vrina compositum, de quo dictum fuit sententia septima præcedenti.

Ἕτερος τρόπος ἰήσιος αἱμορροΐδων. Καυστήρια χρὴ ποιήσασθαι, οἷον καλαμίσκον φαρμακίτην, σιδήριον δὲ ἐναρμόσαι καλῶς ἁρμόζον, ἔπειτα τὸν αὐλίσκον ἐνθεὶς ἐς τὴν ἕδρην, διαφαῖνον τὸ σιδήριον καθιέναι, καὶ πυκνὰ ἐξαιρέειν, ἵνα μᾶλλον ἀνέχηται θερμαινόμενος, καὶ οὔτε ἕλκος ἕξει ὑπὸ τῆς θερμασίης, ὑγιέα τὲ ξηρανθέντα τὰ φλέβια.

Alius modus curationis hæmorrhoidum. Fistulam æream parare oportet similem fistulæ clysteris, ferramentum verò conuenienter adaptatum

accommodare, deinde inditâ in ſedem fiſtulâ ferramentum candens immittere ſæpiúſque remouere, vt qui calefit faciliùs ſuſtineat, neque vlcus ex calore contrahat, & venulæ reſiccatæ ſanæ ſint.

QVarta eſt curandarum hæmorrhoidũ methodus, in qua per fiſtulam æream ferramento candente tandiu eas adurit, donec reſiccatæ decidant, parat autem fiſtulam quam vocat καυςῆρα, quamuis tamen in exegeſi linguarum legat καυτῆρα Galenus, qui ſic explicat, καυτῆρα, χάλκεον καλαμίσκον τινὰ τετρημένον κατὰ τὸν πυθμένα, δι᾽ οὗ καίειν ἐστὶ καυτηρίδιον διαφανεῖς καθιέν, paruum calamum æreũ in fundo perforatum, per quem cauteriolum candens immiſſum vrere poteſt. Cornarius κλυςῆρα legiſſe videtur, & ſtatim κάλαμον φραγμίτην, vertit enim clyſterem parare oporteat velut arundinem ſepiariam, ad cuius arũdinis ſimilitudinem paratur fiſtula, per quam ferramentum candens immittitur. Aldinus & Baſilienſis codex & venetus ex reſtitutione Mercurialis, legunt καλαμίσκον φαρμακίτην, paruam fiſtulam clyſteris, per clyſterem enim medicamentum inijcitur in inteſtina, vel etiam dicitur καλαμίσκος φαρμακίτης, quod medicamentoſa ſit arundo, ſiquidem eius trita radix per ſe, aut cum bulbis ſuis illita ſpicula aculeóſque è corpore extrahit, luxata, lumborúmque dolores cum aceto mulcet, folia virentia tuſa & impoſita ignibus ſacris medentur, & cæteris inflammationibus, cor-

ticis cinere perunctæ cum aceto alopeciæ ſanantur, Dioſcoridi libro primo. Lectionem horum codicum retinuimus, quamuis idem calamus & φραγμίτης & φαρμακίτης ſit, & ſuſpicor totum iſtud gloſſema eſſe à ſtudioſo quodam margini appoſitum, fiſtulam illam æream in fundo perforatam ita concinnat, eique ferramentum congruum accommodat, tum illam ano imponit, & per eius cauum candens ferramentum immittit, quod tamen ſępius remouet & eximit, vt facilius toleret is cui aduruntur hæmorrhoides, & ne ferramenti calor cruſtam generet, vlcúſque producat, frequenti illa ferramenti candentis admotione venulæ reſiccatæ decidunt, & ad naturalem ſtatum redeunt.

Ἢν δὲ βούλῃ μήτε καίειν, μήτε ἀποτάμνειν, προκαταιονήσας ὕδατι πολλῷ θερμῷ, καὶ ἐκτρέψας τὴν ἕδρην, σμύρναν τρίψας λείην, καὶ κηκῖδα, καὶ στυπτηρίην, αἰγυπτίην, κατακαύσας ἓν καὶ ἥμισυ πρὸς τ' ἄλλα, καὶ μελαντηρίης ἄλλο τοσοῦτον, τουτέοισι ξηροῖς χρῆσθαι, ἡ δὲ αἱμορροῒς τουτέοισι τοῖσι φαρμάκοισιν ἀποστήσεται ὥσπερ σκῦτος κατακεκαυμένον. ταῦτα ποιέειν μέχρις ἂν πάσας ἀφανίσῃς, καὶ χαλκίτιδος ἥμισυ κεκαυμένον τωὐτὸ ἀπεργάζεται.

SI verò neque vrere, neque reſecare volueris, vbi prius multa aqua calida foueris, ſedémque euerteris, myr-

rham tenuiſſimè terito ac gallam, aluménque Ægyptium vrito, vna ac dimidia parte ad reliqua, tantumdémque melanteriæ accipito, hiſque ſiccis vtere. Hæmorrhois verò medicamẽtis iſtis excidet, vt cutis aduſta, hæ facito donec omnes deleueris. Idem efficiet chalcitidis vſtæ pars media.

QVinta eſt hæmorrhoidum curatio, quæ fit per medicamenta, ſecurior quidem & compendiaria eſt hæmorrhoidum curatio ipſa chirurgia, quia vero ſæpius homines timidi ſunt ad ſectiones aut vſtiones, idcirco Hippocrates etiam ijs conſulens auxilia proponit, quæ impoſita hæmorrhoidas tollant & diſſipent. Ætius tetrabib.4.ſermone 2. ca.6. ita hanc curandi viam ex Hippocrate refert, nonnullis immutatis. Admirandum, inquit, Hippocratis remedium ad hæmorrhoidas. Gallarum ſextantem, myrrhæ ſextantem, aluminis ſciſſi quadrantem, melanteriæ quadrantem contundito, cribrato, terito, ac vtere ſicco, additque ſtatim, ego verò in penuria melanteriæ, ſori adieci, & fecit mirabiliter, nam intra paucos dies, citra mordacitatem & vlcerationem hæmorrhoidas diſſipat, verum vino præluere oportet, atque ſic inſpergere. Hippocrates hoc loco euerſam & foras attractã ſedem aqua calida multa fouet, deinde ſiccum puluerem imponit, dicitque hęmorrhoidem reſiccatam à corpore ſeparari inſtar cutis exuſtæ, σκύτος autem hoc loco, vt ait Heſychius πᾶν δέρμα ſignificat.

Cæterum vbi vitiose μελαντηρίων legebatur, μελαντηρίης restituimus, & suspicor scripsisse Hippocratē μελαντηρίης ἴσον, id est melanteriæ æqualiter tantumdem. Est autem melanteria, Galeno libro nono de simplicium facultatibus, medicamentum valde astringens, officinis incognitum. Chalcitis etiam cum sit detergens, calefaciens, crustas vlceribus inducens, cúmque fistulas tollat, Dioscori. libro quinto, potest etiam hæmorrhoidas resiccatas dissipare. Scribonius largus simili etiam methodo hæmorrhoidas curat, eas primū perungit hoc medicamento. Recipe succi centaurij, succi absynthij ana drachmas duas, aluminis liquidi, herbæ pedicularis ana drachmas duas, misyos drachmam vnam, mellis quantum ad ea comprehendenda satis erit, fiat medicamentum, hoc perunctо interius ano, aut lana tincta & interius trusa, cum desederint ad sellam, & apparuerint totę, rursus bene tangendæ sunt vndique medicamento huiusmodi. Recipe chalcitidis vstæ æris floris vsti ana drachmas quatuor, misyos vsti drachmas tres, squamæ æris, diphrygis, soreos vsti, auripigmenti ana drachmas duas, hæc omnia teruntur, & sicca hæmorrhoidibus imponuntur vndique, post hoc, tenue, rarum, simplex linteolum imponere oportet, & post hoc, panem autopyron ex aqua maceratum & tritum rosaceo oleo adiecto, hoc medicamentum sine magno labore circa septimum diem cadere cogit hæmorrhoidas, oportet autem bis die panem imponere, nonnunquam in nocte, si circum tensionem senserint. Celsus libro sexto simili medicamento adurente hæmorrhoidum

capitula consumit, ex his autem constat, squamæ æris, auripigmenti singulorum drachmas quinque, saxi calcis drachmas octo, similia & fere eadem ad hæmorrhoidas dissipandas medicamenta describit Ætius tetrabibl.4. sermone 2. capite 6. Vide etiam Galenum decimo libro κτ̀ τόπους.

Ἢν δὲ βούλῃ βαλάνοισιν ἰῆσθαι, σηπίης ὄστρακον, μολυβδαίνης τρίτον μέρος, ἄσφαλτον, στυπτηρίην, ἄνθος ὀλίγον, κηκίδα, χαλκοῦ ἰὸν ὀλίγον, τουτέων μέλι ἑφθὸν καταχέας, βάλανον ποιήσας μακροτέρην, προστίθει, μέχρις ἂν ἀφανίσῃς.

Si verò balanis curare volueris, sepiæ testam, molybdænæ tertiam partem, bitumen, florem æris modicum, gallam, æruginem modicam, vbi melli cocto miscueris, balanum longiorem formato ac imponito, donec deleueris.

Sexta est hæmorrhoidum curatio, quæ fit per balanum, est autem βάλανος siue glans, medicamentum quod in glandis formam effictum sedi imponitur ad mouendam & deijciendam aluum. Conuenit hæc curandi ratio hæmorrhoidibus internis, vnde etiam Ætius tetrabibl.4. sermone 2. cap. 6. cùm hæmorrhoides penitiores fuerint, velut glandem suppositi tiam indit ex ijs quæ hæmorrhoidas tollunt. Ad eas autem tol-

lendas & diſſipandas nunc glandem effingit ex teſta ſæpiæ, & molybdæna, bitumine, flore æris, galla, ærugine, miſtis cum melle cocto, quæ omnia vim aſtringendi & deſiccandi habent. Sepiæ enim teſta exuſta non ſolum ad vitiligines, lentes, & ſcabiem, vtilem vſum præſtat, ſed etiam cum ſale trita oculorum pterygia conſumit. Galeno libro vndecimo de ſimplicium facultatibus, molybdæna vim habet aſtringendi, abſtergendi & deſiccandi, eidem Galeno, libro nono de ſimplic. facultatib. Bitumen reſiccat & calefacit ordine ſecundo, flos æris, ærugo, & galla aſtringunt etiam & deſiccant, de quibus ſæpius dictum fuit libro περὶ ἑλκῶν. Balanũ autem oblongiorem effingit, vt penitus latentes hæmorrhoidas contingat.

Γυναικείην αἱμορροΐδα ὧδε θεραπεύειν, πολλῷ ὕδατι θερμῷ αἰονήσας, συνέψε δὲ ἐν τῷ θερμῷ τῶν εὐωδέων τρίψας μυρίκην, λιθάργυρον ὀπτὴν, καὶ κηκίδα, οἶνον λευκὸν παράχεε, καὶ ἔλαιον, καὶ χηνὸς στέαρ, τρίψας ὁμοῦ πάντα, διδόναι ὁκόταν αἰονηθῇ, διαχρίσασθαι, αἰονᾶν δὲ καὶ τὴν ἕδρην ἐξώσας ὡς μάλιστα.

MVliebrem hæmorrhoïdem ſic curare oportet, multa aqua calida locum foueto, in calida verò aqua odorata incoquito, myricam, ſpumam argenti coctam, gallámque vbi contriueris, vinum album, & oleum & anſeris

adipem affundito, omniáque simul trita sublinenda dato, cum prius partem fouerit. Locum autem quam maximè foras propulsum fouere oportet.

VLtima & septima est curandarum hæmorrhoidum methodus, in qua de hæmorrhoidibus mulierum agit, quæ vterum infestant. In vteri enim osculo & ceruice, venæ quæ in has partes desinunt dum crassiore ac fæculento sanguine replentur, intumescunt, ac eminẽtias non paruas ani hæmorrhoidibus persimiles efficiunt, quas vteri quoque hæmorrhoidas medici solent appellare. Eadem verò accidentia inducunt quæ reliquæ in ano ortæ solent inducere, & præterea sterilitatem, sanguinem enim profundunt per breuia interualla, aliquando per longiora, raró verò per statuta tempora, fœminæ his hæmorrhoidibus infestatæ colorem fœculento sanguini aut humori peccanti persimilem habent, aliquando pallidus color eas apprehendit ex frequentibus sanguinis vacuationibus, nonnunquam lassitudine aut imbecillitate detinentur. Vteri hæmorrhoides tactu deprehendi possunt, melius tamen per dioptram inspiciuntur, est autem διόπτρα instrumentum ad sinum muliebrem dilatandum & vterum diducendum idoneum, quod chirurgis speculum matricis dicitur. Cæterum vteri hæmorrhoidas curare non est facile. Ætius varicosas & malignas dimittere suadet, reliquas vero non aliter curare, quam quæ in sede sunt, duras quidem & modicum sanguinem fun-

dentes neque vasis annexas statim amputare, eas verò quæ multum sanguinis emittunt, circum basim vndíque scarificare & vol sella eleuatas funiculo constringere & paulatim reseca-re, sed hæ curandi rationes in non leue discrimen laborantes mulieres præcipitant. Hippocrates veram & tutam medendi viam citra chirurgiam proponit, docétque quomodo hæmorrhoidas vteri exsiccare aut excæcare oporteat. Initio locum multa aqua calida fouet, vt duritiem hæmorrhoidum emolliat & dolorem leniat, in aqua illa calida incoquit res odoratas, vt vterum deorsum alliciat. Sic etiam Hippocrates libro de natura muliebri & libro secundo de morbis muliebribus, cum vterus caput vexat & partes superiores petit, vtitur lotionibus ex aqua calida, in qua prius incoquit laurum, myrtum, saluiam, maioranam, cyperum, radicem ircos, iuncum odoratum, cedri & cupressi ramenta, & similia, ipsáque inguina & fœmora vnguẽto odoratissimo intus inungit, & contra quum vterus sedem petit, ad nares quidem odorata apponit, ad vterum vero graueolentia. Vbi igitur aqua multa calida odorata vterum fouerit, hócque modo foras quam maxime traxerit & euerterit, tunc mulieri medicamentum sequens exhibet, quod in vterum immittat, & hæmorrhoidibus superponat, vt isto medicamento resiccatæ decidant, paratur autem medicamentum ex myrica, spuma argenti cocta & galla, quibus contritis addit vinum album, oleum & anseris adipem, hoc autem medicamentũ vim habet desiccandi, detergendi, & astringendi. Myrica

enim seu tamarix abstergentis & incidentis est facultatis, cuius fructus tumores inhibet, vt etiam cortex, Dioscoridi libro primo, Galeno autem libro septimo de simplicium facultatibus, myricæ fructus & cortex non paucam sortita sunt astrictionem, adeo vt gallæ omphacitidi proxima sint, & vbi galla forte ad manum non erit, eo vti liceat ad omnia, ad quæ illa vtimur, myricæ etiam combustæ cinis admodum desiccatoriæ facultatis est, lithargyrus autem siue spuma argenti desiccat moderatissimè, modicéque astringendi & abstergēdi facultatem habet. Galeno lib. 9. de simplic. facultatib. Quomodo vratur argenti spuma docet Dioscorides libro quinto, his tribus nempe, myricæ, lithargyro & gallæ contritis miscet vinum album quod desiccando iuuat, morsúmque aliorum medicamētorum tenuitate suæ essentiæ mitigat, in ea enim facilè penetrat iisque omnibus optimè permiscetur, oleum verò non solum medicamentum hoc tactu blandum reddit, sed adhærendo pertinax efficit, Adeps anseris quæ in alto corpore mordicant, magis obtundit, cum enim sit adipe suilla calidior, ob tenuitatem essentiæ magis penetrat, Galeno lib. vndecimo de simplic. facultatibus. Ætius tetrabibl. 4. sermone 4. cap. 97. ad vteri hæmorrhoidas resiccandas aptissimum esse dicit medicamentum Hippocratis, quod ad ani hæmorrhoidas describitur sententia vndecima huius libri. Cum in fine dicit, locum quam maxime foras euersum & attractum fouendum esse, Græcus contextus legit τὴν ἕδρην sedem, quæ vox apud Hippocratem sæpius anum & podicem si-

gnificat,qua in ſignificatione hactenus τῆς ἕδρης nomen fuit hoc libello vſurpatum, hoc autem loco ἡ ἕδρη locum ſignificat, ſic Erotianus τὴν ἕδρην exponit τὸν οἰκεῖον τόπον proprium locum. Galenus in expoſitione linguarum Hippocratis ἕδρην dicit ſignificans hoc loco αἰδοῖον pudendum, quem tamen locum nullus adhuc animaduertit. Sic enim ſcribit, πτέρνα, περίνεον, αἰδοῖον, ἐν δὲ τῷ περὶ αἱμοῤῥοΐδων καὶ συρίγγων οὕτω καὶ τὴν ἕδρην λέγειν δοκεῖ. Qui tamen locus apud Galenum corruptus legitur, nos ex Heſychij lexico ſic reſtituimus. Ne quis fortaſſe exiſtimet poſtremam hanc curationem eſſe ad ani & ſedis hæmorrhoida prodeſſe poſſit, vt etiam in curandis vteri hæmorrhoidibus medicamenta ἑδραῖα ſedíque dicta nonnunquam conferre videmus;



ΙΠΠΟΚΡΑ'ΤΟΥΣ ΠΕΡΙ' Συρίγγων.

Σύριγγες γίνονται μὲν ὑπὸ φλασμάτων καὶ φυμάτων, γίνονται δὲ καὶ ὑπὸ ἐρεσίης καὶ ἱππασίης, ὅταν ἀθροισθῇ ἐν τῷ γλουτῷ αἷμα πλησίον τῆς ἕδρης, σηπόμενον γὰρ νέμεται εἰς τὰ μαλθακὰ, ἅτε ὑγροῦ ἐόντος τοῦτε ἀρχοῦ, καὶ τῆς σαρκὸς μαλθακῆς ἐν νέμεται, ἔστ' ἂν τὸ φῦμα ῥήξῃ, καὶ κάτω ἐς τὸν ἀρχὸν διασαπῇ. ἐπὴν δὲ τοῦτο γένηται, συριγγοῦται καὶ ἰχωρέει, καὶ κόπρος ῥεῖ δι' ἑωυτῆς, καὶ φῦσα, καὶ βδελυγμίη πολλὴ, ὑπὸ μὲν οὖν τῶν φλασμάτων γίνεται, ὁκόταν τι τῶν περὶ τὸν ἀρχὸν χωρίων φλασθῇ ὑπὸ πληγῆς, ἢ ὑπὸ πτώματος, ἢ ὑπὸ τρώματος, ἢ ἱππασίης, ἢ ἐρεσίης, ἢ ὅσα τοιουτότροπά ἐστι, ξυνίσταται γὰρ αἷμα, σηπόμενον δὲ ἐκπυΐσκεται, ἐκ δὲ τοῦ ἐκπυϊσκομένου πάσχει ἅπερ ἐπὶ τῶν φυμάτων εἴρηται.

Hippocratis liber de fistulis.



RIuntur fistulæ ex collisionibus & ex tuberculis. Nascuntur autem & ex remigatione, & equitatione, cum sanguis in natibus iuxta anum coaceruatur. Putrescens enim serpendo mollia depascitur, donec tuberculum exuperit, & deorsum ad anum vsque putrefecerit, est autem anus humidus & caro quæ serpendo voratur, mollis, hoc autem cum acciderit, oritur fistula, saniémque fundit, effluítque per se stercus, flatus & grauis fætor. Ex collisionibus verò nascitur fistula, cum pars aliqua sedi vicina colliditur ab ictu, casu, vulnere, equitatione, remigatione aut simili quopiam, coaceruatur enim sanguis, & putrescens suppurat, ex suppuratione verò id euenit, quod de tuberculis dictum est.

GEnuinus hic est Hippocratis fœtus citra controuersiam, & cum libro præcedenti de hæmorrhoidibus coniunctus, vt ex Galeno in exegesi linguarum superiori commentario demonstrauimus. Paulus etiam Ægineta libri sexti cap. 34. & 78. præcepta & remedia ex hoc Hippocratis libello recēset. Cornelius etiam Celsus

Hippocratis interpres libro quinto, ſexto & ſeptimo plurima ex hoc libello tranſtulit, quæ omnia ſuis locis patefaciemus. Hippocrates autem hoc libello fiſtularum ani generationem & curationem explicat, agit etiam de ani inflammatione, vrinæ difficultate, ani prolapſu, humiditate & dolore. Fiſtula verò eſt ſinus anguſtus, oblongus, callo obductus, aliquatenus in dolens, vel ex Celſo, fiſtula eſt vlcus altum, anguſtum, calloſum. Genera fiſtularum plura ſunt, ſiquidem aliæ ſunt breues, aliæ altiùs penetrant, aliæ rectæ intus feruntur, aliæ multóque plures tranſuerſæ, aliæ ſimplices ſunt, aliæ duplices, triplicéſve, ab vno ore intus orſæ, quæ tres fiunt, aut etiam in plures ſinus diuiduntur, aliæ rectæ, aliæ flexæ & tortuoſæ ſunt, aliæ intra carnem deſinunt, aliæ ad oſſa, aut cartilaginem penetrant, aut vbi neutrum horum ſubeſt, ad interiora perueniunt. Fiſtulæ, Hippocrati in Coacis prænotionibus, cum magna difficultate curantur, quæ in cartilaginoſis & excarnibus locis ſunt, quæ cauæ ſunt & perpetua ſanie madent, & caruncula ipſis in oſculo ineſt. Curatu autem faciliores ſunt, quæ in mollibus partibus & carnoſis & non neruoſis exiſtunt. Celſus fiſtularum prognoſtica copioſius explicatis verbis, fiſtulæ aliæ facilè, aliæ cum difficultate curãtur, atque etiam quædam inſanabiles reperiuntur, expedita curatio eſt, in fiſtula ſimplici recenti intra carnem, adiuuátque ipſum corpus ſi iuuenile eſt, ſi firmum, inimica, contraria his ſunt. Itémque ſi fiſtula os, vel cartilaginem, vel neruum, vel muſculos læſit, ſi articulum occupauit, ſi vel ad veſicam,

vel ad

vel ad pulmonem, vel ad vuluam, vel ad grandes venas, arteriásve, vel ad inania, vt guttur, stomachum, thoracem penetrauit, ad intestina quoque eam tendere semper periculosum, sæpe pestiferum est. Quibus multum mali accedit, si corpus vel ægrum, vel senile, vel malihabitus est. Ex Paulo vero, libro sexto, fistula insanabilis est, quæ vesicæ ceruicem perforauit, aut quæ ad femoris articulum sit, aut quæ ad ipsum rectum intestinum tendit, ægrè vero consanescit, quæ orificio caret, tum quæ delitescit, & in os terminatur, quæque multifariam fissa est. Addunt recentiores, fistulam nullam per se sanescere. Quibus verò signis cognoscamus fistulas ad os tendentes, ad neruos, musculos, venas aut arterias penetrantes docet Ætius tetrabibl. 4. sermone 2. capite 55. Fistularum ani generationem & curationem hîc proponit, quoniam propriam animaduersionē desiderant, quę in ano sunt, quāuis earū curatio possit etiā alijs accōmodari. Oriuntur vero fistulæ vel ex tuberculis, vel ex contusionibus: Tuberculū autē φύμα dicitur, cuius duplex est significatio, aliquando enim φύμα est glandularum affectus qui & celeriter augetur, & ad suppurationem festinat, Galeno libro secundo ad Glauconem, aliorum vero quorundam sententia tumores omnes qui in abscessum facile vertuntur & ἀποστηματώδεις Græcè dicuntur, quācunque corporis partem obsideant, phymata appellantur, Paulo libri quarti capite 22. Celsus hanc Hippocratis sententiam latinè sic vertit, nonnunquam ex abscessibus fistulæ oriuntur: nascuntur etiam fistulæ ex contusionibus, contu-

sionis quinque causas hic enumerat, ictum, casum, vulnus, remigationem & equitationem, ex his enim & similibus causis colligitur facile circa anum sanguis, qui deinde putrescens abscessum, sinum, fistulámque producit, τοιουτόςτροπον est ictus & lapsus. Quamuis autem ex abscessibus, & ex alijs vlcerum generibus fistulæ nascantur, magna ex parte solent etiam ex hæmorrhoidibus generari vt docet Auicenna libri 3. fen. 17. tracta. 1. cap. 18. & idcirco fortasse libellum hunc coniunxit Hippocrates cum præcedenti de hæmorrhoidibus.

Πρῶτον μὲν οὖν ὅταν τι τοιοῦτον ἄρθῃ φυόμενον φῦμα, ταμνεῖν ὡς τάχιστα ὠμὸν πρὶν ἢ διαπυῆσαι ἐς τὸν ἀρχόν, ἢν δὲ νοσέοντα ἤδη τὴν σύριγγα παραλάβῃς, λαβὼν σκορόδου φύσιγγα νεαρὴν, ἀνακλίνας τὸν ἄνθρωπον ὕπτιον, τὰ σκέλεα διαγαγὼν, τὸ μὲν ἔνθα, τὸ δὲ ἔνθα, τὴν φύσιγγα καθιέναι ἔστ᾽ ἂν προσκόψῃ, μετρῆσαί τε τὸ βάθος τῆς σύριγγος τῇ φύσιγγι, καὶ σεσέλεος δὲ ῥίζαν κόψας ὡς λεπτοτάτην, ὕδωρ ἐπιχέας, βρέχειν τέσσαρας ἡμέρας, καὶ προθυηστεύσας πινέτω, μέλιτι παραμίσγων τὸν ὕδωρ, κατὰ τρεῖς κυάθους, ἐν τούτῳ κάθαιρε καὶ τὰς ἀσκαρίδας, ὁκόσοι δ᾽ ἂν καταλειφθῶσιν ἀθεράπευτοι, θνήσκουσιν.

PRimùm igitur quàm eiusmodi tuberculũ aliquod nasci senties, cru-

dum celerrimè secabis, priusquam ad anum suppuret. Si vero fistula iam laborantem curandum susceperis, resupino homine collocato, & cruribus huc & illuc diductis, recentem alij scapum eô vsque demittes, donec renitatur, sicque fistulæ altitudinem scapo metieris. Tum autem seselis radicem tenuissime tritam affusa aqua quatriduũ macerabis, eámque aquam admixto melle ieiunus bibet ternis cyathis. Ascarides interim purgare conuenit. Quicumque enim sine curatione relinquuntur, moriuntur.

QVoniam fistulæ sæpius ex abscessibus & tuberculis parùm dextrè curatis oriuntur, suadet cum primum iuxta sedem phyma aut tuberculum apparuerit, crudum etiam celeriter incidatur. Si enim expectetur integra suppuratio, sanguis putrescens facile depascitur partes vicinas humidas ac molles, & ad intestinum penetrat, vixque fistulæ generatio vitari potest. Paulus libri sexti capite 34. hanc Hippocratis sententiam sic refert, τὰ πλησίον τοῦ δακτυλίου ἀποστήματα πρὸ τῆς τελείας πεπάνσεως ὠμοτομεῖν Ἱπποκράτης παρακελεύεται, τὸν εἰς διάτρησιν ὑποδυόμενος φόβον. Abscessus ano proximos ante perfectam maturitatem crudos dissecari præcipit Hippocrates, veritus ne perforationem experiantur. Galenus contrarium scribit libro 13. methodi medendi, etiamsi in suppurante particula pus

ἀξιόλογον & notabile contineatur, οὐχὶ τέμνειν αὐτίκα, non expedit protinus incidere, quod nonnulli faciunt, imo διαφορεῖν & exhalationem moliri medicamentis ad id valentibus. Quod quidẽ in aliarum partium abſceſſibus obſeruare licet, in ijs qui ſedi vicini ſunt, periculoſum propter metum imminentis fiſtulæ, neque tamen vt ait Celſus libri ſeptimi 30. ante properandum, ſed vbi primum pus apparuerit circa anum, incidendum eſt ne anus ipſe ſupputet, nam ſi crudum inciſum eſt, inflammationis multum accedit, & puris aliquanto amplius concitatur. Si vero fiſtula iam laborantem curandum ſuſcipias, reſupinato homine & cruribus diuaricatis, ante omnia demitti ſpecillum in fiſtulam conuenit, vt quô tendat & quam alte perueniat, ſcire poſſimus. Hic autem Hippocrates ad explorandam fiſtulæ altitudinem, recentem allij ſcapum pro ſpecillo vſurpat, quia facile cedit, & tortuoſos fiſtularum flexus perſequitur. Sunt tamen qui per φύσιγγα σκορόδου intelligant allij caput aut nucleũ, quia Heſychius φύσιγγας, σκορόδων κεφαλίδας interpretatur, ſumúntque allij caput pro ſpecillo, cuius extremum in modum nuclei aut capitis allij capitatũ eſt & rotundum. Sed quoniam Hippocrates φύσιγγα νεαρὴν dixit, malo referre ad ſcapum allij Sic etiam Guido fiſtulæ altitudinem explorat radicibus petroſelini, ſtilo maluæ, aut vineæ peruineæ. Chirurgi frequenter veneream hyperſarcoſin & penis carũculam, veſicæ etiam calculum, calamo iunci pertentant. Vbi fiſtulæ ſedem, ſpatium, altitudinémque cognouit, mulſam ægrotãti ieiuno exhibet, in qua quatriduum

ſeſelis radicem macerauerit, vt materiam a parte affecta ad ſanam auertat, & ab ano & inteſtinis ad veſicam deriuet. Seſelis enim radix calefaciendi vim habet, tenuium partium eſt, & vrinam admodum mouet. Galeno libro octauo de ſimplicium facultatibus, præſcribit vero aquæ mulſæ, in qua macerata fuerit ſeſelis radix, cyathos tres ſiue vncias quatuor cum dimidia. Cyathus enim ſæpius ſeſcũciam ſiue drachmas duodecim continet. Sic in torminibus inteſtinorum, ea quæ vrinam mouent, maxime vtilia ſunt, humorem enim peccantem & inteſtina corradentem, ab ano & inteſtinis ad veſicam auertunt. Itáque recte conſulit Celſus libri 4. cap. 15. in torminibus inteſtinorum, ieiunum ſorbere vini cyathum, cui contrita radix quinquefolij ſit adiecta. Quinquefolium autem tunuium eſt partium, & minimum habet euidentis caliditatis. Recentiores vtiliter contra difficultatem vrinæ, & calculum renum huius radicis decoctum præſcribunt aſſerunt alij, huius radicis decoctum non minus ſudores mouere, quam lignum indicum. Nos ineunte autumno anni 1593. grauiſſimam & popularem dyſenteriam vidimus poſt æſtatem ſiccam & feruidam, in qua curanda, diureticis, vt decocto pentaphylli, & ſarcæ par illæ fœliciter vſi fuimus. Aſcarides interea & minutos vermes qui in fiſtulis naſcuntur necandos & purgandos præcipit, ſi enim negligantur, laborantem in magnum vitæ diſcrimen adducũt, dum enim vehementem horum locorum pruritum excitant, materiam attrahunt, & putredinem harum partium augent. Sunt autem aſcari-

des propriè tenues vermiculi, qui in parte inferiore recti intestini & circa musculi sphincteris initia reperiuntur. Generantur autem in recto intestino ex prauis alimentis & ciborum corruptione, fiunt in fistulis ano vicinis ex putri materia, excrementorum copia, & calore præter naturam. Vacuantur vero ascarides recti intestini in infantibus & pueris, glandibus ex melle cum momento salis vel nitri, in prouectioribus ex decocto centaurei, absynthij, hyssopi, pulegij, calaminthæ, lupinorum cum melle & nitro per clysterem multis foraminibus peruium, quales metrenchytæ ab vtero appellantur, carnem etiam salsam pinguedine adempta sublongam & rotundam formabimus, filóque alligatam ano indemus, quandiu sustineri poterit, inditam sinemus, deinde decoctum præcedens infundemus, sæpius idem remedium repetentes, ex Paulo & Aëtio. Hippocrates ipse libro secundo περὶ γυναικείων de ascaridibus sic scribit. Si in pudendo mulieris aut in ano ascarides nascantur, viticis semen aut folia cum fellis bubuli obolo permiscentur, & oleo cedrino subiguntur, lanáque succida mollissima excipiuntur, induntur autem tertio quoque die per noctem & diem, postridio vbi amouit, calida lauetur, ác allia cruda & cocta edat, & ascarides eijciuntur ac necantur, hæc etiam remedia fistularum vermiculis accommodari magna ex parte possunt, si manu aut instrumentis auferri nequeant.

Ἔπειτα ὀθόνιον βύσσινον πιθυμάλλου ὀποῦ τοῦ μεγάλου δεύσαις, καταπάσσων ἄνθος χαλκοῦ

ὀπτὸν τετριμμένον, στροβίλην ποιήσας ἴσην τῇ σύριγγι τὸ μῆκος, ῥάμμα διεὶς δι' ἄκρας τῆς στροβίλης, καὶ αὖθις διὰ τῆς φύσιγγος, ὕπτιον κατακλίνας τὸν ἄνθρωπον, κατοπτῆρι καθιδὼν τὸ διαβεβρωμένον τοῦ ἀρχοῦ, ταύτῃ τὴν φύσιγγα διεῖναι, καὶ ὁκόταν διακύψῃ ἐς τὸν ἀρχὸν, ἐπιλαμβανόμενος ἕλκειν, ἄχρις οὗ ἡ στροβίλη διωσθῇ, καὶ ἰσωθῇ τῷ τε ἄνω, καὶ τῷ κάτω, ἐπὴν δὲ ἐσωσθῇ, βάλανον ἐνθεὶς κερατίνην ἐς τὸν ἀρχὸν, γῇ διαχρίσας σμηκτρίδι τὸν ἀρχὸν, ἐᾶν, ἐπὴν δὲ ἀποπατέῃ, ἐξαιρέειν, καὶ αὖθις προστιθέναι, ἕως ἂν πεμπταίη γένηται, ἕκτῃ δὲ ἡμέρῃ ἐξαιρέειν, ἕλκων τὴν στροβίλην ἔξω τῆς σαρκὸς, ὃ τρίψαι στυπτηρίην μετὰ ταῦτα, καὶ πλήσας τὴν βάλανον, καὶ ἐς τὸν ἀρχὸν ἐμβαλὼν, ἐὰν ἄχρις οὗ ἡ στυπτηρίη ὑγρὴ γένηται, τὸν δὲ ἀρχὸν σμύρνῃ ἀλείφειν, ἄχρις οὗ ἂν δοκέῃ ξυμπεφωνηκέναι.

Post hæc linteum Byssinum succo magni tithymali imbutum, & æris flore vsto & contrito respersum in formam linamenti contorti effingito, quod sit fistulæ longitudine æquale, filóque per extremum tum lintei tum scapi traiecto, hominem supinum collocato, atque vbi per instrumentum dilatandæ sedi accommodatum, quod catopterem

dicunt, quid in ano perrosum sit conspexeris, eô scapum demittito, cumque ad anum penetrarit apprehendito & trahito, donec linamentum cõtortum fuerit impulsum, & superiori ac inferiori parti adæquatum, quod vbi æqualiter intromissum fuerit, glans cornea in anum terra cimolia prius illitum inditur, atque ibi finitur. Quúmque deijciendi cupiditas fuerit, eximitur rursúsque immittitur ad quintum vsque diem, sexto subtrahitur, linamentúmque illud contortum ex carne euellitur, post hæc alumen terito, glandémque impleto, & in anum immittito, ibíque finito, donec alumen humidum fiat. Anus autem myrrha illinendus, quandiu opus esse videbitur.

EXplorata primum fistulæ altitudine, & exhibita potione diuretica, curationem nunc proponit, quæ consistit in eo vt eximatur callus & conglutinetur sinus, demittit autem in fistulam linamentum contortum in modum collyrij compositum, quod altera parte tenuius est, altera Paulo plenius, fitque linamentum illud ex linteo byssino, quod cum sit molle & tenue facile complicatur in collyrij formam, succúmque tithymali propriissimè combibit. Est autem Βύσσος siue Βύσσον lini genus tenuissimum & nobilissimum, ex quo olim pretiosissimæ vestes texeban-

tur, linamentum illud ita conformatum tingitur in ſucco tithymali magni, vt fiſtulæ callum exedat. Tithymalus autem Plinio herba lactaria, vel lactuca caprina: Celſo, lactuca marina, habet acrem calidámque facultatem. Validiſſimus eſt liquor, ſecundum locum tenent fructus & folia, ſed & radix eiuſdem facultatis particeps eſt, ſed non ex æquo. Liquor enim ſiue ſuccus tithymali quarto ordine calefacit, éſtque tam feruentis naturæ, vt per ſe corpori impoſitus puſtulas ignis modo faciat, & pro cauſtico in vſu ſit. Quidam magnum Tithymalum eſſe putant eum qui characias cognominatur & maſculus exiſtimatur, eſtque ramis digitali craſſitudine, & cubitali longitudine. Alij magnum eſſe eſtimant eum qui dendroides nuncupatur, quíque comoſiſſimus ex omnibus & ſemine copioſiſſimus eſt, quia tamen eiuſdem eſt effectus, cuius characias, potes hunc vel illum aſſumere, vel ex ſeptenario tithymalorum numero, quemcumque in manu habùeris, omnes enim tithymali è quarto ſunt ordine calefacientium, linamentum illud flore æris vſto reſpergit, vt faciliùs fiſtulæ callum exedat, flos enim æris vſtus vim habet detrahendi callum, vnde poſtea ſententia quinta, in fiſtulam florem æris vſtum copioſum per ſpecillum immittit. Cum autem flos æris in officinis vix reperiatur, eius vice medici fere ſemper ærugine vtuntur, quæ etiam fiſtularum callum exeſt, linamentum aùtem illud debet eſſe fiſtulæ æquale, vt totam fiſtulam attingat, callúmque omnino detrahat. Vt autem æqualiter impellatur, filum per extremum tum lintei, tum

ſcapi traijcitur, ſic enim ſcapus intromiſſus ſecum linamentum attrahit. Cæterum σροϐίλη vox eſt Hippocratis, quam exponit Galenus in exegeſi linguarum σρεπῆον τι, linamentum quoddam intortum, ex libro de hæmorrhoidibus & fiſtulis, vbi apud Galenum mendosè legitur συϐλὴν & σροϐλὴν, quod non animaduertit Mercurialis, vt nec dictionem πίευα vel potius πίελνα, ex quibus duabus vocibus ex Galeno confirmat hunc librum eſſe Hippocratis, de poſteriore dictum fuit ſententia vltima libri de hæmorrhoidibus, σροϐίλην vertit Celſus linamentum in modum collyrij compoſitum. Quùm linamentum in ſucco tithymali tinctum, reſperſúmque flore æris vſto, intromiſſum fuerit, anus poterit inflammari, itáque ſtatim inungit terra cimolia, quæ vim habet refrigerandi & potiſſimùm lota, lauatur autem vel aqua ſimplici vel poſca, vt illini poſſit, túncque magis refrigerat & ambuſtis medetur, vt ait Paulus libro ſeptimo, γῆν σμηκτρίδα, verti terram cimoliam. Galenus enim in exegeſi, & Erotianus in onomaſtico vocum Hippocratis antiquarum, σμηκτρίδα γῆν, τὴν κιμωλίαν exponunt. Balanum autem corneam in anum immittit, quam cauam eſſe neceſſe eſt, (alumine ſiquidem ſtatim replebit) vt pateat exitus ſordibus ijs quas medicamentum fiſtulæ admotum excitat, vt anicutis linamento tenacius adhæreat, ſicque callus æqualiter detrahatur, vt non exactè comprimatur anus, ſed pateat, compreſſus enim & contractus anus eijceret foras linamentum immiſſum in fiſtulam. Vſque ad quintum diem retinetur eiuſmodi lina-

mentum,& glans cornea, quo tempore callus a medicamēto conſumitur. Callo detracto ijs quæ glutinant & cicatricem inducunt, vti opportunum eſt, itáque glandem illam corneam aluminis plenā rurſus in anum immittit, alumen enim inflammationem reprimit ſua aſtrictione, ſiccando etiam vlcera cōglutinat & cicatricem inducit. Tandem vero ſublato metu inflammationis & vlcere ſatis exſiccato, anum myrrha illinit quandiu opus eſſe videbitur, & donec fiſtula glutinata cicatricem induxerit, eſt enim myrrha ad carnem generandam, & ad vulnus glutinandum efficax remedium, cum ſit ex ſecundo calefacientium & deſiccātium ordine. Vt autem anus myrrha poſſit illini, prius illam leuiter tritam diluere oportet vino dulci paulatim affuſo, ac deinde cum vino coquere, vt docet Hippocrates ſententia 26. libri περὶ ἑλκῶν. In fine huius contextus legunt omnes codices ξυμπεφωνηκέναι vt nos retinuimus. Cornarius legiſſe videtur ξυμπεφυκέναι, coaluiſſe enim vertit, quod ſenſui conuenire etiam videtur.

Ἑτέρη θεραπείη, ὠμόλινον λαβὼν ὡς λεπτότατον συμβάλλειν ὅσον σπιθαμιαῖον πεντάπλοον, καὶ ξυμπεριλαβεῖν ἱππείην τρίχα, ἔπειτα ποιησάμενος μήλην κασσιτερίνην ἐπ' ἄκρου τετρημένην, ἐνείρας ἐς τὴν μήλην τὴν ἀρχὴν τοῦ ὠμολίνου συμβεβλημένου, καθιέναι τὴν μήλην ἐς τὴν σύριγγα, καὶ ἅμα τῆς ἀριστερῆς χειρὸς τὸν δάκτυλον τὸν λιχανὸν καθιέναι ἐς τὴν ἕδρην, ἐπ' ἣν δὲ ψαύσῃ ἡ μήλη τοῦ δακ-

τύλου, ἄγειν ἔξω τῷ δακτύλῳ, ἀποκάμψας τῆς μήλης τὸ ἄκρον, καὶ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐν τῇ μήλῃ, καὶ τὴν μὲν μήλην πάλιν ἐξαιρέειν, τοῦ δὲ ὠμολίνου τὰς ἀρχὰς ἀφάψαι δὶς ἢ τρίς, καὶ τὸ λοιπὸν τοῦ ὠμολίνου. ἐπιστρέψας, ἐπιδῆσαι πρὸς τὸ ἅμμα, ἔπειτα κελεύειν ἀπελθόντα διαχωρήσεσθαι τὰ ἑωυτοῦ, ὁκόσον δὴ σηπομένης τῆς σύριγγος χαλᾶται τοῦ ὠμολίνου, τοῦτο ἐπιτείνειν καὶ ἐπιστρέφειν ἀεὶ καθ' ἑκάστην ἡμέρην, ἢν δέ σοι τὸ ὠμόλινον διασαπῇ πρόσθεν, ἢ τὴν σύριγγα διαβρωθῆναι, πρὸς τὴν τρίχα προσάψας ἕτερον ὠμόλινον διεῖναι καὶ ἀφάψαι, ἡ γὰρ θρὶξ διὰ τοῦτο παραβάλλεται τῷ ὠμολίνῳ, ὅτι ἄσηπτός ἐστιν.

Alia curatio. Linum crudum quàm tenuiſſimum ad palmi longitudinem quintuplex complicato, ſetámque equinam circumdato, tum per ſpecillum ſtanneum extrema parte perforatum lini crudi complicati caput traijcito, ipſúmque ſpecillum in fiſtulam demittito, ſimúlque manus ſiniſtræ indicem digitum in anum indito, vbi autem ſpecillum ad digitum peruenerit, illud digito foras educito extrema parte inflexum, rurſúmque lini caput quod iniectũ fuerat, cum ſpecillo extrahatur, tũc vtrúm-

que lini caput bis aut ter vinciendum, relinquum vero lini crudi reflectens ad nodum alligato. Interea liceat homini abire,& negotia sua peragere. Quantum autem putrescente fistula, de lino relaxatur, tãtum semper quotidie constringere ac intorquere oportet. Si vero linum crudum putrescat, antequam fistulam exederit, alterum linum crudum setæ adiungito, traiectúmque alligato. Seta vero idcirco lino adiungitur, quia non putrescit.

SEcunda hæc fistularũ curatio longa quidem, sed sine dolore est, itáque conuenit timidiusculis, qui ob mollitiem & timiditatem, chirurgiam fugiunt. Paulus hanc curationem per linum crudum, vocat Hippocraticam ἀπολίνωσιν, quam sic describit libri sexti capite de ani fistulis. Iubet Hippocrates linum quintuplex crudum cultro forato, vel specillo per fistulam demittere, & lini principia coniungi ac quotidie constringi, donec corpus totum quod duabus oris intercedit, dissectum linum eructet. Cornelius item Celsus libri septimi capite de ani fistulis, ex hoc Hippocratis loco hanc fistularum curationem, per linum crudum transtulit his verbis. In ani fistula demisso specillo ad vltimum eius caput incidi cutis debet, deinde nouo foramine specillum educi, lino sequente, quod in aliam eius partem ob id ipsum perforatam con-

iectum sit, ibi linum prehendendum, vinciendúmque cum altero capite est, vt laxe cutem quæ super fistulam est teneat, ídque linum esse debet crudum, & duplex tripléxve, sic tortum vt vnitas facta sit. Interim autem licet negotia agere, ambulare, lauari, cibum capere perinde atque sanissimo, tantummodo id linum bis die, saluo nodo ducẽdum est, sic vt subiecit fistulam pars quæ superior fuerit, neque committendum est, vt linum putrescat, sed tertio quoque die nodus resoluendus est, & ad caput alterum recens linum alligandum est, eductóque vetere, id in fistula cum simili nodo relinquendum, sic enim id paulatim cutem quæ supra fistulam est, incidit, simúlque & id sanescit, quod a lino relictum est, & id quod ab eo mordetur, inciditur, hæc ratio curationis longa sed sine dolore est, qui festinat astringere cutem lino debet, quò celerius secet, noctúque penicillo tenuia quædam intus demittere, vt cutis hoc ipso extenuetur, quo extenditur, sed hæc dolorem mouent. Adijcitur celeritati sic, vt tormento quoque, si & linum, & id quod ex penicillo est aliquo medicamento illinitur ex his quibus callum exedi posui, hæc autem proposuit prius libro quinto capite de fistulis, ὠμόλινον autem siue linum crudum idcirco sumit Hippocrates, quoniam linum crudum vlcus mollius mordet, nec labra tam asperè vt linteum affricat, humorem saniem aut pus imbibitum promptius extrahit, præterea vlcus ipsum mirificè desiccat. Sic alibi Hippocrates μότον ὠμολίνου præcipit, id est, linamentum ex lino crudo, in phymate lateris, libro de internis affectionibus,

& libro secundo de morbis in phymate lateris, & Paulo post, in hydrope pulmonis. Cæterum vidius oscitanter vertit, διαπρήσσεσθαι τὰ ἑωυτοῦ, secare seipsum, nos verò, negotia sua peragere, cum Celso diximus. Hippocrates hoc verbo sæpius vti solet, vt initio libri de somnijs, τὰς τοῦ σώματος πρήξιας ἁπάσας ἡ ψυχὴ διαπρήσσεται, omnes corporis actiones omnia peragit, post hæc verba, statim in quibusdam codicibus legitur, ἄλλη θεραπεία, quod vertit Vidius, reliqua curatio, hoc tamen delendum est, Cornarius non videtur legisse, nec in codice à Mercuriali restituto legitur.

Ἐπὴν δὲ διαγνῶσα τῇ ἡ σύριγξ, τάμνεσθαι χρὴ σπόγγον μαλακὸν ὡς λεπτότατον περιτεθέντα, ἔπειτα ἐς μὲν τὴν σύριγγα, ἄνθος χαλκοῦ ὀπτὸν συχνὸν τῇ μήλῃ ἐνθεῖναι, τὸν δὲ σπόγγον ἀλεῖψαι μέλιτι, καὶ ὑποβαλὼν μέσῳ τῷ λιχανῷ δακτύλῳ τῆς ἀριστερῆς χειρὸς ὦσαι πρόσω, καὶ προσθεὶς ἕτερον σπόγγον ἀναδῆσαι τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ καὶ ἐπὶ τῇσιν αἱμορροΐσιν, τῇ δὲ αὔριον ἀπολύσας, περιθεῖναι ὕδατι θερμῷ, καὶ σπόγγῳ τῷ δακτύλῳ τῆς ἀριστερῆς χειρὸς πειρᾶν διακαθαίρειν τὴν σύριγγα, καὶ αὖθις πάλιν τὸ ἄνθος ἐπιδῆσαι, ταῦτα ποιέειν ἑπτὰ ἡμέρας, ἐν ταύτῃσι γὰρ μάλιστα ὁ χιτὼν τῆς σύριγγος σήπεται, τὸ δὲ λοιπὸν ἔστ' ἂν ὑγιανθῇ τουτέῳ ἐπιδεῖν, κατὰ γὰρ τοῦτον τὸν τρόπον, ὑπὸ τοῦ σπόγγου διαναγκαζομένη, καὶ ἀνα-

πλυνομένη ἡ σύριγξ, οὔτε πάλιν ξυμπέσοι ἂν, οὔτε τὸ μὲν αὐτῆς ὑγιανθείη ἂν, τὸ δὲ πάλιν ξυμπληρωθείη, ἀλλ' ἐν ἑωυτῇ πᾶσα ὑγιὴς ἔσται, ἐν τῇ θεραπείῃ δὲ προσαιονᾶν ὕδατι πολλῷ θερμῷ, καὶ λιμοκτονέειν.

CVm autem fiſtula computruerit, incidere ſpongiam mollem conuenit, eámque quam tenuiſſimam imponere, deinde florem æris vſtum copioſum in fiſtulam per ſpecillum immittere, ſpongiam vero melle illinere, ſubiectóque medio digito indice ſiniſtræ manus intro trudere, cumque aliam ſpongiam appoſueris, eodem modo alligare oportet, quo in hæmorrhoidibus. poſtridie vbi vinculum ſolueris, aquâ calidâ abluere oportet, & conari per ſiniſtræ manus digitum fiſtulam ſpongia purgare, rurſúſque flore æris immiſſo deligare, idque per ſeptem dies facere, fere enim in his fiſtulæ tunica computreſcit. Cæterum donec ſaneſcat, hoc modo alligare. Sic enim fiſtula per ſpongiam coacta atque explicata neque rurſum concidet, neque pars vna curabitur, altera rurſus implebitur. Sed vniuerſa conſaneſcet. In hac autem curatione multa aqua calida fouere iuuat, & inediam imperare.

Reliquam

RElíquam curationem fistulæ persequitur, cùm lino crudo cutem carnémve quæ supra fistulam est, exedit, & diffecuit, tunc enim necesse est callum adimere, & humorem affluentem detergere, vlcúsque purgare. Itáque spongiam mollem tenuissime cōcisam melle illitam primum imponit, vt fistulam apertam, & explicatam conseruet, mollem eligit, ne vlcus irritet, tenuissimè concisam, vt fistulæ possit accommodari, melle illitam, vt vim habeat detergendi. Deinde florem æris vstum per specillum immittit, vt callosam fistulæ tunicam consumat & exedat, quemadmodum & supra sententia tertia, linteum succo tithymali magni tingebat, & æris flore vsto cōtrito respergebat ad eundem vsum. Tum digito indice sinistræ manus spongiam intro compellit, qui locus in exemplaribus Græcis sic legitur, καὶ ὑποβαλὼν μέσῳ τῷ λιχανῷ δακτύλῳ τῆς ἀριστερῆς χειρὸς ὦσαι ἔσω, subiectóque medio digito indice sinistræ manus intro trudere. Dalechampius legit, μέσῳ ἢ τῷ λιχανῷ δακτύλῳ ἑκατέρης χειρὸς, id est medio aut indice digito alterutrius manus. Ætius etiam medium sinistræ manus digitum in sedem immittit capite vltimo libri decimiquarti. Alij non legunt μέσῳ, vt Cornarius. Vidius μέσον legit & retulit ad σπόγγον, sic enim vertit, sinistræ manus digito indice spōgiam mediam intro compellere, quam lectionem magis probo, sententia enim quinta libri de hæmorrhoidibus eadem verba legimus sic, ἔπειτα ὑποβαλὼν τῷ δακτύλῳ τῷ λιχανῷ τῆς ἀριστερῆς χειρὸς, μέσον τὸν σπόγγον ὦσαι. Deinde cùm aliam spongiam apponit fistulæ, vinculum admouet

illud, quod etiam hæmorrhoidibus accommodauit sententia quinta libri præcedentis, quódque paulo post repetet sententia decima huiusce libri, postero die soluto vinculo, locum aqua calida abluit, ad dolorem leniendum, & sordes expurgandas, túncque spongiâ etiam fistulam ipsam expurgat, & per septem dies florem æris vstum per specillum in fistulam immittit, eandémque vinciendi rationem accommodat, per spongiam cogit fistulam apertam manere, ne glutinetur celerius quam impleatur, quod contingeret, si concideret, eiúsque oræ sectæ in vnũ coirent, ita enim vniuersa simul fistula sanescet, neque pars vna curabitur, altera rursus callum contrahet, aut pure replebitur; πλήρωσις enim repletio est cuiuslibet rei, cibi, potionis, humorum aut excrementorum. Vt autem humores ad partem affectam non defluant, dolorem qui attractionis solet esse causa, lenit fotu aquæ calidæ, deinde inediam imperat, ne excrementorum fiat prouentus, λιμοκτονέειν proprie significat fame conficere & enecare, sed hic est ὀλιγοσιτέειν pauco cibo vti, tenuémque victum seruare, & λιμοκτονίη Galeno est ἀσιτία παντελὴς, vel certè, ἡ ἐπὶ τοῖς πόμασι μόνοις δίαιτα, integra & perfecta abstinentia, vel ea victus ratio quæ in sola potione consistit.

Ἢν δὲ μὴ διαβεβρώκῃ ἡ σῦριγξ, περιμηλώσας μήλῃ, τέμνε ἕως ἂν διέλθῃ, καὶ ἐπίπασσε ἄνθος χαλκοῦ, καὶ ἐὰν ἐπὶ πέντε ἡμέρας, καταχέε δὲ ὕδωρ θερμὸν, καὶ ἐπάνω ὕδατι φυρῶν,

ἄλφιτον καταπλάσσε, καὶ φύλλα τεύτλων ἐπίδει, ἐπ' ἢν δὲ ἐκπέσῃ τὸ ἄνθος τοῦ χαλκοῦ, καὶ καθαρὸν ᾖ τὸ ἕλκος τῆς σύριγγος, ἰῶ ὥσπερ τὴν ἔμπροσθεν, ἢν δὲ ἐν χωρίῳ ᾖ, ὃ μὴ διόντε, βαθείη δὲ καὶ ἡ σύριγξ, ἄνθει χαλκοῦ, καὶ σμύρνῃ, καὶ λίτρῳ οὔρῳ διεὶς, κλύζειν, καὶ ἐς τὸ στόμα τῆς σύριγγος μολύβδιον ἐντιθέναι, ὅπως μὴ ξυμφύηται, κλύζειν δὲ πτεροῦ σύριγγα προσδήσαις πρὸς κύστιν, καὶ καθεὶς ἐς τὴν σύριγγα, πρὸς τοῦτο διάγειν κλύζων, ὑγιὴς δὲ οὐ γίνεται, ἢν μὴ τμηθῇ.

SI vero fiſtula non perroſerit, demiſſo ante ſpecillo, incidito quoúſque peruenerit, & florem æris inſpergito, & ad quintum vſque diem ſinito, tùm aqua calida foueto, & cataplaſma ſuperdato ex polenta in aqua ſubacta, & betæ folia ſuperalligato. Cum verò flos æris exciderit, vlcúſque fiſtulæ purum fuerit, curato vt præcedentem. Si vero in loco ſit, in quo his vti non liceat, ſi etiam profundior fuerit fiſtula, flore æris, myrrha & nitro ex vrina dilutis eluito, & ori fiſtulæ plumbeum penicillum aptato ne coaleſcat. Eluere verò expedit fiſtulam pennæ calamo ad veſicam alligato, eóque in fiſtulam immiſſo ablutionem infun-

dere. Verùm minime ſaneſcit, niſi ſe-cetur.

C

CVrationem proponit eius fiſtulæ quæ perforata & perui a non eſt, nec rectum inteſtinum perrumpit. In eam primum demittit ſpecillum, ſupráque id fi ſtulam incidit, quatenus penetrat. Sic ſuadet etiam Ætius libri 14. capite 55. vt fiſtulis obliquis ſub cutem extenſis ſpecillum immittamus, & eleuata cute totam longitudinem vna ſectione incidamus. Secta vbi fuerit fiſtula, ea iniicienda ſunt, quibus callus exedi ſolet, itáque vlcus reſpergit flore æris vſto, in eóque remedio perſeuerat ad quintũ vſque diem, fere enim intra quintum & ſeptimum diem fiſtulæ calloſa tunica conſumitur. Et quoniam ſectio totius fiſtulæ afferre ſolet partis inflammationem, non ſolum aqua calida locum fouet, vt antea, ſed cataplaſma etiam ſuperimponit ex polenta in aqua ſubacta, quod inflammationem mitigat, & ſiccando etiam diſcutit, hordeum enim primi eſt ordinis in refrigerando & ſiccando. Superalligat præterea betæ folia, quoniam beta δυνάμεως ἀφλεγμάντου γίνεται, facultatis eſt inflammationem arcentis, Galeno libro octauo de ſimplicium facultatibus, folia etiam betæ ſiccant & digerunt, idcirco Hippocrati ſententia 22. libri quarti de articulis ὅπη δεῖα φύλλα τεύτλων ὅπιτε τὸ ἕλκος ὅπιτε τὰ περὶ ἴσχοιτα. Rectè folia betæ vlceri atque vicinis partibus imponuntur. Cum verò callus victus medicamentis exierit, vlcúſque purum fuerit, imponenda ſunt glutinantia, præcipuéque ſpongia melle illita, cum

vinculo pręcedenti ſententia deſcripto. Si quando vero fiſtula in loco ſit, in quo ad ſcalpellum venire non liceat: vt cum veſicæ ceruicem perforauerit, aut femoris articulum occupauerit, aut cum profundior fuerit, & altius penetrauerit, tunc eiuſmodi fiſtulam eluimus medicamento quod detergendo & ſiccando curet, cuiuſmodi eſt quod flore æris, myrrha & nitro ex vrina dilutis conſtat, de flore æris, myrrha dictum ſupra. Nitrum autem facultatis eſt digerentis & deſiccantis, de quo vide commentarium in ſententiam 26. libri de vulneribus, vbi ex his tribus cum omphacio pharmacum ἐπουλωτικὸν deſcribit Hippocrates, hoc autem loco ex vrina diluit, vrina vero hominis ſi quid aliud extergendi vim habet, Galeno libro decimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Pennæ calamo ad veſicam alligato eluit fiſtulam, eóque in fiſtulam immiſſo ablutionem inſtillat. Sic Galeno, vt multis apud eum locis videre licet, κλυστὴρ ſiue inſtrumentum quo medicamentum liquidum inijcitur in inteſtina, fuit veſica, cui cornea fiſtula, vel alterius materiæ, ad finem erat annexa. Porro fiſtulas eiuſmodi hoc medicamento eluimus, donec ſanitatem, qualis eſſe poteſt, recipiant, quædam enim per ſe inſanabiles ſunt, aliæ autem ex toto non ſaneſcunt, cum enim medicamentum infuſum ad omnes partes non perueniat, vnam partem curat, reliquas omittit. Itáque dicit non ſaneſcere has fiſtulas, ni ſecentur, aliter enim callus exedi non poteſt, quandiu autem reſtat callus fiſtulæ cauſa, neque caro produci, neque vlcus coaleſcere poteſt, fiſtulæ verò

quæ altiùs non penetrant, & ad quas medicamentum peruenire poteſt, ſaneſcunt ſine inciſione, quoniam callus totus conſumi poteſt, vt ſuperiore ſententia demonſtrauit.

Ἢν ὁ ἀρχὸς φλεγμήνῃ, καὶ ὀδύνην ἔχει καὶ πυρετὸς, καὶ ἐς ἄφοδον θαμινὰ καθίζῃ, καὶ μηδὲν ὑποχωρέῃ, καὶ ὑπὸ τοῦ φλέγματος δοκέῃ ἐξιέναι ἡ ἕδρη, καὶ ἐνίοτε στραγγουρίη ἐπιλαμβάνῃ, τοῦτο τὸ νόσημα γίνεται, ὅταν φλέγμα ἐς τὸν ἀρχὸν καταστηρίξῃ ἐκ τοῦ σώματος, ξυμφέρει δὲ τὰ θερμὰ, δύναται γὰρ τάδε προσφερόμενα λεπτύνειν καὶ ἐκτήκειν τὸ φλέγμα, καὶ ἅμα τῷ δριμεῖ τὸ ἁλμυρὸν ἐξυδατοῦν, ὥστε μὴ εἶναι τὸ καῦμα, μὴ δὲ δῆξίν τινα ἐν τῷ ἐντέρῳ.

SI anus inflammetur, adſitque dolor & febris, & ſi ad aluum exonerandam crebrò deſidat, & nihil excernat, & a pituita videatur anus procidere, & interdum vrinæ ſtillicidium cõtingat, hic morbus accidit, cum pituita ex corpore ad anum decumbit. Conferunt autem calida, hæc enim adhibita pituitam extenuare & liquare poſsũt, & ſimul quod acre & ſalſum eſt diluere, ita vt neque ardor, neque eroſio in inteſtino relinquatur.

HÆmorrhoidum & fistularum curationi superueniunt aliquando symptomata quædam quæ medentis solicitudinem ad se conuertunt, de his obiter nunc agit Hippocrates, enumerat autem inflammationẽ, tenesmum, stranguriam, ani prolapsum, fluxum humoris, saniei, aut sanguinis, & dolorem, contra quæ conuenientia remedia præscribit. Inflammatur sæpissime anus propter hæmorrhoidas & propter fistulas, oritur enim inflammatio, maxime vbi dura aluus eum locum læsit, & ferè quæ circa fistulam sunt, habent aliquid inflammationis, ait Celsus libro quinto & sexto. In hæmorrhoidibus quidem sanguis in venulis incalescens, ani partes vicinas inflammat. præterea hæmorrhoidum adustio & excisio partibus ani vim infert, & inflammationem relinquit. In fistulis dum cutem excindit dum callum exedit, dum acria & calida medicamenta immittit medicus, inflammationem excitat in ani partibus. Dum autem inflammatur anus, dolor & febris accidit, hæc enim inflammationem sæpius comitantur. Cùm homo sæpius desurgere cogitur, nihílque excernit præter pauca pituitæ, mucísque similia, interdum etiam leuiter subcruenta, hic affectus τεινεσμὸς vocatur, & ἀπὸ τῆς τάσεως, a tensione nomen habet, pars enim affecta ἐκτείνεται καὶ πρὸς ἔκκρισιν βιάζεται, extenditur & ad excretionem cogitur. Huius mali causa est genita in recto intestino inflammatio œdematodes, vel nascitur hic affectus à pituita crassa, acri, & viscida in recto intestino collecta, quæ assiduè ad excretionem irritat, sed quia contumaciùs inhæret, non

nisi magno conatu excerni potest. Ab eadem pituita anus aliquando procidit, & hæc affectio πρόπτωσις ἀρχοῦ ἢ ἕδρας dicitur, prolapsus siue procidentia ani vel sedis, de quo affectu paulo post, vt etiam de vrinæ stillicidio siue stranguria. Hos omnes affectus oriri dicit a pituita crassa, acri & salsa, quorum etiam curationem constituit in calidis remedijs, quæ pituitam extenuare, liquare, diluere, & in aqueam naturam conuertere possunt, & ita ardorem erosionémque intestini tollere, statim autem remedia proponit hoc modo.

Θεραπεύειν οὖν χρὴ ὧδε, καθίζειν ἐς ὕδωρ θερμὸν, καὶ τρίψαντα τοῦ κόκκου τοῦ κνιδίου ἑξήκοντα κόκκους, διεῖναι ἐν οἴνου κοτύλῃ, καὶ ἐλαίου ἡμικοτυλίῳ χλιήνας, κλύσον, ἄγει δὲ ταῦτα φλέγμα καὶ κόπρον, ὅταν δὲ μὴ ἐν τῷ ὕδατι καθίζει, ὠὰ ἑψήσας ἐν οἴνῳ μέλανι εὐώδει, προστιθέναι πρὸς τὴν ἕδρην, ὑποπετάσας τὶ κάτωθεν θερμὸν, ἢ κύστιν ὕδατος θερμοῦ πλήσας, ἢ λίνου σπέρμα πεφωσμένον ἀλέσας, τρίψας καὶ μίξας ἴσον ἄλητον ἐν οἴνῳ μέλανι καὶ εὐώδει, καὶ ἐλαίῳ, καταπλάσσειν ὡς θερμότατον, ἢ κριθὰς μίξας ἢ στυπτηρίην αἰγυπτίην τετριμμένην, ἔπειτα πλάσαι βάλανον μακρὴν, καὶ χλιαίνων πρὸς πυρὸς, καταπλάσσειν τε καὶ πυριῆν, καὶ τοῖσι δακτύλοισι προσπλάσσειν, ἔπειτα ἀκροχλίηρον ποιέων, ἐντιθέναι ἐς τὴν ἕδρην, τὰ ἔξωθεν δὲ κηρωτῇ περιαλεῖψαι, καὶ καταπλάσσειν σκορόδοισιν ἑφθοῖσιν ἐν οἴνῳ με-

λανι κεκρημένῳ, ἐπ' ἢν δὲ ἐξαιρέῃς ἐς ὕδωρ θερμὸν ἐφίζειν, καὶ συμμίξας χυλὸν στρύχνου, καὶ χηνὸς, καὶ ὑὸς στέαρ, καὶ χρυσόκολλαν, καὶ ῥητίνην, καὶ κηρὸν λευκὸν, ἔπειτα διατήξας ἐν τῷ αὐτῷ, καὶ ξυμμίξας, τούτοισιν ἐγχέειν, καὶ ἕως ἂν φλεγμαίνῃ, καταπλάσσειν τοῖσι σκορόδοισι θερμοῖσι, καὶ ἢν μὲν περὶ ταῦτα ἀπαλλάσσηται τῆς ὀδύνης ἀρκείτω, ἢν δὲ μὴ, πῖσαι τὸ μηκώνιον τὸ λευκὸν, ἢν δὲ μὴ, ἄλλο ὅ,τι φλέγμα καθαίρει, διαιτᾶν δὲ ἕως ἂν φλεγμαίνῃ, προφήμασι κούφοισιν.

CVrare igitur ſic conuenit. Homo debet in aqua calida deſidere, & gnidia grana ſexaginta contrita, dilutáque ex vini hemina, & olei dimidiata hemina per clyſterem infundito, hæc enim pituitam & feces educunt. Cum autem in aqua calida non deſidit, oua in vino nigro odorato cocta ſedi admoueantur, ſubijciatúrque inferne aliquid calidum, ſiue veſica aqua calida repleta, ſiue lini ſemen frictum, contuſum & contritũ, cum æquali farina, ex vino nigro & odorato, & ex oleo miſtum, cataplaſmatis modo calidiſſime imponatur; adiecto hordeo, vel alumine ægyptio contrito, fiat deinde

glans oblonga, quam ad ignem tepefaciens effingito, & dum calet digitis formato, & exactè tepidam in anum demittito, externas partes cerato perungito, & cataplasma ex allijs in vino nigro diluto coctis imponito. Vbi exemeris debet homo in aqua calida desidere, túncque solani succum, adipem anserinam & suillam, chrysocollam, resinam & ceram albam misceto, deinde liquefacito, & ex his inter se mistis locum inungito. Dum aderit inflammatio, cataplasma ex allijs calidis imponito. Si ex his conquiescat dolor, satis abunde est, sin minus potionẽ sumat ex meconio albo, vel alio quopiam quod pituitam purget. Dum inflammatio est, leuioribus cibis vtendum.

INflammationis ani curationem proponit, quæ pituitam crassam & salsam morbi causam, attenuat, liquat, & in aqueum humorem conuertit, ita vt neque ardorem, neque erosionem aut morsum vllum in ano possit excitare. In aqua calida debet homo desidere, vt extenuetur & diluatur pituita crassa & acris, tum infunditur clyster ex hemina id est ex vncijs decem vini, & ex dimidiata hemina olei, id est ex vncijs quatuor cum semuncia, in quibus diluuntur sexaginta grana gnidia contrita, hic autem clyster

non solum feces educit, sed pituitam etiam vacuat. Hoc genus clysteris Hippocrati fuit familiare, vt circa finem libri primi περὶ γυναικείων bis clysterem præscribit pituitam & bilem expurgantem ex sexaginta granis gnidijs in aqua infusis admisto melle & oleo, est vero gnidium granum semen Thymelææ Dioscoridi, Thymelæa, Mesuæ est secunda species mezerei, quam vt perniciosam exterminat, & Galeno, gnidium granum acris & adurentis est facultatis, exoleuit nunc, & ab vsu recessit hoc pharmacum, cuius loco, vel agaricum, vel electarium dia cnicu, vel benedictam aut hieram simplicem, vel dia colocynthidos assumere tuto possumus. Cum homo in aqua calida non desidit, debet anum fouere ouis in vino nigro odorato decoctis, ad dolorem leniendum, ad inflammationem sedandam, & ad partem confirmandam & roborandam, vt facilius pituitam expellat. Sic Celsus libro sexto, ad ani rhagadia siue rimas, cum in ano pluribus locis cutis exciditur, hæc duo Hippocratis remedia transfert his verbis. Quiescere homo debet, in aqua calida desidere. Columbina quoque oua coquenda sunt, & vbi induruerunt, purganda, deinde alterum iacere in aqua bene calida debet, altero calido foueri locus, sic vt inuicē vtróque aliquis vtatur. Hippocrates autem hoc loco oua in vino nigro odorato cocta sedi admouet, quorum calorem vt diutius conseruet, subijcit vesicam aqua calida repletā, vel calidissime imponit cataplasma ex semine lini fricto & contrito, cum æquali portione farinæ tritici ex vino nigro odorato, & ex oleo, cui vel hordeum sit ad-

iectum, vel alumen ægyptium contritum, hoc autem cataplasma, non solum ouorum calorem conseruat, sed dolorem lenit, inflammationem mitigat & partem sic roborat, vt anus post hac non procidat, deinde glandem oblongam in anum demittit, vt attenuatam & liquefactam pituitam educat, cum enim materia in recti intestini ima parte contineatur, faciliùs glande quàm clystere educitur. Glandium autem varia solet esse præparatio, nam ex melle cocto, sale, nitro, puluere hieræ simplicis, hieræ diacolocynthidos, agarico, pyrethro, pipere, felle, sinapi, farina, lupinorum, ruta, absynthio, centaurio & similibus acribus conficitur, ita vt mellis vncia vna, salis aut acris materiæ drachmā dimidiam, aut drachmam vnam habeat. Partes deinde externas inungit cerato liquido, vt inflammationem coerceat. Cerati duplex apud Hippocratem ratio, interdum siquidem cera ex rosaceo vel ex oleo liquatur, interdum arida pix adijcitur, hinc κηρωτὴ ὑγρὰ, ἢ πισσηρὰ, ceratum liquidum vel picatum dicitur, commentario in sententiam vigesimam primam libri primi de fracturis. Cataplasma verò superdandum censet ex allijs coctis in vino nigro diluto, vt materiam inflammationis discutiat, allium enim vim habet calefaciendi & siccandi, & sua tenuitate facile penetrat, ita vt vrinas etiam moueat, compendiaria autem partium phlegmone obsessarū curatio, per siccantia præsidia perficitur, vt docet Galenus libri quarti methodi medendi capite quinto, & Hippocrates sententia 23. libri περὶ ἑλκῶν, detracto cerato & cataplasmate, rursus

debet in aqua calida desidere, ad pituitam attenuandam, tum medicamentum ex succo solani, adipe suilla & anserina, ex Chrysocolla, resinâ & cera alba superimponendum ad inflammationem minuendam, dolorem leniendum, & ad discutiendum, & dum aderit inflammatio, cataplasma ex allijs imponendum; ad discutiendam inflammationis materiam. Si his remedijs non cesset inflammatio, nec dolor sedetur, dandum medicamentum aliquod pituitam expurgans, hîc proponit meconium album, quod Galeno in exegesi linguarum, est id quod vocatur peplos, & vulgo dicitur esula rotunda, cuius loco tutius assumes phlegmagogum aliquod catharticum vsu comprobatum. Quandiu autem timetur inflammatio, tandiu abstinentia pugnandum, & tenui diæta vtendum, sic enim præsens inflammatio coercetur, & futura repellitur.

Ἢν δὲ στραγγουρίη ἐπιπίπτει ἐκ τῶνδε, θερμαινομένη ἡ κύστις ἐκ τοῦ ἀρχοῦ, προσάγεται τῇ θερμότητι φλέγμα, ὑπὸ δὲ τοῦ φλέγματος στραγγουρίη γίνεται, ἢν μὲν οὖν ἅμα τῇ νούσῳ παύηται, φιλεῖ γὰρ ὡς τὰ πολλὰ οὕτως γίνεσθαι, ἢν δὲ μὴ, δίδου τῶν φαρμάκων τῶν στραγγουρικῶν.

STranguria verò hinc accidit. Vesica ob anum incalescens pituitã calore attrahit, à pituita nascitur stranguria. Si autem vna cum morbo finiatur,

quod plerúmque fieri ſolet, ſatis eſt, ſin minus, exhibenda ſunt ea medicamenta quæ ad ſtranguriam pertinent.

INflammato ano aliquando ſuperuenit ſtranguria, id eſt vrinæ ſtillicidium, eſt autẽ ϛραγγουρία, ἡ κατὰ ϛράγγα τῶν οὔρων ἀπόκρισις, commentario in aphoriſmum 48. libri 7. Vrinæ ſtillicidium eſt ſtillatim & guttatim vrinæ excretio. In ſtranguria eſt aſſidua meiendi cupiditas & proritatio, nec pro conſuetudine vrina redditur, ſed paulatim & guttatim deſtillat & effluit. Stranguriæ cauſa eſſe poteſt veſicæ imbecillitas, vrinæ acrimonia, vlcus veſicæ, aut purulẽti renes, pus enim cum vrina miſtum ab abſceſſu renum rupto proficiſcens, vrinæ ſtillicidium excitat. Hoc autem loco ſtranguriam ano inflammato ſuperuenire dicit, veſica enim & rectum inteſtinum, cuius externa pars eſt anus, viciniæ ratione facile per ſympathiam & conſenſum afficiuntur, quod ipſe etiam confirmat aphoriſmo 58. libri quinti. Ad recti inteſtini & vteri inflammationem accedit ſtranguria, non ſolum autem inflammatio ani poteſt communicari veſicæ, ſed & materia quæ inflammationis eſt cauſa. Solet vero ſtranguria per ſympathiam recti inteſtini excitata, vnà cum morbo à quo dependet plerúmque finiri, nec propriam curationẽ requirit. Si verò ſedata ani inflammatione perſeueret ſtranguria, tunc remedijs ſtranguriæ dicatis vtendum eſt, de quibus aphoriſmo 48. libri ſeptimi agit his verbis, ſtranguriam & dyſuriã thorexis & phlebotomia ſol-

uit, si enim frigida intemperies ſtranguriæ cauſa ſit, vel etiam obſtructio ſanguinis craſſioris citra plenitudinem thorexis & meri potio conueniẽs eſt remedium, præterea oleo rutaceo pectinem fouere oportet, ægrúmque in maioranæ aut rutæ decocto deſidere, ac imum ventrem contegere & calefacere, aliquando & per ſedem oleum rutaceum calidum infundere, aromatum etiam decoctiones in potu exhibere, poteſt etiam præberi theriaca cum paſſo aut vino mulſo. Si verò ſtranguriam efficit plenitudo ſanguinis, vrinæ acrimonia & mordacitas, tunc ſanat venæ ſectio, per phlebotomiam Philotheus τὴν σφυρότομίαν, id eſt venæ interioris in talo ſectionem hîc intelligit. Exuperantem etiam vitioſum humorem quam celerrime purgare oportet, & ab omnibus acribus ac ſalſis abſtinere, vitanda exercitia, vinum, ira, & βαρυδηδία, ex vſu ſunt quæcumque acrimoniam humoris contemperant, ptiſanæ cremor, piſces, balnea, aqua calida dulcis plurima in potu exhibita, optimum etiam eſt ipſum lac calidum potatum. Si calculus, grumus, vel eius generis aliquid obſtruens, vrinæ tranſitum impediat, catheterem immittere conducit, porro ſi aliud membrum ſit affectum, & ipſum per veſicam expurgetur, manifeſtum eſt illi priorem curam deberi, ita tamen vt veſicam non negligamus.

Ἢν δὲ ὁ ἀρχὸς ἐκπίπτῃ, ἀνώσας σπόγγῳ μαλθακῷ, καὶ καταχρίσας κοχλίῃ, τῶν χειρῶν δήσας, ἐγχρίμασον ὀλίγον χρόνον, καὶ εἰσει-

σιν, ἢν δὲ μεῖζον ἐκπέσῃ, καὶ μὴ μένῃ ἔνδον, διαζώσας ἐν τῇσι λαγόσι, καὶ ὑφεὶς ὄπισθεν ταινίην, ὤσας ἔσω τὸν ἀρχὸν, προσθεῖναι σπόγγον μαλθακὸν βρέξας ὕδατι θερμῷ, ἐνεψήσας λωτοῦ πείσματα, καταχέαι δὲ καὶ κατὰ τοῦ ἀρχοῦ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ὕδατος, τὸν δὲ σπόγγον ἐκπιέσαι, ἔπειτα ὑποτείνας τὴν ταινίην διὰ μέσων τῶν σκελέων ἀναδῆσαι περὶ τὸν ὀμφαλὸν, ὅταν δὲ θέλῃ ἀφοδεύειν, ἐπὶ σανίσιν ὡς στενοτάτοισιν ἀφοδευέτω, ἢν δὲ παιδίον ᾖ, ἐπὶ γυναικὸς τῶν ποδῶν πρὸς τὰ γούνατα προσκλιθεὶς, ὅταν δὲ ἀφοδεύῃ, τὰ σκέλεα ἐκτεινάτω, οὕτω γὰρ ἂν ἥκιστα ἐκπίπτοι ἡ ἕδρη.

At si anus ipſe procidit, eo per mollem ſpongiam repulſo & cochleâ perunĉto, alligatis manibus hominem paululum temporis ſuſpendito, & intro reuertetur. At ſi magis procidat nec intus remaneat, vbi zonam ilibus admoueris, faciamque ex poſteriori parte ſubmiſeris, impulſo introrſum ano, ſpongiam mollem imbutam aqua calida in qua loti ramenta fuerint decocta, imponito, eadem verò aqua anum perfundito, ſed ſpongiam exprimito, deinde faciam per media crura ſubtendens ad vmbilicum deligato. Vbi deijciendi cupiditas

cupiditas fuerit, ſuper aſſeribus anguſtiſſimis deijciat. Si verò puer fuerit, mulieris pedibus inſidat ad genua inclinatus. Quoties autem deijciet, crura extendat, ita enim minimè procidet anus.

ANus procidit ob plures cauſas, aliquando ob infirmitatem muſculorum obliquorum ſedem ſurſum reuellentium, aliquando ob reſolutionem nerui qui ab extrema ſpina ad ſedem porrigitur, vel ob laxitatem membranarũ quibus oſſi ſacro & lumbis colligatur, quæ pueris & infantibus familiaris eſt ex multi humoris perfuſione, procidit etiam anus à magno egerendi conatu, qualis in dyſenteria & teneſmo moleſtus eſſe ſolet, fit etiam ani prolapſus à pituita acri & ſalſa in recto inteſtino coaceruata, vt paulo ante dixit, quod cum accidit, molliori ſpongia repellendus anus in ſuum locum, protrudendus ac reponendus, & ne facile excidat perungendus cochlea, per cochleam autem intelligo carnem limacis ſine teſtis & tegumentis vel μύξαν ſiue mucum. Caro autem cochlearum prius in mortario contuſa ac poſtea ad læuorem redacta validiſſimè deſiccat partes ſuperfluo humore grauatas, ipſe autem humor ſiue mucus ſolus per ſe citra carnem thuri miſtus, aut aloæ, aut myrrhæ medicamentum eſt ἐχέκολλον tenax & glutinoſum. porrò vbi multum ſucci cochlearum accipere voles, carnem earum ſtylo pungito, ſed non ante multos dies venatas eſſe expe-

dit,alioquin enim tempore deſiccantur,nam recentes plurimùm habent viſcoſæ illius humiditatis, quam ſtylo compunctæ effundunt, vt ait Galenus initio libri vndecimi de ſimpliciũ medicamentorũ facultatibus, cum de animalium carnibus verba facit. In cochlearum penuria anus illinendus vino nigro auſtero in quo decocta fuerint folia oleæ, myrti, malicorium, roſæ, aut cortices cydoniorum,aut ſimile aliquid. Repulſus per ſpongiam anus, & cochlea perunctus ſi non facile reponatur,alligatis manibus hominem ſuſpendi iubet per pedes, vt caput deorſum ſpectet, ſic enim intro protruditur, & in locum ſuum reuertitur. Cornarius ἀνώσας quod legitur initio huius ſententiæ non vertit, & videtur legiſſe αἰονήσας vertit enim,fomento adhibito. Vidius etiam εἴσεισιν non exprimit. Si verò anus ſemel repoſitus excidat iterum, nec intus maneat vinculum admouet ex duabus faſcijs, quarum altera ilibus ſubtenditur & zonæ modo cingitur, altera huic medię aſſuitur, & per lumbos recta procedit ad anum, vbi continet ſpongiam expreſſam, quæ anum introrſum impulſum coerceat, ne amplius procidat, ſpongiam autem madefacit aqua calida, in qua decocta fuerint loti ramenta, Lotus autem facultatis eſt aſtringentis & deſiccantis, vt dictum eſt commentario in ſententiam 27. libri de vulneiibus vbi λωτοῦ τορνεύματα vocat, quæ nunc πρίσματα. eadem aqua anum ipſum perfundit, vt ſemel repoſitus non prolabatur & excidat. At quoniam prolapſionem ani mouet egerendi conatus, ſuadet

vt ſuper aſſeribus quam maxime anguſtis deſidat, vt ſic anus conſtringatur, qui in loco latè patente liberè dilatatur, & facilius excidit, foraſque prodit. Si puer ſit, qui exitu ani laborat, pedibus mulieris inſidens, & dorſo genibus eius adhærens, aluum exoneret: quoties autem deſurgere volet, crura extendat, vt anus conſtringatur, qui relaxari ſolet inflexis aut diductis cruribus.

Ἢν δὲ ὑγραίνηται ὁ ἀρχὸς, καὶ ἰχὼρ ἀποῤῥέῃ, περινίψαι τρυγὶ κεκαυμένῃ καὶ ὕδατι ἀπὸ μυρσίνης, καὶ ἀδίαντον ξηρήνας καὶ κόψας, διασήσας, καταπάσσε. ἢν δὲ αἱμοῤῥοῇ, περινίψας τοῖσι αὐτοῖσι, χαλκῖτιν καὶ πρίσμα κυπαρίσσου, ἢ κέδρου ἢ πίτυος, ἢ τερμίνθου τρίψας, συμμίξας τῇ χαλκίτιδι ἴσον, καταπλάσσειν. τὰ ἔξωθεν δὲ κηρωτῇ παχείῃ περιαλείφειν.

SI humidus eſt anus, & defluat ſanies, ſubluendus eſt fece vini combuſta, & aqua cum myrto incocta, & adiantum ſiccum contritum ac cribro tranſmiſſum inſpergito. Si verò ſanguis profluat, iiſdem eſt ſubluendus, tum chalcitidem, & ramenta cupreſſi, vel cedri, vel pini, vel terebinthi contrita, & paribus portionibus miſta imponito. Partes externas cerato craſſiore perungito.

CVm anus procidit, considerari debet, purúmne id sit quod prouolutum est, an humore mucoso circumdatum. Si purum est, curatione præcedenti vtendum, si verò humidus sit anus & saniem fundat, abluenda recti intestini pars prolapsa ex decocto astringente & siccante, cuiusmodi est decoctum myrti ex aqua cum fece vini combusta, myrti autem semen sumi potest aut folium, vtrumque enim astringit & desiccat, fex vini combusta astringit etiam sicc átque, vis ei præterea supra modum vrens, quæ corrigitur & frangitur decocto aquæ, ablui etiā potest anus procidens vino nigro austero, in quo decocta sint folia oleæ, rosæ aut malicorium. Sordes etiam ano inhærens detergenda est hydromelite, aqua marina, aut muria, vrina etiam ipsius ægri calens adhuc superfusa adiuuat, post lotionem & fotum, adiantum siccum, contritū & cribro excussum inspergit, adiantum autem siccat & discutit, vel huius loco, malicorij, balaustiorum, gallarum, antimonij, coralli pares portiones tritas & cribratas inspergito. Si verò anus sanguinem fundat acri illo & salso humore venarum ora aperiente, eadem decoctione subluendus est, tum imponenda chalcitis contrita, cum pari portione ramentorum cupressi, vel cedri, vel pini, vel terebinthi ad sistendum sanguinem. Chalcitis enim calefacit & leuiter erodit, crustásque vlceribus inducit, cupressus refrigerat & astringit, Dioscoridi, siccat verò sine insigni acrimonia & caliditate, Galeno. Cedrus autem calidi est siccíque temperamenti, pinus

astringit, terebinthus etiam astrictionis aliquid habet, & præterea calefacit & desiccat. Laudat Paulus hunc puluerem inspersum, ex pini corticis, mannæ, lithargyri, singulorum drachmis octo, cupressi orbiculorũ siccorum, molybdænę singulorum drachmis duabus, hoc autem admouet, abluta prius sede vino austero. Exteriores partes cerato crassiore perungit, ad partem siccandam & dolorem leniendum. Crassius autem ceratum est, quod picem habet, & Hippocrati passim κηρωτὴ πισσηρὰ, hîc παχεῖα dicitur. Conuenit inter omnes ceratum hoc lenire dolorem, vt ait Galen. commentario in sententiam tertiam libri tertij de fracturis. Pix etiam arida, quæ huic cerato adijcitur, plus desiccat quàm calefacit. Sic Aetius sedem procidentem vino abluit, & picem aridam tritam inspergit, & Scribonius Largus intestinum extremum prolapsum pice liquida perungit.

Ὁκόταν ἀρχὸς ἐκπίπτῃ, καὶ μὴ θέλῃ κατὰ χώρην μένειν, σίλφιον ὅτι ἄριστον καὶ πυκνότατον ξύσας λεπτὸν καταπλάσσειν, καὶ τοῦ πταρμικοῦ φαρμάκου πρὸς τὴν ῥῖνα προσθεῖναι, καὶ παροξύνειν τὸν ἄνθρωπον. ἢ ὕδατι θερμῷ περιπλύνας, σίδια καὶ στυπτηρίην τρίψας ἐν οἴνῳ λευκῷ, καταχέαι τοῦ ἀρχοῦ. ἔπειτα ῥάκεα ἐμβαλεῖν, καὶ τοὺς μηροὺς ξυνδῆσαι ἡμέρας τρεῖς, καὶ νηστευέτω, οἶνον δὲ πινέτω γλυκύν. ἢν δὲ μηδὲ οὕτω διαχωρέῃ, μέλτον μίξας ὁμοῦ μέλιτι διαχρίέτω.

QVùm anus prolabitur, neque suo in loco remanere potest, laserpitium, quàm optimum ac densissimum in tenues partes contritum imponito, & medicamentum sternutatorium naribus admoueto, hominémque ad ciendũ sternutamentum incitato. Vel vbi aqua calida ablueris, malicorium & alumen in vino albo terito, anúmque perfundito, tùm linteolum superinijcito cruribus inter se per triduum deuinctis. Inediam sustineat, vtatur vino dulci. Si verò neque sic retrocedat, minium cum melle misceto, & inungito.

ANi procidentis remedia proposuit, quibus si in suo loco retineri nequeat, alia nunc describit præsidia ad anum reponendum & in sua sede continendum: prodest laserpitium optimum & densissimum in tenues partes contritum cataplasmatis modo impositum. Laserpitium autem siue Silphium planta nũc nobis ignota, strenuè calefacit, siue sumatur radix, caulis, aut folium, liquor autem qui laser vocatur, calidissimus est, Galeno libro octauo de simpliciũ facultatibus: poterit eius loco, pice liquida perungi anus, vt ex Scribonij sententia paulo ante dictum est. Medicamentum autem sternutatorium naribus admouet, hominémque ad sternutamentum commouet, vt hoc violentiore

motu pituita intestino adhærens expellatur, quo modo sternutatio à singultu liberat, euacuata ea humiditate, quæ ventriculo continebatur aphoris. 13. libri septimi. Quomodo etiam mulieri difficulter parienti superueniens sternutatio prodest, quia fætum excutit, aphor. 35. libri quinti. Sternutatorium autem medicamentum calidum & acre sit oportet, vt facultatem cerebri expultricem irritet, eiusmodi facultatem habent piper, zinziber, pyrethrum, sinapi, castorium, euphorbium, elleborus albus & similia. Vbi rectum intestinum quod prolabitur, & nequit suo loco consistere, fuerit purum, aqua calida subluendum est, deinde perfundendum decocto aliquo siccante multum & astringente, cuiusmodi est vinum album in quo alumen & malicorium prius contrita, inferbuerint, tum panno adhibito retinet intus repositum intestinum ne procidat, & femora per tres dies inter se deuincit, diductis enim cruribus facilè relaxatur. Inediam imperat, ne humorum copia rursus intestini prolapsionem excitet, vinum dulce concedit, vt humorem peccantem nempe pituitam corrigat. Si ne sic quidem regrediatur & in suum locum se recipiat anus, minium cum melle miscet & inungit, quæ compositio, vim habet exsiccantem & ἐμπλαστικὴν, quasi inducendo obstruentem & astringentem, eiusmodi enim facultatis est μίλτος siue minium. Cæterum hîc minium Sinopicum intelligere oportet, μίλτον σινωπικὴν vocat Dioscorides libro quinto. Rubrica autem Sinopica dicitur, quia

primùm in ponto inuenta est, & à Sinope vrbe nomen habet: cuius vsus in medicina est contra vlcera potissimum in humore sita, veluti oris & sedis, aluum etiam sistit & fœminarum profluuia. Rubricæ Lemniæ palmam dabant quidam, minio proximam, hæc est multum antiquis celebrata, ~~cum~~ insula in qua nascitur, nec nisi signata venumdabatur, vnde & sphragidem appellauere, ait Plinius libri 35. capite sexto. Galenus scribit terram Lemniam vocari à quibusdam μίλτον λημνίαν, libro nono de simplicium facultatibus. Vitruuius Rubricam Lemniam, aut minium Lemnium dicit. Matthiolus suspicatur vulgarem bolum Armenium esse rubricam Sinopicam. Licebit itaque loco huius minij, assumere vel terram Lemniam vel bolum Armenium. Mel autem admiscetur, vt tenaci & viscidó suo lentore puluerem minij intestino faciat adhærere, non vt aluum deijciat, quod putat Vidius, qui etiam διαχωρέειν ad alui deiectionem referri putat.

Ἀρχὸς ἢν ἐκπίπτῃ καὶ αἱμοῤῥοῇ, ἀπὸ ῥίζης περιελὼν τὸν φλοιὸν, ἑψεῖν ἐν ὕδατι, ἔπειτα τρίβειν ἄλητον ξυμμίσγων, καὶ καταπλάσσειν θερμόν. Ἄλλο τῆς ἀμπέλου τῆς ἀγρίης, ἣν ἔνιοι καλοῦσι ψιλώθειον, τούτης τὰς ῥίζας τὰς ἀπαλωτάτας περιξέσαντα, ἑψῆσαι ἐν οἴνῳ μέλανι ἀκρήτῳ αὐστηρῷ, ἔπειτα τρίψαντα καταπλάσσειν χλιηρόν. ξυμμίσγειν δὲ καὶ ἄλευρα, καὶ φυρῆν ἐν οἴνῳ λευκῷ, καὶ ἐλαίῳ χλιηρῶς. ἄλλο. κωνείου καρπὸν

τρίβοντα. παραστάζειν οἶνον λευκὸν εὐώδεα, ἔπειτα καταπλάσσειν χλιηρόν.

SI anus procidat & ſanguinem fundat, Ari radicis corticem detractum in aqua coquito, deinde contritum farina commiſta, calidum imponito. Aliud vitis ſylueſtris, quam nonnulli pſilothriō vocant, radices quàm tenerrimas conciſas in vino nigro meraco auſtero coquito, deinde cōtritas tepidè imponito. miſcere autem & farinam oportet, & in vino albo ac oleo ſubigere tepidè. Aliud. Cicutæ ſemen vino albo odorato inſtillato contritum tepidum imponito.

AD ani exitum, & ſanguinis ex eo fluxum tria præſidia proponit. Primum eſt cortex radicis Ari in aqua coctus, deinde contritus, & admiſta farina, more cataplaſmatis impoſitus tepide. Hoc enim pituitam prolapſionis cauſam deterget, ſiccat & calefacit, Arum enim terrena ſubſtantia conſtans & calida. Vim extergendi habet eſtque in ſiccando & calefaciendo primi ordinis, Galeno libro ſexto de ſimplicium facultatibus: præterea ſanguinem ſiſtit ob admiſtam farinam, quę medicamentum reddit glutinoſum, & amplaſticam facultatem com-



municat. Secundum remedium eiuſdem etiam eſt facultatis, vitis enim ſylueſtris radices tenerrimæ conciſæ & ex vino coctæ humorem pituitoſum expurgant, ideoque hydropicis dantur. Dioſcoridi libro 4. farina in vino albo & oleo ſubacta & permiſta ſanguinem ſiſtit. Vidius hîc videtur legiſſe ἀμπέλου λευκῆς, vertit enim Bryoniæ albæ & Galenus ipſe libro ſexto de medicamentorum facultatibus confirmare videtur hanc lectionem, nam ἄμπελον λευκὴν vocari broyniã & ψίλωθρον dicit, vt etiam Dioſcorides, cuius quoque ſententiæ eſt Plinius, qui libri 23. capite primo, vitem albam, à Græcis appellari ampeloleucen, ab aliis pſilothrum ſcribit. Galenus & Paulus non videntur aliud intellexiſſe per ἄμπελον ἀγρίαν, quam vitem ſylueſtrem ſatiuæ & cultæ congenerem, quam labruſcam Latini vocant. Significat tamen ἄμπελος ἀγρία & herbam palmites longos ex ſe mittentem lignoſos, aſperos, rimoſo cortice, folia autem hortenſi ſolano ſimilia, ſed latiora, longioráque, & fructum exiguis vuis ſimilem, à quo vitis nomen accepit, eius radici vis calida & acris eſt, vt ad vſum pſilothri veniat, vnde eam à nonnullis vocari ψιλώθριον dicit Hippocrates, quamuis Dioſcorides, Galenus, Paulus ψίλωθρον nominent, & Plinius etiam pſilothrum de vite ſylueſtri, vide Dioſcoridem libro quarto. ψίλωθρον autem proprie eſt medicamentum pilos demens & extirpans, quod vim erodentem aut exurẽtem habet, eorum quæ pilos demunt materiam copioſè declarat Galenus libro primo κτ͂ τόπους.

Tertium remedium ad sanguinem fluentem sistendum est efficax. Cicutam extremè frigidam esse norunt omnes, eius semini contrito vis refrigeratoria tāta est, vt sanguinem spissando enecet, vini autem albi odorati quod instillatur excalfactoria natura, Cicutæ frigiditatem temperat. Sic etiam per nares sanguini fluenti Cicutæ semen tritum ex aqua, inditúmque efficax habetur, Plinio libri. 29. cap. 13.

Ἢν δὲ φλεγμαίνῃ, κισσοῦ ῥίζαν ἑψήσας ἐν ὕδατι τρίψας λεῖον, ἄλευρον ξυμμίσγων ὡς κάλλιστον ἐν οἴνῳ λευκῷ φυρήσας, καταπλάσσειν, καὶ ἄλειφα πρὸς τούτοις ξυμμίξας ἄλλο μανδραγόρου ῥίζαν μάλιστα μὲν χλωρὴν, εἰ δὲ μὴ ξηρὴν, τὴν μὲν οὖν χλωρὴν ἀποπλύναντα καὶ ταμόντα, ἑψῆσαι ἐν οἴνῳ κεκρημένῳ, καὶ καταπλάσσειν τὴν δέ γε ξηρὴν τρίψαντα, καταπλάσσειν ὁμοίως ἄλλο σικύου πέπονος τὸ ἔνδον τρίψας λεῖον καταπλάσσειν.

SI vero tentatur inflammatione, hederæ radicem in aqua coctam, & bene contritam cum farina optima ex vino albo subacta, & permisto pingui aliquo imponito. Aliud. Mandragoræ radicem potissimum viridem, vel certè aridam, viridem quidem lotam & concisam ex vino diluto coctam imponito, aridam



vero contritam, similiter imponito. Aliud. Cucumeris maturi pars interior diligenter contrita imponatur.

TRia remedia proponit, quibus ani inflammatio curatur. Primum est cataplasma ex radice hederæ in aqua coctæ, cui contritæ miscetur farina optima ex vino albo subacta, adiecto oleo vel adipe. Hedera enim habet aliquid astingentis facultatis, quæ terrena & frigida est, Galeno libro 7. de simplicium medicamentorum facultatibus. Et Plinio libri 24. capite 10. omnia genera heredæ refrigerant. Farina etiam tritici inflammationem discutit, Dioscoridi. Hîc autem per farinam optimam, farinam tritici intelligit. Hesychius enim scribit ἄλευρα· κυείως, τὰ τῶ σίτου, ἄλφιτα δὲ τὰ τῶν κριθῶν. ἄλευρον propriè significare farinam tritici, ἄλφιτον verò farinam hordei: admiscet his ἄλειφα, oleum vel adipem. Galenus enim in exegesi ἄλειφα exponit ἔλαιον, ἢ στέαρ. Hesychius ἀλείφατι, ἐλαίῳ, & ἀλεῖψαι, ἐλαίῳ χρίσαι explicat. Hippocrates etiam ipse libro quarto de morbis, ἄλειφα sæpius sumit pro oleo, cum loquitur de lecytho coriacea oris angusti oleo impleta. Et libro primo de morbis muliebribus, ἄλειφα ῥόδινον, oleum rosaceum vocat, cum proponit medicamenta subdititia, quæ vocat προσθέτα, acria, sanguinem ducentia. Secundum inflãmationis ani remedium fit ex radice mandragoræ ex vino diluto cocta: mandragora verò vincentem habet facultatem refrigeratoriam, vt

tertij sit ordinis refrigerantium, radicis verò cortex cum sit valentissimus, non tantum refrigerat, sed etiam desiccat, & idcirco radice mandragoræ vtitur, quia phlegmones curatio etiam per siccantia perficitur: vtitur autem radice mandragoræ vel viridi, vel sicca, & viridem quidem abluit & incidit, tum ex vino diluto coquit, siccam vero conterit, & similiter incoquit & imponit. Siccatur autem radix mandragoræ, cum cortex detractus, linóque traiectus ad vsum suspenditur, Dioscoridi, siccatur etiam in aëre, vt cucumis, primóque super mustum suspenditur, mox in fumo, dein tunditur in vino aut aceto, Plinio libro 26. capite vndecimo. Tertium remedium fit ex interiore parte cucumeris maturi quæ diligente contusa & ano imposita inflammationem sedat. Cucumis enim refrigerat, superátque in eo frigida & humida intemperies, non tamen magnopere, sed quasi in secundo cẽsetur ordine, Galeno libro octauo de simplicium facultatibus. σίκυος aut σίκυον aut σίκυς, cucumis siue cucumer nomen est multis fructibus commune: est enim σίκυος ἥμερος, ἢ ἐδώδιμος, cucumis satiuus aut esculentus, est etiam σίκυος ἄγριος, cucumis syluestris, Plinio anguinus & erraticus, libri 20. capite 2. asininus vulgo, è cuius fructu maturo, inclinante æstate succus leuiter expressus siccatúsque dicitur ἐλατήριον. Rursus cucumis satiuus, vel est maturus vel immaturus, & maturus hic σίκυος πέπων Hippocrati dicitur, immaturus verò σίκυος ὠμὸς, cucumis crudus, sic enim Hippocrati libro secundo de diæta σίκυοι ὠμοὶ, οἱ



δὲ πέπονες dicuntur. Plinio tamen, cucumeres cum magnitudine excessere pepones vocantur libri 19. cap. 5.

Ἢν δὲ γένηται ὀδύνη, καὶ μὴ φλεγμαίνῃ, λίτρον ὀπτήσας ἐρυθρὸν, καὶ τρίψας λεῖον, καὶ στυπτηρίην, καὶ ἅλας φώξας, καὶ τρίψας λείους, συμμίξαι ἴσον ἑκάστου, εἶτα πίσσῃ συμμίξας ὡς βελτίστῃ ἐς ῥάκος ἐναλείψας, ἐντιθέναι καὶ καταδεῖν ἄλλο. Καππάρεος φύλλα χλωρὰ τρίψας ἐς μαρσίππιον ἐμβαλὼν προσκαταδεῖν, καὶ ἐπὴν καίειν δοκέῃ ἀφαιρέειν καὶ αὖθις προστιθέναι· ἢν δὲ μὴ ᾖ φύλλα καππάρεος, τὸν φλοιὸν τῆς ῥίζης κόψας, φυρήσας ἐν οἴνῳ μέλανι τὸν αὐτὸν τρόπον καταδεῖν· τοῦτο καὶ πρὸς σπληνῶν ὀδύνην ἀγαθόν.

SI vero dolor adsit, nec inflammatione tentetur anus, nitrum rubrũ vstum contritúmqne, alumen etiam ac salem retorridum diligentérque tritum pari portione misceto, deinde addita pice quam optima, linteóque illita imponito ac deligato. Aliud. Capparis folia viridia contrita, sacculo conclusa super-deligato, cúmque vrere videbuntur, remoueto, & iterum imponito. Si verò folia Capparis non affuerint, radicis corticem contusum, vinóque ni-

gro subactum eodem modo deligato. Hoc etiam ad lienis dolorem valet.

DOloris ani citra inflammationem remedia proponit, pituita enim acris & salsa intestino adhęrens dolorem excitat, cui conferunt ea, quæ pituitam extenuare, liquare, diluere & detergere possunt, cuiusmodi est medicamentum ex nitro, alumine & sale combustis & tritis, & cum pice permistis, nitrum enim digerit, desiccat & extenuat, Galeno libro nono de simplicium medicamentorum facultatibus, Plinio, nitri natura non multum à sale distat, cuius naturam medicos ignorasse dicit, multóque magis nos hodie, ad quos iamdiu conuehi desijt. Sal eandem fere vim habet, quam nitrum: alumen quamuis astrictionem habeat vehemẽtem, vim etiam possidet expurgandi & extenuandi, Dioscoridi libro quinto. Hæc autem omnia contrita excipiuntur pice, quæ calefaciendi, desiccandi, abstergendi, digerendíque facultatem obtinet. Aliud etiam remedium quod fit ex capparis folijs viridibus contritis, vel ex cortice radicis capparis contuso & vino nigro subacto, ani dolorem mitigare potest, & pituitam doloris causam expurgare. Capparis autem Galeno libro septimo de simplicium facultatibus, varias habet facultates, radicis enim cortex vincentem habet qualitatem amaram, proximam, acrem, deinde acerbam, ex quo liquet diuersis & pugnantibus constare facultati-

bus, quippe abstergere, purgare, incidere potest amaritudine: calefacere, incidere, digerere acrimonia: contrahere, densare constringere acerbitate. Radicis cortici fructus virium proportione respondet, folia & caules eius, similem vim obtinent. Porrò Capparis quæ in admodum feruentibus regionibus prouenit, vt quam fert Arabia, multò est nostrate acrior, adeò vt plurimùm etiam habeat facultatis adurentis, & idcirco suadet Hippocrates, vt cum vrere videbitur, remoueatur & iterum imponatur. Addit in fine, ad lienis etiam dolorem valere Capparis corticem, quod Galenus etiam confirmat ibidem, dum ait, Lienes etiam induratos si quid aliud hoc medicamentum iuuat, tum foris idoneis remedijs admistum, tum intrò in corpus assumptum, quippe cùm apertè crassos lentósque humores euacuet, per vrinas & per aluum. Plinio etiam libri 20. capite 15. Spleniticis prodest in vino potus radicis Capparis cortex duabus drachmis, ferúntque triginta quinque diebus per vrinam & aluum totum lienem emitti.

Τούτων τῶν καταπλασμάτων, τὰ μὲν ψύχοντα, κωλύει ῥεῖν, τὰ δὲ μαλθάσσοντα καὶ θερμαίνοντα, διαχεῖν: τὰ δὲ εἰς ἑωυτὰ ἕλκοντα, ξηραίνειν, καὶ ἰσχναίνειν. τοῦτο δὲ τὸ νόσημα γίνεται, ὅταν χολὴ καὶ φλέγμα ἐς τοὺς τόπους κατασκήψῃ. ἀρχοῦ δὲ φλεγμήναντος διαχρίειν τῷ φαρμάκῳ, ὅπη ἡ ῥητίνη καὶ τὸ ἔλαιον, καὶ ὁ κηρὸς, καὶ ἡ μολύβδαινα,

καὶ τὸ στέαρ. ὡς θερμότατον διεῤῥήθησαν καταπλάττεσθαι.

EX his cataplaſmatis quæ refrigerant, fluxum prohibent: quæ verò molliunt & calefaciunt, reſoluunt: quæ ad ſe trahunt, ſiccant & extenuant. Naſcitur autem hic morbus, cum bilis & pituita ad ſedem decubuerit. Anum autem inflammatum inungere oportet medicamento, quod reſinam & oleum & ceram & plumbaginem atque adipem recipiat. Hoc autem calidum & liquefactum imponere oportet.

COntra ani inflammationem, exitum, ſanguinis fluxum, humoris copiam & dolorem varia præſcripſit hactenus remedia, quorum vires & facultates nunc aperit. Cataplaſmata igitur refrigerantia quæ propoſuit, vim habent repellendi & reprimendi, & in altum humores occurrentes reijciendi, ſicque fluxionem prohibent, eiuſmodi eſt quod fit ex cicutæ ſemine contrito, vino albo odorato affuſo, & quod ex radice mandragoræ componitur, & quod cucumeris maturi partem interiorem recipit. Cataplaſmata autem emollientia & calefacientia vim habent digerendi, diſcutiendi, reſoluendi, & humorẽ qui in aliqua corporis parte continetu per inſenſibiles cutis meatus educendi & euaporandi, eiuſmodi eſt cataplaſma ex ſemine lin

fricto & contrito, adiecta farina, quæ vino nigro atque oleo excipitur. Cataplasmata attrahentia siue ἑλκτικά, calida cum sint & tenuis substantiæ, humores tum serosos, tum crassiusculos, spiritusque ex alto corpore in summa transferunt, sic dissipando siccant & extenuant. Cuiusmodi est quod componitur ex nitro, sale, alumine, torrefactis & contritis, addita pice: & quod fit ex cortice radicis Capparis contuso, & in vino nigro subacto, & cataplasma ex allijs in vino nigro diluto coctis, & multa alia. Rationem deinde reddit, cur cataplasmata refrigerantia, emollentia, calefacientia & attrahentia præscripserit, quia nempe morbus hic, cuius curationem tradit a bile & pituita crassa nascatur. Bili enim calidæ conueniunt refrigerantia, pituitæ autem calefacientia, crassities verò humorum emollientia & attrahentia requirit. Morbum autem hunc ait nasci ex bile & pituita, quem paulò ante accidere dixit, cum pituita ex corpore ad anũ decumbit, sed pituita crassa, salsa & putrescens bilis acrimoniam acquirit, dumque incenditur, inflammationem, dolorem, prolapsionem, cæteráque symptomata excitat, quæ à bile cum pituita iuncta possent excitari. In fine proponit remedium, vbi anus inflammatur cum dolore. Separatim enim inflammationis & doloris auxilia descripsit, nunc autem pharmacum inflammationi doloríque conueniens subijcit. Cum autem anus subtili & exquisito sensu præditus sit, acrimoniam ferre non potest, itaque dolenti & inflammato ano conueniunt ea remedia, quæ sine morsu inflammationem leuant & dolorem

leniunt, cuiusmodi est pharmacũ, quod resinam, oleum, ceram, adipem & plumbaginem recipiet: resina quidem desiccat sine morsu, oleum verò salis expers moderatè calidũ leniendi vim habet, cera quodammodo medium tenet calefacientium, refrigerantium, humectantium & desiccantium, estque cera medicamentorum refrigerantium & calefacientium materia, Galeno, libro 7. de simplic. facultat. Molybdæna siue plumbago moderatissimè desiccat, & à media temperie ad frigidum paulum quid recedit, liquatur autem celerrimè, vbi oleo additum nonnihil aceti est. Adeps denique omnis quæ tenuitate substantiæ sit prædita, dolorem lenit atque demulcet, humorúmque acrimoniam obtundit. Videtur autem Hippocrates adipem calidiorem hîc poscere, in græcis enim exemplaribus τὸ στέαρ ὡς θερμότατον, legitur sine vlla distinctionis nota, sicque vertit Cornarius quasi coniunctum, & adipes omnes ex calidioribus animalibus, & quæ vetustate acriores & calidiores euaserunt, tenuioris sunt substãtiæ, & attenuandi facultate magis insignes. Illud tamen ὡς θερμότατον, iungendum sequentibus, vt iunxit vidius. Sic enim Hippocrates ipse sententia decima tertia huius libri καταπλάσσειν θερμὸν dixit imponere calidum, & bis καταπλάσσειν χλιαρὸν, imponere tepidum, & paulò ante sententia octaua, καταπλάσσειν ὡς θερμοτάτῳ, imponere calidissimè.

FINIS.

ΙΠΠΟΚΡΑ'ΤΟΥΣ ΠΕΡΙ' ΤΩ͂Ν ἘΝ ΚΕΦΑΛΗ͂Ι ΤΡΩΜΑ'ΤΩΝ.

HIPPOCRATIS de Vulneribus. Capitis.

Præfatio in librum Hippocratis περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων.

HIPPOCRATES *copiosè persequitur quæ ad ossium vitia & morbos pertinent libris de fracturis & articulis. Quoniam verò offensiones quæ in ossa capitis incidunt, propriam animaduersionem desiderant, aliamque omnino ac diuersam curandi rationem postulant, de his hunc integrum composuit libellum, in quo omnia præscribit, quæ ad capitis* τρώματα *offensionésque pertinent, quæque in his sunt agenda, in fine sexti libri methodi therapeuticæ: nec defuerunt qui hunc librum coronidem librorum de fracturis vocarunt. Initio autem huius libelli, humani capitis constitutio siue figura proponi-*

tur quadruplex, oßiúmque capitis natura & qualitas deſcribitur. Secundò loco προγνωσις fracturarum cranij demonſtratur. Tertiò fracturarum quinque ſpecies recenſentur, certáque ſigna & indicia violatæ caluariæ proponuntur. Harum omnium offenſionum curatio poſtremo loco continetur. Hic liber citra omnem controuerſiam Hippocraticus eſt, inſcribitur autem περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων, de vulneribus aut offenſionibus capitis. Iones enim πάσας τὰς βλάβας nominant τρώματα, commentario in ſententiam. 15. libri ſecundi de articulis: præterea ex Galeno commentario quinto in librum ſextum ἐπιδημ. Sententia duodecima. τρώματα ὀνομάζει Ἱπποκράτης τὰς μεγάλας βλάβας, ἔκ τινος τῶν ἔξωθεν γινομένας, εἰ καὶ χωρὶς τραύματος. τρώματα vocat Hippocrates magnas noxas & offenſas ab aliquo extrinſeco etiam ſine vulnere illatas. Ipſe tamen Hippocrates ſententia 33. libri tertij de fracturis, τρώματα videtur appellare vulnera, quæ fracturis iunguntur, qua etiam ſignificatione τρώματος nomen hic vſurpat, agit enim hoc libro de vulneribus capitis quæ Caluarium offendunt.



ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΠΕΡΙ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων.

ΩΝ ἀνθρώπων αἱ κεφαλαὶ οὐδὲν ὁμοίως σφίσιν αὐταῖς.

Hippocratis de Vulneribus Capitis.

HOminum capita non ſunt inter ſe ſimilia.

ARtis medicæ partem diagnoſticam prius cognoſcere conuenit, quam therapeuticam, ſi modo medicinam rectè velis exercere. Itaque ſolet Hippocrates antequam morborum curandorum rationem tradat, partium in quibus hærent morbi, naturam explicare. Cùm ergò curationem τρωμάτων capitis ſit traditurus, capitis naturam proponit potiſſimum in ſimilitudine, in ſitu ſuturarum, in oſſium mollitie, duritie, cauitate, denſitate, raritate, æqualitate, inæqualite. Et primùm de ſimi-

litudine differens, ait hominum capita non esse inter se similia. Quæ dissimilitudo & varietas non in auribus, oculis, naribus, non in capillis aut caluitio, non in colore, non denique in faciei lineamentis spectanda est, sed potissimum in suturis & ossibus. Causa autem similitudinis aut dissimilitudinis capitum referenda est ad facultatis formatricis robur, aut imbecillitatem, ad materiæ copiam aut penuriam, bonitatem aut vitium, vt docet Galenus in microtechne.

Οὐδὲ αἱ ῥαφαὶ τῆς κεφαλῆς πάντων κατὰ ταὐτὰ πεφύκασιν.

NEc singulorum capitis suturæ eodem modo sunt sitæ.

SVturarum neque certus numerus est, sicut ne locus quidem. Celso libri octaui capite primo: Est autem sutura Synarthroseos species quæ definitur, compositio quædam ad consutarum rerum similitudinem facta. Sunt verò in humano capite suturæ quinque, coronalis, recta, lambdoides, & iuxta aures duæ λεπιδοειδεῖς, id est squamosæ. Suturarum vtilitates quatuor proponit Galenus libro nono de vsu partium, vt per eas pateat exitus fuliginosis excrementis, vt crassa meninx ossi capitis alligetur, vt pericranion generetur, vt si quando percussum craniū ruptum fuerit, ne per totum rupturæ eius progrediantur. Rarò verò caluaria solida sine suturis est, locis tamen æstuosis facilius inuenitur, &

id caput firmissimum, atque à dolore tutissimũ est, ex cæteris quo suturæ pauciores sunt, eò capitis valetudo commodior est, ait Celsus libri octaui capite primò. Hippocrati tamen libro de locis in homine, ὑγιεινότεροι εἰσὶ τὴν κεφαλὴν, οἱ τὰς πλέονας ῥαφὰς ἔχοντες, meliori capitis sanitate fruuntur, qui plures habent suturas. Sed Hippocrates iniurias internas considerat, Celsus externas caput lædentes.

Ἀλλ' ὅστις μὲν ἔχει ἐκ τοῦ ἔμπροσθεν τῆς κεφαλῆς προβολὴν, ἡ δὲ προβολή ἐστι, τὸ τοῦ ὀστέου ἐξέχον στρογγύλον παρὰ τὸ ἄλλο, τούτου εἰσὶν αἱ ῥαφαὶ πεφυκυῖαι ἐν τῇ κεφαλῇ, ὡς γράμμα τὸ ταῦ Τ, γράφεται. τὴν μὲν γὰρ βραχυτέρην γραμμὴν ἔχει περὶ τῆς προβολῆς ἐπικαρσίην πεφυκυῖαν. τὴν δ' ἑτέρην γραμμὴν ἔχει διὰ μέσης τῆς κεφαλῆς κατὰ μῆκος ἐς τὸν τράχηλον αἰεί. ὅστις δ' ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς τὴν προβολὴν ἔχει, αἱ ῥαφαὶ τούτου πεφύκασιν τἀναντία ἢ τῷ προτέρῳ. ἡ μὲν γὰρ βραχυτέρη γραμμὴ, περὶ τῆς προβολῆς πέφυκεν ἐπικαρσίη. ἡ δὲ μακροτέρη, διὰ μέσης τῆς κεφαλῆς πέφυκεν κατὰ μῆκος ἐς τὸ μέτωπον ἀεί. ὅστις δὲ καὶ ἀμφοτέρωθεν τῆς κεφαλῆς προβολὴν ἔχει, ἔκ τε τοῦ ἔμπροσθεν καὶ τοῦ ὄπισθεν, τούτῳ αἱ ῥαφαὶ εἰσὶν ὁμοίως πεφυκυῖαι ὡς γράμμα τὸ ἦτα, Η. γράφεται. πεφύκασι δὲ τῶν γραμμῶν αἱ μὲν μακραὶ περὶ τῆς προβολῆς ἑκατέρης ἐπικάρσιοι πεφυκυῖαι, ἡ δὲ βραχείη διὰ μέσης τῆς κεφαλῆς

κατὰ μῆκος πρὸς ἑκατέρην τελευτῶσα τὴν μακρὴν γραμμήν. ὅτῳ δὲ μηδ᾽ ἑτέρωθι μηδεμίαν προβολὴν ἔχει, οὗτος ἔχει τὰς ῥαφὰς τῆς κεφαλῆς ὡς γράμμα τὸ χῖ, Χ γράφεται. πεφύκασι δὲ αἱ γραμμαὶ, ἡ μὲν ἑτέρη, ἐπικαρσίη πρὸς τὸν κρόταφον ἀφικοῦσα, ἡ δὲ ἑτέρη, κατὰ μῆκος διὰ μέσης τῆς κεφαλῆς.

SEd quisquis in anteriore capitis parte eminentiam obtinet, est autem eminentia, id ossis quod præ alio rotundum supereminet, huius in capite suturæ sunt, qualis litera T. depingitur: habet enim breuiorem lineam sitam tranuersam in eminentia, alteram verò lineam habet productam per medium caput in longum ad ceruicem vsque. Cui veró in posteriore parte capitis eminentia existit, huic suturę cõtrario modò sitę sunt, atque priori, nam breuior linea ad eminentiam fertur transuersa, longior verò per mediũ caput ad frontem vsque semper procedit. Quicúmque verò vtráque capitis parte antica nempè & postica eminentiam habet, huic suturæ eo modô collocatæ sunt, quo H. Litera formari solet. Longiores enim lineæ in vtráque eminentia transuersæ sunt, breuior verò

per medium caput in longum ducta, ad vtrámque longiorem lineam terminatur. Quicúmque verò neutra capitis parte prominentiam habet, hic ſane ſuturas capitis habet, quemadmodum litera X pingitur, atque huic lineæ ſic ſunt collocatæ, vt altera per tempus tranſuerſa tendat, altera verò per medium caput in longum.

PRo capitis figura, ſuturarum numerus & locus variat, ait Galenus libello de oſſibus. Hippocrates autem quatuor humani capitis figuras deſcribit, quarum duæ primæ ſunt præter naturam, in vna enim nulla eſt prominentia occipitij, túncque remanent duæ ſuturæ, coronalis & recta, perit autem lambdoides: in altera verò nulla eſt circa frontem proiectura, túncque remanent duæ ſuturæ, lambdoides & recta, perit autem coronalis, & hæ duę figuræ ſuturis ſuis referunt litteram T. Tertia figura naturalis eſt, propria enim & naturalis capitis figura ſimilis eſt ſphæræ rotundæ. Sed quæ manibus ſit vtrínque paulatim depreſſa, habet enim anteriorem & poſteriorem partem prominentem, & vtrúmque latus leuiter depreſſum, & in hac forma & conſtitutione capitis remanent tres ſuturæ, coronalis recta & lambdoides, fitque trium ſuturarum figura ſimilis literæ H. Quarta capitis figura eſt, cùm vtráque prominentia deperditur, quæ naturali eſt contraria, túncque ſuturæ ſimiles ſunt literæ X. eſtque caput verè rotundum

& sphæricum. Poteſt etiam cogitari quinta capitis figura, ſi caput ad vtrámque aurem fieret prominentius, quàm in fronte & occipitio, in qua longitudo naturalis capitis in latitudinem eſſet tranſmutata, ſed forma capitis eiuſmodi fieri non poteſt, ob eamque cauſam Hippocrates quatuor omnino figuras, & cuiúſque ſuturas aſtruxit, nuſquam in ſuis commentariis quintæ capitis figuræ mentionem faciens, ait Galenus lib. 9. de vſu partium cap. 17.

Δίπλοον δ' ἐστὶ τὸ ὀστέον κατὰ μέσην τὴν κεφαλὴν, σκληρότατον δὲ καὶ πυκνότατον αὐτοῦ πέφυκεν τὸ ἀνώτατον, ἡ ὁμοχρόιη τοῦ ὀστέου ὑπὸ τῇ σαρκὶ, καὶ τὸ κατώτατον τὸ πρὸς τῇ μήνιγγι ἡ ὁμοχρόιη τοῦ ὀστέου ἡ κάτω: ἀποχωρέον δὲ ἀπὸ τοῦ ἀνωτάτου ὀστέου καὶ τοῦ κατωτάτου, ἀπὸ τῶν σκληροτάτων καὶ πυκνοτάτων ἐπὶ τὸ μαλθακώτερον καὶ ἧσσον πυκνὸν καὶ ἐπικοιλότερον ἐς τὴν διπλόην: ἡ δὲ διπλόη κοιλότατον καὶ μαλθακώτατον καὶ μάλιστα σηραγγῶδές ἐστιν: ἔστι δὲ καὶ πᾶν τὸ ὀστέον τῆς κεφαλῆς πλὴν κάρτα ὀλίγου τοῦ τε ἀνωτάτου καὶ κατωτάτου, σπόγγῳ ὅμοιον: καὶ ἔχει τὸ ὀστέον ἐν ἑωυτῷ ὅμοια σαρκία πολλὰ καὶ ὑγρὰ, καὶ εἴ τις αὐτὰ διατρίβοι τοῖσι δακτύλοισιν, αἷμα ἂν διαγίνοιτο ἐξ αὐτῶν: ἔνι δ' ἐν τῷ ὀστέῳ καὶ φλέβια λεπτότερα καὶ κοιλότερα αἵματος πλέα: σκληρότητι μὲν νῦν καὶ μαλθακότητι καὶ κοιλότητι ὧδε ἔχει.

DVplex autem est os in medio capite, eiusque durissimum ac densissimum est supremum, & infimum ad meningem, æquale vero & læue foris sub carne, & intus ad cerebri membranam. Quod verò recedit à supremo & infimo, à durissimis & densissimis ad mollius, id minus densum est, & magis cauum ad diploem: est eutem diploe maxime caua, mollissima maximéque cauernosa: vniuersumque capitis os spongijs est assimile, excepta summa superficie & ima, habetque os intra se similes multas caruncu1as & humidas, quas si quis digitis attriuerit, ex ipsis sanguis exprimitur. Sunt autem venulæ tenues & cauæ in ipso osse sanguinis plenæ. Atque in duritie mollitie ac cauitate sic se habet.

NAturam ossium capitis ostendit, quæ dissimilibus partibus constant in densitate, duritie mollitie, raritate, cauitate læuitate & asperitate. Cũ os in medio capite duplex dicit, caluariam duplicem denotat, & duabus squamis constare, cuius vtraque superficies læuis est, dura ac densa, interior vero pars mollis, rara & caua est, inter quam discurrunt venæ, quæ ossi alimentum subministrant. Quidam ad vtrumque os bregmatis siue fincipitis referre malunt, quoniam inter ossa capitis hoc præcipue duabus cõ-

ſtat ſquamis ſiue laminis, ad contactum tamen temporalium ſolidum eſt, & ad os frontis tenuius, quam ad os occipitis. Non ſolum autem vtrumque os ſincipitis duplex eſt, ſed omnia prope cranij oſſa, potiſſimumque os frontis, hoc enim os in ſuprema oculorum regione, quam totam conſtituit, tenuiſſimum, tamen duabus ſquamis coagmentatum, ad ſupercilia & nares cauum, aëre plenum, ad concurſum obelææ ſuturæ cum coronali molliſſimum & rariſſimum, ſeu totius corporis infumibulum, vt etiam pueris mandentibus & reſpirantibus diu mobile appareat, vt proxima bregmatum portio concretu tardiſſima. Sunt vero bregmati oſſa rara & cauernoſa, quia maxima vaporum vis ex toto corpore ſurſum ad illa fertur vt quæ loco celſiſſimo ſint cõſtituta ab eamq; cauſam multiplicem ipſis vacuationem per ea natura cõparauit, circa finẽ vndecimi libri de vſu partium. Cur verò craniũ, & potiſſimum os ſuperius factũ ſit cauernoſum, cum ſuturæ propter ipſarum multitudinem & magnitudinem, nihil alieno auxilio ad tranſpirationem indigeant, docet Galenus ſecundo capite libri noni de vſu partium, ſi enim denſum ac tenue capitis os ſuperius natura feciſſet, vulnera capitis ad cerebrum facile penetrarẽt propter viæ breuitatem, ſi vero denſum ac craſſum oneri animali fuiſſet, itaque reliquum adhuc erat tertiũ, vt craſſum & rarum & cauernoſum eſſet. Hunc locum Hippocratis ſic expreſſit Celſus libri octaui capite primo, Caluaria vtrinque læuis eſt, & qua cerebri mẽbranã contegit, & qua cute capillum gignente contegitur, eaque ſimplex ab

occipitio & temporibus, duplex vsque in verticē à fronte est, ossaque eius ab exterioribus dura ab interioribus, quibus inter se connectuntur, molliora sunt, interque ea venæ discurrunt, quas his alimentum subministrare credibile est. Hic locus Celsi demonstrat nihil esse irreptitium, illudque ἡ ὁμοχροίη τοῦ ὀστέου ὑπὸ τῇ σαρκὶ, & ἡ ὁμοχροίη τοῦ ὀστέου ἡ κάτω, non esse delendum, cùm ipse ad verbum interpretetur. Galenus hanc vtramque ὁμοχροίην vocat libro non de vsu partium λείαν κρανίου τὴν ἑκατέρωθεν ἐπιφάνειαν, leuem vtrinque cranij superficiem. Nullum etiam glossema additum animaduertet is, qui sciet Hippocratem hoc libro, vt & libris de fracturis, plena & copiosa explicandi ratione vti κατὰ διέξοδον, vt docet Galenus commentario primo in librum primum de fracturis, cùm ea docendi ratio ad perspicuitatem sit maximè accommodata.

Παχύτητι δὲ καὶ λεπτότητι οὕτως συμπάσης τῆς κεφαλῆς τὸ ὀστέον λεπτότατόν ἐστιν, καὶ ἀσθενέστατον τὸ κατὰ βρέγμα, καὶ σάρκα ὀλιγίστην καὶ λεπτοτάτην ἔχει ἐφ' ἑωυτῷ ταύτῃ τῆς κεφαλῆς τὸ ὀστέον, καὶ ὁ ἐγκέφαλος κατὰ τοῦτο τῆς κεφαλῆς πλεῖστος ὕπεστι: καὶ διότι οὕτω ταῦτα ἔχει, τῶν τε τρωσίων καὶ τῶν βελέων ἴσων τε ἐόντων κατὰ μέγεθος καὶ ἐλασσόνων, καὶ ὁμοίως τε τρωθεὶς καὶ ἧσσον, τὸ ὀστέον ταύτῃ τῆς κεφαλῆς φλᾶταί τε μᾶλλον καὶ ῥήγνυται, καὶ ἔσω ἐσφλᾶται, καὶ θανασιμώτερά ἐστιν, καὶ χαλεπώτερα ἰητρεύεσθαί τε καὶ ἐκφυγγάνειν τὸν θάνατον ταύτῃ ἢ πού ἄλλοθι τῆς

κεφαλῆς, ἐξίσων τε ἐόντων τρωμάτων, καὶ ὁμοίως τε τρωθεὶς καὶ ἧσσον ἀποθνήσκει ἄνθρωπος ὅταν καὶ ἄλλως μέλλη ἀποθανεῖσθαι ἐκ τοῦ τρώματος, ἐν ἐλάσσονι χρόνω ὁ ταύτη ἔχων τὸ τρῶμα τῆς κεφαλῆς ἢ πού ἄλλοθι: ὁ γὰρ ἐγκέφαλος τάχιστά τε καὶ μάλιστα κατὰ τὸ βρέγμα αἰσθάνεται τῶν κακῶν τῶν γινομένων ἔν τε τῆ σαρκὶ καὶ τῷ ὀστέω: ὑπὸ λεπτοτάτω γὰρ ὀστέω ἐπὶ ταύτη ὁ ἐγκέφαλος καὶ ὀλίγη σαρκί: καὶ ὁ πλεῖστος ἐγκέφαλος ὑπὸ τῷ βρέγματι κεῖται.

IN crassitie & tenuitate sic. Vniuersæ caluariæ tenuissimum & infirmissimum est os sincipitis, carnéque paucissima & tenuissima contectum, hacque capitis parte plurimùm subest cerebrum proptereáque cùm hæc ita se habeant, si vulnera & tela paria sint siue minora, tùm siquis similiter læsus sit aut minus, os hac capitis parte magis colliditur & finditur & effringitur, suntque funestiora, & ad curandum, & ad mortis periculũ euitandum difficiliora vulnera hîc, quàm alia qualibet capitis parte. Si quis enim similiter percussus sit, aut minus, ex æqualibus offensionibus moritur homo, cùm alioquin ex vulnere sit moriturus, breuiore tempore, qui hac capitis

parte vulnus accepit, quàm aliâ qualibet. Nam cerebrum iuxta sinciput celerrimè & maximè sentit ea mala, quæ cùm in carne, fiunt tum in osse. Continetur enim cerebrum hac parte, sub osse tenuissimo, modicáque carne, plurimúmque cerebrum sub sincipite latet.

OSsa bregmatis cur rara & cauernosa sint iam diximus, tenuissima verò & infirmissima non frustra natura machinata est, cùm enim capiti desuper incumbant, cùmque duris & densis ossibus vndique circumdata sint, lapsibus, plagis aut alijs offensionibus externis non admodum erant obnoxia, neque enim facilè quis in verticem ceciderit, aut ea parte vulnus prompte acceperit, reliqua vero ossa tum occipitis tum frontis, tùm etiam aurium vulnera sæpe numero erant exceptura, & lapsibus frequenter offendenda, ideóque dura & densa extiterunt 19. capite libri vndecimi de vsu partium. Non immerito autem dicit Hippocrates sub ossibus bregmatis copiosum latere cerebrum, nam cerebellum occipitis osse concluditur, Cerebrum autem cerebello decuplo fere maius, sub ossibus bregmatis & osse frontis totū cōtinetur. Homo autē plurimum habet cerebri proportione magnitudinis, Aristoteli lib ro primo de historia animalium, nec immerito, cum plurimarum facultatum sit sedes. Cæterum illud, καὶ ὁμοίως τὸ

τρωθεὶς

τρωθεὶς καὶ ἴσσον, bis hic repetitum, priore loco videtur σολοικοφανὲς εἶναι τὸ σχῆμα τοῦ λόγου, & loquendi forma solœcismi suspicione non carens, est tamen Ionismus Hippocrati familiaris, apud quem rectus cassus absolutè ponitur, vt in hoc libro sæpius, & aphorismo 56. libri 7. & sæpe apud Homerum vt ἰλιάδ. γ. ἄμφω δ' ἑζομένω, pro ἄμφοιν δ' ἑζομένοιν.

Τῶν δὲ ἄλλων τὸ κατὰ τοὺς κροτάφους ἀσθενέστατον ἐστιν: συμβολή τε γὰρ τῆς κάτω γνάθου πρὸς τὸ κρανίον, καὶ κίνησίς ἐστιν ἐν τῷ κροτάφῳ ἄνω καὶ κάτω ὥσπερ ἄρθρου: καὶ ἡ ἀκοὴ πλησίον γίνεται αὐτέου, καὶ φλὲψ διὰ τοῦ κροτάφου τέταται κοίλη τε καὶ ἰσχυρή.

RELiquorum vero ossium infirmissimum illud est quòd secundum tēpora iacet. Connexio enim maxillæ inferioris cum cranio, nec non motus sursum ac deorsum tanquam articuli fit in ipsis temporibus, meatus etiam auditorius in vicino est positus, tum etiam vena caua robustáque per vtrúmque tempus protenditur.

OS temporale quandóque totum os, quod ad aures est, significat, aliquando eius partem, vt hoc loco. Hoc enim os, vt ait Galenus libello de ossibus πολυειδὲς & multi-forme est,

continet enim tres partes, vna λιθοειδὴς vocatur quæ inferior eſt præruptæ rupi & duritie & imagine ſimilis, in qua eſt apophyſis ςυλοειδὴς, & ea quæ meatum auditorium continet. Altera eius pars eſt propè ecphyſim μαςοειδῆ, & eam quæ zygomatis portionem conſtituit, tertia pars eſt ſecundum tempora, verſus oſſa bregmatis, quã poſtremam partem hîc Hippocrates infirmiſſimam dicit, cuius debilitatis triplex ponitur cauſſa, prima connexio genæ inferioris cum cranio, maxillæ enim pars quæ ſurſum ad caput vergit, in duos fines terminatur, quorum acutus tendonem à temporali muſculo deſcendentem recipit, alter vero rotundus in cauitatem oſſis capitis γληνοειδῆ recipitur per ἀρθρωδίαν, ſub meatu auditorio ad zygomatis radicem. Celſus libri 8. capite primo, hanc connexionem ſic exprimit, maxillæ partes extremæ, quaſi bicornes ſunt. Alter proceſſus intra latior, vertice ipſo tenuatur, longiúſque procedens ſub eſſe iugali ſubit, & ſuper id temporum muſculis illigatur. Alter breuior & rotundior, & in eo ſinu qui iuxta foramina auris eſt, cardinis modo fit, ibíque huc & illuc ſe inclinans facultatem motus præſtat. Secunda infirmitatis oſſis temporalis cauſa eſt meatus auditorius in vicino poſitus, vbi animaduerte Hippocratem hanc oſſis partem à temporali diſtinguere. Tertia imbecillitatis cauſa eſt, non ſola carotis arteria, ſed etiam vena iugularis externa, & duo rami neruorum à 5. & 6. coniugatione.

Ἰσχυρότερον δ' ἐστὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ ὀστέου παντὸς τὸ ὀστέον τῆς κορυφῆς καὶ τῶν οὐάτων, ἢ πᾶν τὸ πρόσθεν, καὶ σάρκα πλέονα καὶ βαθυτέρην ἐφ' ἑωυτῷ ἔχει τοῦτο τὸ ὀστέον.

EX omnibus caluariæ ossibus robustius est os verticis & aurium, quã omne quod in anteriorem partem spectat; carnémque copiosiorem & profũdiorem in se continet hoc ipsum os.

PEr os verticis & aurium intellige os occipitis quod terminatur lambdoide sutura, quæ à vertice incipiens ad basim vsque capitis protenditur, per mediũque lapidosorum ossiũ & diarthroseos, qua caput primo spondylo ad nectitur deorsum fertur, eáque, vt ait Celsus li.8.cap.1. ad aures per verticem tendens, occipitium à summo capite diducit, huncque Hippocratis locum sic vertit ibidem Celsus, crassissimum in capite os post aurem est. Itaque fallitur Fallopius, qui putat Hippocratem hic abuti nomine κορυφῆς, & per verticem non intelligere superiorem capitis partem, sed posteriorem, quæ in brutis vere vertex est. Hoc autem loco, os verticis & aurium, est illud os, quod est inter verticem & aures. Est vero occipitium robustius osse temporali & sincipite, quia crassius, & pleniore carne, cutéque crassiore contegitur.

Καὶ δὴ τούτων οὕτως ἐχόντων, ὑπό τε τῶν τρωσίων καὶ τῶν βελέων ἴσων ἁπάντων καὶ ὁμοίων καὶ μειζόνων καὶ μειόνων ὁμοίως τιτρωσκόμενος, καὶ μᾶλλον, ταύτῃ τῆς κεφαλῆς τὸ ὀστέον ἧσσον ῥήγνυται καὶ φλᾶται καὶ ἢν μέλλῃ ἄνθρωπος ἀποθνήσκειν καὶ ἄλλως ἐκ τοῦ τρώματος, ἐν τῷ ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ἔχων τὸ τρῶμα, ἐν πλέονι χρόνῳ ἀποθανεῖται: ἐν πλέονι γὰρ χρόνῳ τὸ ὀστέον ἐμπυΐσκεταί τε καὶ διαπυΐσκεται κάτω ἐπὶ τὸν ἐγκέφαλον, διὰ τὴν παχύτητα τοῦ ὀστέου: καὶ ἐλάσσων ταύτῃ τῆς κεφαλῆς ὁ ἐγκέφαλος ὕπεστι καὶ πλέονες ἐκφυγγάνουσιν τὸν θάνατον τῶν ὄπισθεν τιτρωσκομένων τῆς κεφαλῆς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἢ τῶν ἔμπροσθεν.

QVæ cùm ita ſe habeant, ſi quis ſimiliter ſauciatus ſit aut magis ab offenſionibus & telis paribus omnibus & ſimilibus, maioribus & minoribus, hac capitis parte os minus finditur & colliditur, ſique ſit alioquin homo ex hoc vulnere moriturus, qui parte capitis poſtica vulnus accepit, tardius morietur, in longiore enim tempore os ſuppurat, púſque transfundit deorſum ad cerebrum, propter oſſis craſſitudinem, paucúmque hac capitis parte ſubeſt cerebrum: ac

plures ex ijs qui parte capitis postica vulnerantur plerúmque mortem effugiunt quam ex his qui in antica.

IN omnibus quæ ad medicinam pertinent, quod secundum naturam est, medicus sibi tanquam scopum proponere debet, quod qui non facit, nec morbos cognoscere, nec prædicere, nec illos recte curare potest. Itaque Hippocratis capitis humani naturali constitutione proposita, ossiumque cranij natura declarata, qualis sit πρόγνωσις tromatum capitis demonstrat. Docet autem primum magis lethalia esse vulnera in aulica caluariæ parte, quàm in postica, quod occipitis os sit crassissimum, nec facile suppuret, quodque sub occipitio paucum subsit cerebrum. Quomodo autem os fiat puculentum postea docebit Hippocrates. Cæterum tela dicuntur paria quæ sunt eiusdem magnitudinis aut grauitatis, similia, quæ sunt eiusdem formæ aut figuræ, vt acuta obtusa, rotunda, plana.

Καὶ ἐν χειμῶνι πλέονα χρόνον ζῇ ἄνθρωπος ἢ ἐν θέρει, ὅστις καὶ ἄλλως μέλλει ἀποθανεῖσθαι ἐκ τοῦ τρώματος, ὁπουοῦν τῆς κεφαλῆς ἔχων τὸ τρῶμα.

HOmo alioquin ex vulnere moriturus diutius vitam producet Hyeme, quam æstate, quacúmque tandem capitis parte vulnus acceperit.

Hyeme minus perniciosa & funesta dicit capitis vulnera, quā æstate, quoniam Hyeme calidum natiuum copiosius est & robustius in capite, & cauitatibus omnibus nostri coporis, per aphorismum 15. lib. 1. ventres Hyeme natura calidissimi. Cur autem Hyeme intensior sit calor naturalis, docet Galenus ex Aristotele: propter enim externum frigus refugit & vires colligit vt externo frigori resistat, contrà æstate calor naturalis ad calorem externum sibi fere similem & affinem protenditur, sicque dissoluitur & dissipatur natiui caloris substantia æstate, quę continetur, cohibetur & augetur Hyeme. Vel etiam capitis tromata sunt æstate magis lethalia, quam Hyeme, quòd æstas putredinis & corruptionis sit effectrix causa, quæ vulnera reddit funesta, putrescit enim vnumquodque ab externo calore, vt natiuo concoquitur. Cùm vero æstate calor natiuus per raram solutamque carnem foras euadat, externus tunc prævalet calor humoresque interni difficilius coquuntur, ex quo fit, vt quæuis æstate putredinem sentiant, per Hyemem vero quia calor ille natiuus ac domesticus dominatur, huic tempus hoc minime creare putredinem potest problemate 33. sectionis 3. Arist.

Huic prognostico aduersari videntur, quæ scribuntur aphorismo 18. lib. 5. frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali, medullæ, calidum vero amicum, & aphor. 20. eiusdem libri frigidū vlceribus mordax, & aphor. 22. ibidem. Calidum ossium fracturis plurimum conferre, sed nudis præcipue, maximeque eorum

qui in capite vlcera habent. Sed dic Hippocratem his aphorismis intelligere aquam calidam vel frigidam, vt constat ex commentario aphorismi 24. ibidem. Non posse vero referri ad constitutionem temporis calidam & frigidam docet sententia libri de vulneribus Hippocratis, Plerisque vlceribus tempus calidius commodius est Hyeme, exceptis his quæ in capite sunt ac ventre.

Sumuntur prognostica non solùm ex anni partibus, sed etiam ex regionibus, vt Burdigalæ vlcera capitis facile & cito curantur: crurum & tibiarum difficilius ac serius, quod contra euenit Tolosæ. Nonne quod Burdigala locus est palustris, corporáque impura sunt, & humoribus crassis & terrestribus repleta. Omne autem graue & terrestre tendit deorsum, ergo vlcera superiora concoctioni sunt opportuniora, quoniam humor ad ima delabitur, inferiora autem multis excrementis redundant, & putredini magis patent. Vide problema 18. lib. 1. & problema 6. lib. 14. Aristot. Tolosæ contra cum Auster sit familiaris & frequens, capita hominum excrementis scatent, & grauantur. Est enim νότος κεφαλαλγικός aphorismo 5. lib. 3. Hinc fit vt tibiarum vlcera non magno negotio curentur, capitis vero tromata difficilem curationem habeant.

Fractura Caluariæ in plenilunio verenda est, ait Guido, cuius rei rationem reddit Alexander Aphrodisieus problemate 64. lib. 1. Quoniam aër orbe lunæ completo calidus reddi solet & humidus, quæ quidem qualitates putredinem contrahunt, ita enim natura sancitum est, vt si

calor & humor modice adsint, concoctionem efficiant, sin humor paulo exuperet calorem, putredinem moueat, si nimium, extinctionem committeret, si calor valde humorem vincit, deustionem adduci necesse esset. Vel in plenilunio symptomata superueniunt perniciosa: quia luna tunc omnem auget humiditatem in æstu maris, in ostreis, in medullis ossium, & in cerebro. Nam vt scriptum est in epistola, quæ Hippocrati ad Mæcenatem falso tribuitur, ipsum mare per lunam augere & minui scitis: cerebra etiam hominum augentur crescente Luna, cùm autem diminuitur Luna, vnaquæque res diminutionem sentit.

Αἱ δὲ ἕδραι τῶν βελέων τῶν ὀξέων καὶ κουφοτέρων, αὗται ἐπὶ σφῶν αὐτῶν γινόμεναι ἐν τῷ ὀστέῳ ἄνευ ῥωγμῆς τὲ καὶ φλάσιος, καὶ ἔσω ἐσφλάσιος, αὗται δὲ γίνονται ὁμοίως ἔν τε τῷ ἔμπροσθεν τῆς κεφαλῆς, καὶ ἐν τῷ ὄπισθεν ἐκ τουτέων θάνατος οὐ γίνεται κατά γε δίκην, οὐδὲ ἢν γένηται.

SEdes vero telorum acutorum & leuium per se existunt in osse sine fissura, collisione & effractura, ipsæque similiter fiunt in parte capitis anteriore atque posteriore. Ex his mors æquè non euenit, etiamsi alioquin eueniat.

PRognoſtica etiam deſumuntur ex differentiis vulnerum, ſic quamuis ſedes ſiue teli veſtigium in partem anteriorem & poſteriorem capitis, ſine fiſſura, contuſione aut effractura cadere poſſit, cùm omnium oſſium capitis æqualis ſit in ſuperficie externa durities, tamẽ propter totius oſſis craſſitudinem maiorem aut minorem difficilius alia finduntur, colliduntur aut effringuntur, vnde non eſt æquum & conſentaneum, vt ſedes in omnibus oſſibus ſit æqualiter funeſta neque per ſe neque ex euentu. Cum alia oſſa magis reſiſtant in aliis partibus, minúſque findantur, collidantur aut effringantur, plurimúmque aut minimum habeant ſubiectum cerebrum. Cùm ergo ſedes ſimplex facta à telo acuto & leui fuerit in parte anteriore & poſteriore capitis, ſimilis & æqualis, ſi perniciosa & lethalis ſit, maturius mortem afferet in anteriore parte, ſerius in poſteriore. Hæc autem apertiſſimè dicuntur; nec video quid monſtri lateat in hac lectione, quam idcirco integram retinendam cenſui illud tamen, τὰ νεῦρα ἀγμῆς, quod in exemplari Aldino legitur delendum putaui, & retinui quod in Parienſi ſcribitur, ἄνευ ῥωγμῆς.

Ῥαφὴ δὲ ἐν ἕλκει φανεῖσα ὀστέου ψιλωθέντος, πανταχοῦ τῆς κεφαλῆς τοῦ ἕλκεος γενομένου, ἀσθενέστατον γίνεται τῇ τρώσει καὶ τῷ βέλει ἀντέχειν, ει τύχοι τὸ βέλος ἐς αὐτὴν τὴν ῥαφὴν στηριχθὲν πάντων δὲ μάλιστα ἢν τὸ βέλος ἐν τῷ βρέγματι γινόμενον κατὰ τὸ ἀσθενέστατον τῆς

κεφαλῆς, καὶ αἱ ῥαφαὶ εἰ τύχοιεν οὖσαι περὶ τὸ ἕλκος, καὶ τὸ βέλος αὐτέων τύχοι τῶν ῥαφῶν.

SVtura vero in vulnere si appareat osse nudato, quacúmque tandem capitis parte vulnus fuerit, infirmissima est ad resistendum ictui & telo, si contigerit telum ipsum hærere in suturam, maximè verò si telum in sincipite sit, iuxta infirmissimam capitis partem, sintque circa vulnus suturę, aut suturas ipsas telum attigerit.

VVlnera capitis quæ suturis impacta sunt, perniciosa esse solent, quoniam suturæ infirmæ sunt ad resistendum, & potissimum suturæ bregmatis. Hoc autem verum esse obseruauit Hippocrates. 5. epidemiorum in historia Autonomi qui ex capitis vulnere mortuus est die decima sexta, in media æstate lapide ex manu ictus, in suturas in medio sincipite, quare non animaduerti, inquit Hippocrates, eum sectione indigere, deceperunt enim me suturæ habentes in seipsis iaculi læsionem, postea enim conspicuum id fiebat. Primum quidem ad claiculam, postea ad latus dolor vehemens valde, & conuulsio ad ambas manus venit. In medio enim capitis ac sincipitis vulnus habebat. Sectus est autem die decima quinta, & pus prodiit non multum, membrana vero cerebri ἀσαπὴς & minime putrefacta apparebat. Hanc erroris con-

fessionem in Hippocrate laudat Celsus lib. 8. cap. 4. à suturis se deceptum esse Hippocrates memoriæ prodidit, more scilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentiū. Nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt: magno ingenio, multaque nihilominus habituro, conuenit etiam simplex veri erroris confessio, præcipuéque in eo ministerio, quod vtilitatis caussa posteris traditur, neque decipiantur eadem ratione, quâ quis ante deceptus est. Sic Hippocrates ἁμαρτήματα sua faciebat aliorum μαρθήματα.

Τιτρώσκεται δὲ ὀστέον τὸ ἐν κεφαλῇ τοσούσδε τρόπους. τῶν δὲ τρόπων ἑκάστου πλέονες ἰδέαι γίνονται τοῦ κατήγματος ἐν τῇ τρώσει. ὀστέον ῥήγνυται τιτρωσκόμενον, καὶ τῷ περιέχοντι ὀστέῳ τὴν ῥωγμὴν ἀνάγκη φλάσιν προσγενέσθαι, ἤνπερ ῥαγῇ. τῶν γὰρ βελέων ὅτι περ ῥήγνυσι τὸ ὀστέον, τὸ αὐτὸ τοῦτο καὶ φλᾷ τὸ ὀστέον ἢ μᾶλλον ἢ ἧσσον, αὐτό τε ἐν ᾧπερ καὶ ῥήγνυσι τὴν ῥωγμήν. εἷς οὗτος τρόπος. ἰδέαι δὲ ῥωγμέων παντοῖαι γίνονται. καὶ γὰρ λεπτότεραί τε καὶ λεπταὶ πάνυ, ὥστε οὐ καταφανέες γίνονται, οὔτε αὐτίκα μετὰ τὴν τρῶσιν, οὔτ᾽ ἐν τῇσιν ἡμέρῃσιν, ἐν ᾗσιν ἂν καὶ πόνων ὄφελος γένοιτο τοῦ θανάτου τῷ ἀνθρώπῳ. αἱ δ᾽ αὖ παχύτεραί τε καὶ εὐρύτεραι γίνονται τῶν ῥωγμέων. ἔνιαι δὲ καὶ πάνυ εὐρέαι. καὶ αἱ μὲν ἐπὶ μακρότερον ῥήγνυνται. αἱ δὲ ἐπὶ βραχύτερον. καὶ αἱ μὲν, ἰθύτεραι, αἱ δὲ ἰθεῖαι τε καὶ πάνυ, αἱ δὲ καμπυλώτεραί τε καὶ πάνυ καμ-

πύλαι, καὶ βαθύτεραι, αἱ δὲ εἰς τὸ κάτω, καὶ διὰ παντὸς τοῦ ὀστέου.

SAuciatur os capitis tot modis: horum autem modorum plures sunt ideæ fracturarum in vulnere. Os sauciatũ finditur, atque ossi fissuram continenti, necesse est contusionem accedere, siquidem fissum sit. Quodcúmque enim telum os findit, Idem ipsum contundit os magis aut minùs, ipsum videlicet in quo fissuram facit. Atque hic vnus est modus. Variæ autem fissurarum ideę, quædam enim sunt tenuiores, & ita omnino tenues, vt non sint aspectabiles, neque statim post ictum, neque ijs diebus quibus contra mortem, laborum auxilium homini posset afferri. Aliæ rursum fissuræ crassiores sunt & latiores, nonnullæ etiam latissimæ, & aliæ longiores, aliæ breuiores sunt: quædam rectiores, quædam rectissimæ, quædam magis curuę, quædam omnino inflexæ, quædam sunt profundiores, quædam ad imum feruntur & per totum os.

TErtia est huius libri pars de generibus fracturarum caluariæ, quæ cum facilis sit, nõ longa videtur egere explicatione. Hippocrates

autem enumerat quinque species fracturarum, ῥωγμὴν, rimam: siue fissuram, φλάσιν, contusionem, ἔσφλασιν. effracturam, ἕδραν, sedem siue teli vestigium. ἀπήχημα siue ἀπήχημα. quasi resonitum, vel ab Echo responsionem. Galenus 6. methodi medendi, capite vltimo constituit tantum tres, ῥωγμὴν θλάσιν, ἕδραν, fissuram, contusionem & sedem. Paulus lib. 6. cap. 90. recenset fracturæ capitis quinque species, ῥωγμὴν. fissuram, ἐκκοπὴν excisionem, ἐγγίσωμα, quòd à Galeno lib. 6. methodi dicitur ἐγγείσωμα, corporum appropinquationem, ἐκπίεσμα effractionem, & καμάρωσιν, siue vt ait Galenus, καμάρωμα camerationẽ aut testitudinationẽ. θλάσιν verò & ἀπήχημα nõ admittit inter caluariæ fracturas. Galenus simplicium fracturarum tantum meminit. Hippocrates perspicuitatis causa addit ἔσφλασιν ἢ ἀπήχημα. Paulus verò ideas & singulares species enumerat. Idem tamen Galenus libro de definitionibus medicis octo differentias fracturarum capitis recẽset, nempe ῥωγμὴν, ἐκκοπὴν, ἐγγείσωμα, ἐκπίεσμα καμάρωσιν, ἀποσκεπάρνισμον, θλάσμα, ἀπήχημα, quarum omnium definitiones ibidem proponuntur: ῥωγμὴ verò prima capitis fracturæ differentia definitur à Paulo diuisio caluariæ superficialis aut profunda, in qua os læsum nequaquam foras emouetur. Cuius hic plures proponuntur ideæ, omnes tamen sine nomine, vna Paulo ῥωγμὴ τειχοειδὴς id est rima capillaris dicitur, quæ arctissima est, sensum plerúmque fallens, eóque latens, quæ quia non facilè se ostendit, mortis causam sæpè affert.

Φλασθείη δ' ἂν τὸ ὀστέον ἐν τῇ ἑωυτοῦ φύσει, καὶ ῥωγμὴ τῇ φλάσει οὐκ ἂν προσγένοιτο τῷ ὀστέῳ οὐδεμία. δεύτερος οὗτος. ἰδέαι δὲ τῆς φλάσιος πλείους γίνονται. καὶ γὰρ μᾶλλόν τε καὶ ἧσσον φλᾶται, καὶ ἐς βαθύτερόν τε καὶ διὰ παντὸς τοῦ ὀστέου, καὶ ἧσσον ἐς βαθὺ, καὶ μὴ διὰ παντὸς τοῦ ὀστέου, καὶ ἐπὶ πλέον τε καὶ ἔλασσον, μήκεός τε καὶ πλατύτητος. ἀλλὰ τουτέων τῶν ἰδεῶν οὐδεμία ἐστὶν ἰδόντι τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν γνῶναι, ὁποίη τίς ἐστι τὴν ἰδέην, καὶ ὁπόση τὸ μέγεθος. οὐδὲ γὰρ εἰ πέφλασται. ἐόντων πεφλασμένων καὶ τοῦ κακοῦ γεγενημένου, γίνεται τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι καταφανὲς ἰδεῖν αὐτίκα μετὰ τὴν τρῶσιν, ὥσπερ οὐδὲ τῶν ῥωγμέων ἔνιαι ἑκὰς ἐοῦσαι καὶ ἐρρωγότος τοῦ ὀστέου.

Contundi poteſt os in ſua natura, nulláque fiſſura contuſioni adiungetur in oſſe. Atque hic eſt ſecundus fracturæ modus. Ideæ verò contuſionis plures ſunt, etenim magis ac minns contunditur os, eſtque profundior contuſio & per totum os, aut minus profunda nec per totum os, aut magis minúsue in longum & latum protenditur. Sed earum idearum nulla oculorum ſenſu percipi poteſt, qualis ſit forma aut quanta magnitudine: neque enim ſiquid contuſum

est, statim ab ictu sub oculos cadit quod contusum est, nec etiam noxa in osse contracta, quemadmodum nec fissuræ quæ ab osse saucio procul absunt.

SEcunda fracturæ capitis species contusio est, θλάσις siue θλάσμα Galeno, Hippocrati verò iuxta Ionum linguam φλάσις siue φλάσμα, per φ, quod ab alijs per θ dicitur: est autem hoc nomen, etiam commune solutioni musculorum & carnis: θλάσις enim siue θλάσμα dicitur soluta in carne & musculo continuitas, cùm graue & durum aliquid decidit in corpus, quod carnem abrumpit & atterit: θλάσις autem hoc loco est ossis caluariæ in interiorem partem impulsio & inflexio, veluti in plumbeis & æneis vasis videre licet, si foris illidantur. Paulus autem lib. 6. capite 90. contusionem negat esse fracturam aut cranij diuisionem, cùm in ea sit tantum ossis cõcauitas, integra caluariæ continuitate. Huius contusionis plures sunt differẽtiæ, nam aliæ sunt maiores, aliæ minores, aliæ longiores, aliæ latiores, duæ verò sunt differentiæ maximè obseruandæ, vel enim os per totum contunditur, vt membrana cerebri à Caluaria penitus abscedat, vel omnino ab eadem Caluaria prematur, aut os ipsum non per totum contunditur, sed iuxta exteriorem duntaxat superficiẽ vsque ad diploem. Contusiones autem cadunt potissimum in ossa puerorum, quæ tenuia sunt & cerea: oportet enim in se cogi quod contunditur, sicque molle esse debet, nec omnino durum: possunt etiam

cadere in ossa bregmatis, propter diploem, quã antea maximè cauam, mollissimam & fistulosam nominauit. Statim verò post ictum, oculis non deprehenditur quod contusum est, nec vitium etiam in osse contractum, sed paucis post diebus immutato colore & charactere ossis collisi, & putrefacta carne, qua os vestitur. Fissuræ etiam quæ procul absunt ab osse saucio, sub oculos nõ cadunt, potissimum illæ quæ consistunt in alia ossis parte, quam quæ vulnus accepit.

Ἐσφλᾶται τὸ ὀστέον ἐκ τῆς φύσιος τῆς ἑωυτοῦ ἔσω σὺν ῥωγμῆσιν. ἄλλως γὰρ οὐκ ἂν ἐσφλασθείη. τὸ γὰρ ἐσφλώμενον, ἀπορρηγνύμενόν τε καὶ καταγνύμενον, ἐσφλᾶται ἔσω ἀπὸ τοῦ ἄλλου ὀστέου μένοντος ἐν τῇ φύσει τῇ ἑωυτοῦ. καὶ δὴ οὕτω ῥωγμὴ ἂν προσείη τῇ ἐσφλάσει. τρίτος οὗτος τρόπος. ἐσφλῆται δὲ τὸ ὀστέον πολλὰς ἰδέας. καὶ γὰρ ἐπιπλέον τοῦ ὀστέου καὶ ἐπ' ἔλασσον, καὶ μᾶλλον τε καὶ ἐς βαθύτερον κάτω, καὶ ἧσσον τε καὶ ἐπιπολαιότερον.

Effringitur autem os, & è naturali suo loco intro cedit cum fissuris, alioquin non effringeretur. Quicquid enim effringitur, abruptum & fractum intrò cedit euulsum ab alio osse, quod in suo statu naturali manet: sicque fissura effracturæ adiungitur: & hæc est tertia fracturarum differentia. Effracturæ verò plu-

plures sunt ideæ. Nam aut maior pars ossis, aut minor effringitur, magísque & profundiùs deorsum, aut minùs versus superficiem.

EFfractura, ἔϕλασις tertia est species fracturæ cranij, quæ componitur ex contusione & fissurâ. Continet autem sub se ἐγγείσωμα corporum appropinquationem, καμάρωσιν quasi camerationem, & ἐκπίεσμα effractionem, quæ sunt diuersæ fracturæ species apud Paulum: est verò ἐγγείσωμα, vt ait Paulus, ossis diuisio, in qua os læsum ex loco naturali deorsum ad membranam descendit, & sic dicitur ἀπὸ τοῦ ἐγγὺς id est, propè, quod os fractum ad subiectam membranam appropinquet. Καμάρωσις verò est cranij diuisio cũ ossis affecti exaltatione, & sic nominatur, quod cameræ modo fractum os exurgat. Galenus sic distinguit ἐγγείσωμα & καμάρωσιν, in fine sexti libri methodi medendi, vt ἐγγείσωμα sit fractura, quæ in medio sui, membranæ innitatur. καμάρωσις verò eandem partem exaltatam habeat. Errat Vidius qui putat καμάρωσιν esse fracturam, in qua pars fracta ad interna recedat, & postea attollatur. Scribit enim eò commentario, quo recenset fracturarum species, euenire interdum, vt fractum os quod deorsum compellitur, simul cum telo reuertatur, attollatúrque ἐκπίεσμα, est fractura Caluariç πολυμερὴς & in multa fragmenta, in qua profundius fracta ossicula descendunt, & membranam cerebri comprimunt.

Καὶ ἕδρης γενομένης ἐν τῷ ὀστέῳ βέλεος προσγένοιτο ἂν ῥωγμὴ τῇ ἕδρῃ, τῇ τε ῥωγμῇ καὶ φλάσιν προσγενέσθαι ἀναγκαῖον ἐστὶν ἢ μᾶλλον ἢ ἧσσον, ἧπερ καὶ ῥωγμὴ προσγίνεται, ἔνθαπερ καὶ ἕδρη ἐγένετο, καὶ ἡ ῥωγμὴ ἐν τῷ ὀστέῳ τῷ περιέχοντι τήν τε ἕδρην καὶ τὴν φλάσιν. τέταρτος οὗτος τρόπος, καὶ ἕδρη δὲ τοῦ βέλεος γίνεται ἐν τῷ ὀστέῳ. ἕδρη δὲ καλέεται, ὅταν μένον τὸ ὀστέον ἐν τῇ ἑωυτοῦ φύσει τὸ βέλος στηρίξαν ἐς τὸ ὀστέον δῆλον ποιήσῃ ὅπῃ ἐστήριξεν. ἐν δὲ τῷ τρόπῳ ἑκάστῳ πλέονες ἰδέαι γίνονται. καὶ περὶ μὲν φλάσιος καὶ ῥωγμῆς, ἣν ἄμφω ταῦτα προσγίνηται τῇ ἕδρῃ, καὶ ἣν φλάσις μόνη γένηται, ἤδη πέφρασται, ὅτι πολλαὶ ἰδέαι γίνονται καὶ τῆς φλάσιος καὶ τῆς ῥωγμῆς. ἡ δὲ ἕδρη αὐτὴ ἐφ' ἑωυτῆς γίνεται μακροτέρη καὶ βραχυτέρη ἐοῦσα καὶ καμπυλωτέρη, καὶ ἰθυτέρη καὶ κυκλοτερής. καὶ πολλαὶ ἄλλαι ἰδέαι τοῦ τοιούτου τρόπου, ὁποῖον ἄν τι καὶ τὸ σχῆμα τοῦ βέλεος ᾖ. καὶ δ' αὐταὶ καὶ βαθύτεραι τε κάτω καὶ μᾶλλον καὶ ἧσσον, καὶ στενότεραι, καὶ εὐρύτεραι, καὶ πάνυ εὐρέαι ἢ διακεκόφαται. Διακοπὴ δ' ὁπόσῃ τις οὖν γινομένη μήκεος τε καὶ εὐρύτητος ἐν τῷ ὀστέῳ ἕδρη ἐστίν. ἤν τ' ἄλλ' ὀστέα τὰ περιέχοντα τὴν διακοπὴν μένῃ ἐν τῇ φύσει τῇ ἑωυτῶν, καὶ μὴ συνεσφλᾶται τῇ διακοπῇ ἔσω τῆς φύσιος τῆς ἑωυτῶν. οὕτω δ' ἔσφλασις ἂν εἴη, καὶ οὐκ ἔτι ἕδρη ὀστέου.

TEli autem ſede in oſſe relicta, fieri poteſt vt fiſſura ſedi accedat, atque fiſſuræ contuſionem accedere neceſſe eſt magis aut minus, ſi qua parte fiſſura contigit, eadem teli ſedes ſit, eſtque fiſſura in oſſe quod ſedem & contuſionem continet; & hæc eſt quarta fracturæ ſpecies, cum teli ſedes in oſſe appareat. Vocatur autem ſedes, cum os in naturali ſuo ſtatu permanens telum oſſi infixum perſpicuũ fecerit, qua parte inſederit: in vnoquóque autem genere plures ſunt ſpecies: & de contuſione quidem & fiſſura, ſi ambo hæc cum ſede coniuncta fuerint, aut ſi ſola fuerit contuſio, iam dictum eſt multas eſſe contuſionis & fiſſuræ ſpecies. Sedes verò ipſa per ſe longior eſt aut breuior, ſinuoſior aut rectior aut rotunda, multæque aliæ ſunt huius generis ſpecies, pro varia teli figura, atque aliæ profundiores deorſum & magis & minùs, & anguſtiores & latiores, & valdè patentes, aut præciſum eſt os: præciſio autem cuiuſcúmque fuerit longitudinis & latitudinis in oſſe ſedes eſt, ſi alia oſſa quæ præciſionem continent, in ſuo naturali ſtatu maneant, & non vna cum præciſione intro effringantur, & ex ſuo naturali

ſtatu moueantur, ſic enim effractura eſſet, non ſedes.

Ἕδρα ſedes, quarta & ſpecies fracturæ cranij, eſtque ſoluta continuitas in oſſe capitis facta ab aliquo acuto atque abſcindente, ita vt teli veſtigium remaneat, & appareat quâ telum ſit impactum. In ſede verò os affectum in ſuo naturali ſtatu manere debet, & non intrò effringi. Eius duę ſunt ſpecies. ἐκκοπὴ, excifio, quæ Paulo definitur, diuiſio cranij cum oſſis offenſi euerſione aut elatione. Galenus aliquando ἐκκοπὴν, διακοπὴν & ἕδραν non diſtinguit vltimo capite libri de morborum cauſis. Altera ſedis ſpecies ἀποσκεπαρνισμὸς dicitur, cum os caluariæ fractum ab alio oſſe recedit, perinde ac ſi aſcia ligni fragmentum abſcindatur, oſsis ablationẽ dicere poſſumus. σκεπαρνὸς autem aſciam ſignificat, ideoque Græca quadam ſimilitudine ἀποσκεπαρνισμὸν vocarunt. Διακοπὴ poteſt eſſe tertia ſedis ſpecies, præciſio Latinis dicitur, eſtque magna & profunda oſsis diſſectio, & ſæpius apud Hippocratem διακοπὴ ſignificat vulnus altè deſcendens & penetrans, vt etiam annotat Philotheus commentario in aphoriſmum 18. lib. 6. cùm διακοπὴν explicat διὰ βάθους διαίρεσιν, diuiſionem profundam. Paulò poſt tamen Hippocrates διακοπὴν & ἕδραν idem eſſe dicit. Plures autem hîc conſtituuntur ſedis ſpecies: eſt enim aliquando ſedes ſimplex ſine fiſſura, colliſione, & effractura, vt dixit ſententia decima: eſt aliquando ſedes cum fiſſura & contuſione, eſt ſedes cum ſola contuſione, Suntque aliæ minu-

tiores differentiæ, ſedes longior, breuior, rectior, circularis, anguſta, profunda, latè patens. Circa finem huius contextus, & circa principiũ ſequentis, quidam interpretes nonnullis verbis immutatis & detractis non corrigunt ſed corrumpunt Hippocratem, cuius aperta & nota etiam tonſoribus ſententia.

Τιτρώσκεται δ᾽ ἄλλῃ τῆς κεφαλῆς, ἢ ᾗ τὸ ἕλκος ἔχει ἄνθρωπος, καὶ τὸ ὀστέον ἐψιλώθη τῆς σαρκός. πέμπτος οὗτος τρόπος. καὶ ταύτην τὴν ξυμφορὴν ὅταν γένηται, οὐκ ἂν ἔχοις ὠφελῆσαι οὐδέν. οὐδὲ γὰρ εἰ πέπονθε τὸ κακὸν τοῦτο οὐκ ἔστιν ὅπως χρὴ αὐτὸν ἐξελέγξαντα εἰδέναι, εἰ πέπονθεν τὸ κακὸν τοῦτο ἄνθρωπος, οὐδ᾽ ὅπῃ τῆς κεφαλῆς.

SAuciatur homo alia capitis parte, quam eâ qua vulnus accepit, & os carne nudatum eſt. Hęc eſt quinta fracturæ ſpecies. Quam calamitatem, cum inciderit, nullo modo iuuare potes. Neque enim ſi quis hoc damno ſit affectus examinando ſcire potes, illud ne malum homo patiatur, neque qua capitis parte.

QVinta & poſtrema fracturæ capitis ſpecies eſt cùm os alia parte finditur, quam ea in qua plaga eſt, ſolet enim euenire, ait Celſus lib. 8. cap. 4. vt altera parte fuerit ictus, altera os fiderit. Iuniores medici hoc fracturæ genus Ἀπη-

χημα quaſi ab Echo reſponſionem nominarunt, quidam ἀπήχημα quaſi reſonitum, aut è regionē reſpondentem ſonum. Paulus Æginčta non admittit hanc fracturæ ſpeciem libro 6. falluntur inquit, qui putant à contraria ictus parte, caluariæ fracturam fieri poſſe, non enim fit in hominis cranio, quemadmodum in vitreis quibuſdam vaſculis fieri illi docent, illa ſiquidem vacua ſunt, ideoque id patiuntur; caluaria autem hominis vndique plena, & alioquin ſolida eſt, & fiſſura, quæ aliarum complurium capitis partium ictarum lapſu, vel citra cutis continui ſolutionē generatur, quæque poſtea abſceſſu in ea facto, eodemque ſecto apparuerit, in oppoſita ictus parte facta eſſe ipſis videtur. Soranus autem voluit ſicut in vitro, ita in caluaria, ictu vnius partis, non modo eam quæ percuſſa eſt, ſed etiam contrariam findi poſſe. Obſeruatū à Chirurgis ſæpe ἀπήχημα in parte oppoſita fieri. Hippocrates tamen & Celſus minimè affirmant in oppoſita parte fieri fiſſuram, ſed in alia capitis parte, quàm qua ictus fuerit, & os carne nudatum, neque tamen negant fiſſuram in oppoſitam partē cadere poſſe, fieri enim poteſt, vt alia oſſis pars findatur, & vt in oppoſitam partem etiam fiſſura incidat: fallitur vidius, qui putat Galenū Paulo fauere quod nono de vſu partium voluit caluariam ſolidam, ac ſine ſuturis non fuiſſe factam, ne percuſſa vna parte: magna oſſis portio violaretur, quod eueniret, ſi ſolida eſſet, efficiunt quidem ſuturæ, ne fiſſura vnius oſſis, offendat os alterum, quod vltra ſuturam eſt, noxa enim ad ſuturam terminatur, non tamen impediunt, quo

minus, abiectu oſſe vno ſauciato & carne nudato, in oppoſita parte findatur aliud os. Ἀπηχήματος autem nulla remedia & auxilia eſſe dicit Hippocrates, neque etiam huius fracturæ curationem vllam poſteà tradet, quod pars affecta dignoſci non poſſit. Cùm tamen ſuſpicio fuerit oſsis fracti, nullaque fractura appareat in oſse ſaucio & carne nudato, ſi videamus ægrotum ſæpe parti alicui manus admouere, coniectura non mediocris erit, ea in parte latere τρῶμα. Itaque ſuadent neoterici, vt admoueatur amplaſtrum, raſo prius capillitio, quod comparatur ex pice, cera, terebinthina, cum maſtiche & puluere ireos, & ſi pars aliqua mollior, humidior, tumentior appareat, in ea fracturam ſubeſſe arbitrabimur. Atque eiuſmodi noxa curabitur vt fiſſura.

Τούτων τῶν τρόπων τῆς κατήξιος ἐς πρίσιν ἀφήκει ἤτε φλάσις ἡ ἀφανὴς ἰδειν, καὶ ἤν πως τύχῃ φανερὴ γενομένη, καὶ ῥωγμὴ ἣν ἀφανὴς ἰδεῖν, καὶ ἣν φανερὴ ᾖ, καὶ ἣν ἕδρης γενομένης τοῦ βέλεος, ἐν τῷ ὀστέῳ προσγένηται ῥωγμὴ καὶ φλάσις τῇ ἕδρῃ, καὶ ἢν φλάσις μοῦνον προσγένηται ἄνευ ῥωγμῆς τῇ ἕδρῃ, καὶ αὕτη ἐς πρίσιν ἀφήκει. τὸ δ᾽ ἔσω ἐσφλώμενον ὀστέον ἐκ τῆς φύσιος τῆς ἑωυτοῦ ὀλίγα τῶν πολλῶν πρίσιος προσδεῖται, καὶ τὰ μάλιστα ἐσφλασθέντα, καὶ μάλιστα καταρραγέντα, ταῦτα πρίσιος ἥκιστα κέχρηται, οὐδὲ ἕδρη αὐτὴ ἐφ᾽ ἑωυτῆς γενομένη ἄτερ ῥωγμῆς καὶ φλάσιος, οὐδὲ αὐτὴ πρίσιος δεῖται. οὐδ᾽ ἡ διακοπὴ ἢν μεγάλη καὶ εὐρέη οὐδ᾽ αὕτη. διακοπὴ γὰρ καὶ ἕδρη τ᾽ ωὐτό ἐστιν.

IN his fracturæ modis ad ſerram veniendum eſt, ſiue obſcura, ſiue manifeſta fuerit contuſio, ſiue latens ſiue perſpicua fuerit fiſſura. Præterea ſi ſedes & teli veſtigium in oſſe ſit, adiunctaque ſedi ſit fiſſura & contuſio, aut etiam ſi ſola contuſio ſine fiſſura ad ſedem accedat, hæc etiam ipſa ſerræ vſum poſtulat. Os autem quod ex ſuo ſtatu effractum abſcedit, rariſſimè ſectionem requirit, quęque maximè effracta ſunt, maximéque abrupta, ſerram minime deſiderant. Neque verò ſedes ipſa fiſſuræ aut contuſionis expers ſerra indiget, vt neque præciſio ſi magna & ampla ſit. Præciſio enim & ſedes idem eſt.

COmmemoratis quinque præcipuis fracturarum differentijs, alias recenſet ex praxi & ſectione deſumptas. Quædam enim capitis fracturæ ſectionem requirunt, quædam verò non deſiderant. Quibus autem in fracturis ad ſectionem veniendum ſit, hic docet Hippocrates eamque conuenire dicit fiſſuræ, contuſioni, ſedi quæ adiunctam habet fiſſuram & contuſionem, aut etiam ſolam contuſionem. In his enim fracturæ modis ſanies quæ ad cerebri membranas confluxit, exitum non habet. Videtur autem Hippocrates in libello de locis in homine, paucis fracturarum capitis curationem complecti,

& serræ vtilitatem ac necessitatem demonstrare: os capitis fractum & contritum ἀκίνδυνον, si vero rumpatur, & adsit fissura ἐπικίνδυνον, huicque serram adhibere oportet, ne per ossis fissuram fluens ἰχὼρ, cerebri membranam putrefaciat, vt ergo huic ἰχῶρι pateat non solum ἔισοδος, sed etiam ἔξοδος, serra est adhibenda: fissuræ quæ ad imum feruntur & per totum os, sectionem requirunt, quia tunc sanies ad cerebri membranam defluit, cùm autem ad membranam vsque non penetrant, sectione non egent: nam vt ait Paulus, cùm fractura cranij ad diploen duntaxat peruenerit, ad hanc etiam vsque solum perforanda est, idem de contusione sentiendum, notandum tamen contusionem in cranio puerorum, & potissimùm in osse bregmatis, sectionem non ferre propter mollitiem. Hanc autem in pueris vel natura ad statum naturalem attollit, vel saltem admota cucurbitula cum copiosa flamma restituit, quod nos obseruauimus in puero septem annorum in ædibus Caussi mercatoris Burdigalensis opulentissimi, qui ab equo currente in via deprehensus, humique prostratus concidit, eiusque bregma dextrum ferrata equi calce ita depressum & contusum fuit: vt contusio manifestissima remanserit, osse tamen non nudato, ex eoque ictu quasi dormiens sine sensu iacuerit, oculi eius obcæcati fuerint, per nares & aures sanguis effluxerit, obmutuerit, in eaque ἀφωνίᾳ per septemdecim dies fuerit, tandemque sine cranij sectione pristinæ sanitati restitutus fuerit, eaque nunc integra fruitur annis decem post casum & ictum. Effractura etiam

ſectionem non poſtulat, minúsque oſſa quę maxime fracta, maximéque abrupta ſunt, cum ſaniei ſatis pateat exitus, cumque citra ſectionem eiuſmodi oſſa demi poſſint. Sedi ſimplici cum oſſis ſuperficies inciditur, aut cum inciſio per totum os penetrat, & ſatis magna & ampla eſt, ſectio inutilis eſt, in illa enim ſaniei nihil ad cerebrum confluit, in hac ſpatium ſatis magnum ad ſaniem extrahendam relinquitur. Hippocrates autem hîc ἀπηχήματος non meminit, quoniam curatur vt fiſſura, ſicut dictum eſt. Memineris verò in omnibus ſectionibus, vt quam minimũ ex oſſe dematur. Galenus in fine libri ſexti methodi, quod vehementer eſt confractum, id totum auferendum cenſet, ſi verò ab eo fragmenta quædam longius excurrant, quemadmodum aliquando cernitur accidere, hæc perſequi ad finem non expedit, quòd nulla inde ſequatur noxa, modo reliqua rite ſint confecta.

Πρῶτον δὲ χρὴ τὸν τρωματίην σκέπτεσθαι, ὅπῃ τὸ τρῶμα τῆς κεφαλῆς ἔχῃ, εἴ τ' ἐν τοῖσιν ἀσθενεστέροισιν. καὶ τὰς τρίχας καταμανθάνειν τὰς περὶ τὸ ἕλκος. εἰ διακεκόφαται ὑπὸ τοῦ βέλεος, καὶ εἰ ἔσω εἴησαν ἐς τὸ τρῶμα, κινδυνεύειν τὸ ὀστέον ψιλὸν εἶναι τῆς σαρκός. καὶ ἢν τοῦτο ᾖ, φᾶναι ἔχειν τι σῖνος τὸ ὀστέον ὑπὸ τοῦ βέλεος. ταῦτα μὲν οὖν χρὴ ἀπὸ προσωθεν σκεψάμενον λέξαι, μὴ ἁπτόμενον τοῦ ἀνθρώπου.

IMprimis verò conſiderandum qua tandem capitis parte vulnus ſit acce-

ptum, an ossibus infirmioribus: explorandi etiam circa vulnus capilli, an à telo præcisi sint, introque ipsum vulnus subierint, tunc enim periculum est, os ipsum carne nudatum esse. Quod si ita sit, dicendum est. os à telo violatum esse: atque hæc vbi diligenter consideraueris, dicenda sunt, antequam homini manum admoueas.

NOn præter ordinis rationem, ossis fracti signa & indicia proponit Hippocrates, enumeratis priùs fracturarum differentijs. Cùm enim negotium magni momenti sit cranium aperire, quòd cerebri propugnaculum sit os: idcirco certioribus notis & indicijs explorandum diligenter est, an os capitis sit fractum. Antequã vero manum homini sauciato medicus admoueat, duo imprimis debet considerare, an vulnus sit in capitis partibus debilioribus, nempe in osse bregmatis, in suturis, aut in osse temporum, & an capilli circa vulnus sint à telo præcisi, si enim vtrumque adsit certum est fracti ossis indicium. Capilli autem qui in ipso vulnere præcisi reperiuntur, opinionem fracti ossis non frustra faciunt, difficile enim est capillos præcidere, quia cedunt, nisi ad os ipsum noxa perueniat. Admonet tandem medicum Hippocrates, non solùm vt hæc signa tacitus consideret, sed etiam vt prædicat & prænunciet, sibique apud ægrotantes maiorem authoritatem & dignitatem compa-

ret. Gloriam autem & laudem ſibi comparare debet medicus & Chirurgus non tanquam φιλόδοξος. ſed tanquam φιλάνθρωπος, eò incumbens vt apud ægros magis valeat authoritate, quandoquidem ſibi magis obſequentur, quod illis vtiliſſimum eſt, magis enim ægros iuuat, qui apud eos in honore & admiratione eſt, ait Galenus commentario primo in lib.2.de officina medici. Medicos alibi monet Hippocrates, vt morbis qui videntur graues, nec tamen ſunt, manũ admoueant, ab illis ſe ſubducãt, qui leues videntur, cum reuera graues ſint, vt ita apud ægrotantes à culpa ſemper abſint, & laudem plerumque inueniant, commentario 4. in librum de articulis, cũ agit de oſsibus præcidendis, & commẽtario tertio ſentent. 37. in eundem librum, cum agit de fractura coſtarum. Melius tamen Celſus libri. 5. cap. 26. ſentent. 54. & 55. Prudentis hominis eſt, eum qui ſeruari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem eius vt occiſi, quem ſors ipſius peremit: deinde vbi grauis metus ſine certa deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe ſe videatur: ſed vt hæc prudenti viro conueniunt, ſic rurſus hiſtrionis eſt, paruam rem attollere, quò plus præſtitiſſe videatur: obligarique æquum eſt confeſſione promptæ rei, quò curioſius etiam circumſpiciat ne quod per ſe exiguum eſt, maius curantis negligentia fiat.

Ἀπτόμενον δ' ἤδη πειρᾶσθαι εἰδέναι σάρκα, εἰ ἔστι ψιλὸν τὸ ὀστέον τῆς σαρκὸς ἢ οὔ. καὶ ἢν μὲ κατα-

φανὲς ἢ τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι τὸ ὀστέον ψιλόν. εἰ δὲ μὴ, τῇ μήλῃ σκέπτεσθαι. καὶ ἢν μὴ εὕρῃς ψιλὸν ἐὸν τὸ ὀστέον τῆς σαρκὸς, καὶ μὴ ὑγιὲς ἀπὸ τοῦ τρώματος χρὴ τοῦ ἐν τῷ ὀστέῳ ἐόντος τὴν διάγνωσιν πρῶτα ποιέεσθαι, ὁρῶντα ὅσον τέ ἐστι τὸ κακὸν, καὶ τίνος δεῖται ἔργου. χρὴ δὲ καὶ ἐρωτᾶν τὸν τετρωμένον ὅπος ἔπαθε, καὶ τίνα τρόπον.

VBi manum admoueris, elaborandum vt certo ſcias, ſit ne os carne nudatum nec ne, & an oculis perſpicuũ ſit os nudatum; ſin minus ſpecillo explorare oportet. Si carne nudatum os inueneris, & minimè integrum, primùm cognoſcere oportet, quid mali ſit in oſſe, quantaque noxa ſit inſpicere, & cuiuſnam ſit opis indigens: deinde conuenit ſauciatum interrogare, quo pacto, quóue modo percuſſus ſit.

ANtequam ęgro manus admoueat medicus notis & coniecturis ex parte debiliore & ex capilis ſumptis colligit & prædicit os violatum eſſe, vbi autem manus iniecta eſt, certius idem explorat oculis vel ſpecillo. Specillum autem, vt ait Celſus, qua plaga eſt, demitti oportet, neque nimis tenue, neque acutum, ne cùm in quoſdam ſinus naturales inciderit, opininem fracti oſſis fruſtra faciat, neque nimis plenum,

ne paruulæ rimæ fallant. Vbi ſpecillum ad os venit, nihil niſi leue & lubricum occurrit, integrum id videri poteſt, ſiquid aſperi eſt, vtique qua ſuturæ non ſunt, fractum os eſſe teſtatur. Tria verò conſideranda proponit in oſſe carne nudato & ſaucio, morbi ſpeciem, magnitudinē, & remedij genus. Deinde non ſolis ſenſibus eſſe fidendum in exploranda oſſis fractura, ſed interrogandum etiam ægrotum quo pacto, quóuemodo vulneratus ſit. Hippocrates addit duo ὅπως καὶ τίνα τρόπον. ego exiſtimo ὅπως referri ad telum interrogamus enim ægrotum lapide, an ligno an ferro an alio telo percuſſus ſit, & hoc ipſo læui an aſpero, mediocri an vaſtiore, vehementer an leuiter. τίνα τρόπον vero, ad ictum, ſiue telum manu teneatur, ſiue iaciatur, ad lapſum, & caſum, è loco ſublimi, æquali, è latere, de induſtria, ex improuiſo, de quibus ſtatim poſtea.

Ἢν δὲ μὴ καταφανὲς ᾖ τὸ ὀστέον, εἰ ἔχει τι κακὸν, εἰ μὴ ἔχει, πολλῷ ἔτι χρὴ μᾶλλον τὴν ἐρώτησιν ποιέεσθαι, ψιλοῦ τε ἐόντος τοῦ ὀστέου, τὸ τρῶμα ὅπως ἐγένετο καὶ ὃν τίνα τρόπον. τὰς γὰρ φλάσιας καὶ τὰς ῥωγμὰς τὰς οὐ φαινομένας ἐν τῷ ὀστέῳ, ἐνεούσας δὲ ἐκ τῆς ὑποκρίσιος τοῦ τετρωμένου πρῶτον διαγινώσκειν πειρῆσθαι, εἴ τι πέπονθε τοῦτο τὸ ὀστέον, ἢ οὐ πέπονθεν. ἔπειτα δὲ καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἐξελέγχοντα, πλὴν μηλώσιος γὰρ οὐκ ἐξελέγχει εἰ πέπονθε τοῦτο τῶν κακῶν τὸ ὀστέον, καὶ ἔπ' ἔχει ἐν

αὐτῷ, ἢ οὐ πέπονθεν, ἀλλ' ἕδρην τε οὐ βέλεος ἐξελέγχει μήλωσις. καὶ ἢν ἐμφλασθῇ τὸ ὀστέον ἔσω ἐκ τῆς φύσιος τῆς ἑωυτοῦ. καὶ ἢν ἰσχυρῶς ῥαγῇ τὸ ὀστέον, ἅπερ καὶ τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι καταφανέα ἐστὶν ὁρῶντα γινώσκειν.

SI verò perſpicuum non ſit, an os violatum ſit nec ne, multò adhuc diligentiùs inquirendum, nudato oſſe quo pacto, quóue modo vulnus ſit illatum. Contuſiones enim & rimas minimè in oſſe apparentes, quæ tamen in ſunt, ex ſauciati reſponſo primùm eniti debes vt cognoſcas, nunquid os eiuſmodi aliqua noxa affectum ſit nec ne: deinde vt ratione & opere citra ſpecillum deprehendas. Specillum enim non deprehendit an os his malis ſit affectum, nec ne, nec quid in ſe vitij habeat ſed ſedem telique veſtigium indicat ſpecillum, ipſúmque os effractum cùm è ſuo naturali ſtatu intro ceſſit, cúmque vehementer perruptum eſt quæ etiam oculis perſpicua cognoſcere licet, ſi quis velit intueri.

CVm oſſis carne nudati fractura oculis & ſpecillo cognoſci non poteſt, diligentiori interrogatione primùm perquirenda, deinde

ratione & opere exploranda. Sunt autem duæ fracturarum species, quæ oculis aut specillo non facilè deprehenduntur, fissura nempe tenuis & angusta, & contusio, vt prius etiam dictum fuit. Sedes verò & affractura & oculis deprẽdũtur, & specillo explorantur. Apechematis non meminit, quod in eo violatum os non sit carne nudatum. Contusiones autem & rimæ in osse minime apparentes deprehendendæ sunt ex responso ægrotantis vt antea diximus, item ratione & opere. Rationem vocat λόγον Hippocrates. Galenus autem commentario in aphorismum tertium libri primi de Officina Medici, scribit γνώμην, διάνοιαν, νοῦν, φρένα λόγον καὶ λόγον ἐνδιάθετον idem significare, sententiam, cogitationẽ, mentem, intellectũ, rationem & rationem interiorem. Continet autem ratio interior consequentia & repugnantia ijsquæ cognoscuntur, & præterea diuisionem compositionem, analysim demonstrationem & si quid est generis eiusdem. Itaque ad rationem pertinent quę postea dicet, si offensus sine sensu quasi dormiens iacuerit, si oculi obiæcati fuerint, vertigo ipsum occupauerit, si conciderit, & ex aphoris. 50. lib. 6. si bilis vomitus superuenerit, & similia, quæ non nisi osse fracto eueniunt. Ad ἔργον siue opus referuntur scalpri vsus, & admotio atramenti vel medicamenti nigri, de quibus etiam postea.

Ῥήγνυται δὲ τὸ ὀστέον τάς τε ἀφανέας ῥωγμὰς καὶ τὰς φανερὰς. καὶ φλᾶται τὰς ἀφανέας φλάσιας, καὶ ἐσφλᾶται ἔσω ἐκ τῆς φύσιος τῆς ἑωυτοῦ,

μάλιστα

μάλιςα ὅταν ἕτερος ὑφ᾽ ἑτέρου τιτρωσκόμενος ἐπίτηδες τρῶσαι βουλομένου, ἢ ὅταν ἐξ ὑψηλοτέρου γίνηται ἡ βολὴ, ἢ ἡ πληγὴ, ὁπότερ᾽ ἂν ᾖ, μᾶλλον, ἢ ὅτ᾽ ἂν ἐξ ἰσοπέδου τοῦ χωρίου. καὶ ἢν περικρατέῃ τῇ χειρὶ τὸ βέλος, ἤν τε βάλλῃ, ἤν τε τύπτῃ, καὶ ἰσχυρότερος ἐὼν ἀσθενεςέρους τιτρώσκει. ὅσοι δὲ πίπτοντες τιτρώσκονται πρὸς τε τὸ ὀςέον, καὶ αὐτὸ τὸ ὀςέον ὁ ἀπὸ ὑψηλοτάτου πίπτων, καὶ ἐπὶ σκληρότατον καὶ ἀμβλύτατον, τούτῳ κίνδυνος τὸ ὀςέον ῥαγῆναί τε καὶ φλασθῆναι, καὶ ἔσω ἐσφλασθῆναι ἐκ τῆς φύσιος τῆς ἑωυτοῦ. Τά δ᾽ ἐξ ἰσοπέδου μᾶλλον χωρίου πίπτοντι καὶ ἐπὶ μαλθακώτερον, ἧσσον ταῦτα πάσχει τὸ ὀςέον, ἢ οὐκ ἂν πάθοι. ὅσα δὲ ἐσπίπτοντα ἐς τὴν κεφαλὴν βέλεα τιτρώσκει πρός τε τὸ ὀςέον, καὶ αὐτὸ τὸ ὀςέον, τὸ ἀπὸ ὑψηλοτάτου ἐμπεσὸν, καὶ ἥκιςα ἐξ ἰσοπέδου, καὶ σκληρότατόν τε καὶ ἀμβλύτατον, καὶ βαρύτατον, καὶ ἥκιςα κοῦφον, καὶ ἥκιςά τε καὶ ὀξὺ καὶ μαλθακὸν, τοῦτο ἂν ῥήξειε τὸ ὀςέον καὶ φλάσειε. καὶ μάλιςά γε ταῦτα πάσχειν τὸ ὀςέον κίνδυνος, ὅταν ταῦτά τε γίνηται, καὶ ἐς ἰθὺ τρωθῆναι κατ᾽ ἀντίον γένηται τὸ ὀςέον τοῦ βέλεος, ἤν τε πληγῇ ἐκ χειρὸς, ἤν τε βληθῇ, ἤν τέ τι ἐμπέσῃ αὐτέῳ, καὶ ἢν αὐτὸς καταπεσὼν τρωθῇ. καὶ ὁπωσοῦν τρωθεὶς κατ᾽ ἀντίον γένοιτο τοῦ ὀςέου τῷ βέλει. τὰ δὲ πλάγιον τοῦ ὀςέου παραφερόμενα βέλεα, ἧσσον καὶ ῥήγνυσι τὸ ὀςέον, καὶ φλάσει ἔισω ἐς κεφαλὴν, κἂν ψιλωθῇ τὸ ὀςέον τῆς σαρκός. ἔνια γὰρ τῶν τρωμά-

πων τῶν οὕτω τρωθέντων οὐδὲ ψιλοῦται τὸ ὀστέον τῆς σαρκός.

FInditur autem os rimis, tùm obſcuris, tum manifeſtis, contunditur etiam obſcuris contuſionibus, effractúmque intrô cedit ex ſuo naturali ſtatu, potiſſimũ cùm alter alterũ de induſtria ſauciare voluerit, aut cùm è ſublimiore loco ſit iactus, vel ictus vter tandẽ fuerit, magis quã ex æquali loco, & ſi manu telum contineat, ſeu iaciat, ſeu percutiat, & robuſtior infirmiores offendat. Ex cadentibus autem, ſiue partibus oſſi vicinis, ſiue oſſe ipſo vulnerentur, quicumque ex altiſſimo loco in duriſſimum & obtuſiſſimum decidit, periculum eſt, ne os findatur, contundatur, & effractum intrô cedat ex naturali ſtatu. Qui verò ex æquali magis loco, & in mollius quippiam decidit, minus his noxis os afficitur, aut ne omnino quidẽ afficitur. E telis verò quæ in caput incidũt, & partes oſſi vicinas & os ipſum ſauciãt, quod ex altiſſimo loco decidit, & minimè æquali, quodque duriſſimũ obtuſiſſimũ, grauiſſimúmque fuerit, minimè vero leue, miniméque acutum aut molle, hoc oſsis findendi &

contundendi vim habet, & tunc maximè noxas eiusmodi os sentit, cùm & hæc fiunt, & ad rectam lineam è regione teli os sauciatur, siue manu plaga infligatur, siue iaciatur, siue in ipsum aliquid incidat, siue ipse homo cadens vulneretur, siue quocumque modo fuerit telo sauciatus è regione. Tela verò quæ ex obliquo feriunt os, minus findunt, & intro ad caput contundunt, quamuis os carne sit nudatum. Nonnulla enim vulnera sic inflicta ne os quidem carne nudant.

EX responso sauciati, ictus & teli genus & speciem cognoscimus, per quæ deprehendimus morbum, eiusque magnitudinem. Sic robustus infirmiorem de industria ex loco subliniore offendens, magis os findit, contundit & effringit, quàm si debilis robustum imprudenter ex æquali loco percutiat. Sic qui ex altissimo loco decidit in corpus durissimum maximèque hebes magis os findit, contundit & effringit, minus vero hęc patitur, vel omnino non patitur, qui ex plano, in mollius decidit. Sic etiam quæcumque in caput incidunt ex altissimo loco, si sint durissima, obtusissima, grauissima, & ad rectam lineam ferantur, magis findunt, contundunt & effringunt, quàm quæ ex æquali loco, leuia aut mollia ex obliquo in caput incidunt. Hinc tria collige ictus genera, cùm alter alterũ vulnerat, cùm quis cadit, aut cum quid in caput

incidit. Telum siue βέλος, vt ait Homeri interpres tertio libro Iliados, καλεῖται τὸ ἐκ χειρὸς βαλλόμενον, quod manu iacitur aut in longum emittitur. Hippocrates autem teli nomine intelligit ea quibus alter alterum vulnerat, ea quæ in caput incidunt, & in quæ decidit caput. Cùm dicit partes ossi vicinas vulnerari, carnem intelligit, quam tela contundunt, incidunt & lacerant, vt statim dicet.

Τῶν δὴ βελέων ῥήγνυσι μάλιστα τὸ ὀστέον τάς τε φανερὰς ῥωγμὰς, καὶ τὰς ἀφανέας, καὶ φλᾶται, καὶ ἐσφλᾶ ἔσω ἐκ τῆς φύσιος τῆς ἑωυτοῦ τὸ ὀστέον, τὰ στρογγύλα τε καὶ περιφερέα, καὶ ἀρτίστομα, ἀμβλέα τε ὄντα καὶ βαρέα, καὶ σκληρά: καὶ τὴν σάρκα ταῦτα φλᾶται, καὶ πέπειρον ποιέει, καὶ κόπτει, καὶ τὰ ἕλκεα γίνεται ὑπὸ τῶν τοιούτων βελέων ἐς τὸ πλάγιον, καὶ ἐν κύκλῳ ὑπὸ κόιλα καὶ διάπυά τε μᾶλλον γίνεται, καὶ ὑγρὰ ἐστὶ, καὶ ἐπὶ πλέονα χρόνον καθαίρεται. ἀνάγκη γὰρ τὰς σάρκας τὰς φλασθείσας καὶ κοπείσας πύον γενομένας ἐκτακῆναι: τὰ δὲ βέλεα καὶ περιμήκεα ἐπὶ πολὺ λεπτὰ ἐόντα καὶ ὀξέα καὶ κοῦφα, τὴν τε σάρκα διατέμνει μᾶλλον ἢ φλᾶ, καὶ ὀστέον ὡσαύτως, καὶ ἕδρην μὲν ἐμποιέει αὐτὸ καὶ διακόψαν. διακοπὴ γὰρ καὶ ἕδρη ταυτόν ἐστι. φλᾶ δὲ οὐ μάλα τὸ ὀστέον τὰ τοιαῦτα βέλεα, οὐδὲ ῥήγνυσιν, οὐδὲ ἐκ τῆς φύσιος ἔσω ἐσφλᾶ.

EA tela maximè findunt os fissuris tum manifestis tum obscuris, contundunt, intróque effringunt ex suo naturali statu, quæ sunt rotunda, globosa, plana, obtusa, grauia, dura. Hæc enim carnem contundunt, maturant & lacerant, & ab huiusmodi telis fiunt vlcera in obliquum, in orbem subcaua, eáque purulenta magis, & humida, & longiori tempore expurgantur. Necesse est enim carnes contusas & laceras, in pus versas tabescere. At vero tela oblonga, admodum tenuia, acuta, leuia carnem incidũt magis quàm contundunt, & similiter os, sedemque relinquit, id quod præcidit: præcisio autem & sedes idem est. Sed nõ admodum os contundunt eiusmodi tela, neque findunt, neque de suo statu intrô effringunt.

TEli multa genera proponit Hippocrates, quibus os capitis vulneratur. Si pondus teli consideremus, vnum est graue, alterum leue. Si verò figuram spectemus, telorum diuersa sunt genera, videtur autem hoc loco, telo rotundo & globoso, opponere oblongum, plano, admodum tenue, obtuso, acutum, graui, leue. Durities verò telis omnibus conuenit. Molle enim vt neque findendi, contundendi, aut effringendi vim habet, sic neque incidendi. Te-

lum autem graue, siue rotundum siue globosum, aut planum, aut obtusum fuerit, os findit, contundit aut effringit. Telum verò leue siue sit oblongum, admodum tenue, aut acutum, os magis incidit. Vocat autem Hippocrates βέλος ἀστιστόμον, τὸ πάντοθεν ὁμαλόν, telũ omni ex parte planum, vndique æquale, quod est enode & siue spiculis. Tela grauia & obtusa, siue teretia siue rotũda, vel plana sint, rarô os violant, nisi caro etiã vulneretur, vnde excitare solent ne vulnera caua vel in obliquum, vel in orbem pro teli specie. Cùm enim caro in orbem contusa & lacera est, in pus vertitur, vlcúsque reddit cauum & rotundum. Cùm verò in obliquum collisa & detrita est, vlcus reddit cauum in obliquum. Hanc sententiam de carne contusa & lacera bis repetit hoc libro, de qua re dictum fuit commentario in sententiam sextam libri de vulneribus.

Ἀλλὰ χρὴ πρὸς τῇ ὄψει τῇ ἑωυτοῦ ὅτι ἄν σοι φαίνηται ἐν τῷ ὀστέῳ, καὶ ἐρώτησιν ποιέεσθαι πάντων τούτων. τοῦ γὰρ μᾶλλόν τε καὶ ἧσσον τρωθέντος ταῦτ' ἐστὶ σημεῖα. καὶ ἢν ὁ τρωθεὶς καρωθῇ, καὶ σκότος περιχυθῇ, καὶ δῖνος, ἢ καὶ πέσῃ.

DE his omnibus interrogandus est æger, præter id quod oculorum sensu in osse tibi apparuerit, maioris enim aut minoris noxæ hæc sunt signa. Est etiam requirendum num sine sensu

quasi dormiens homo ſauciatus iacuerit, num oculi eius obcæcati ſint, num vertigo ſuperuenerit, num conciderit.

QVamuis aſpectabilis ſit in cranio fractura, interrogandus tamen æger eſt quo pacto, quóue modo vulneratus ſit; ictus enim & telum ſigna dant grauioris aut leuioris plagæ. Pręter hæc omnia, inquirenda & obſeruãda ſunt ſymptomata quæ ſuperuenerint, his enim tanquam rerum iudiciis mens recta ratione ducitur, & in morborum etiam reconditorum notitiam penetrat. Itaque dicebat Hippocrates paulo antè coniecturis, oculis, ſpecillo, ſauciati reſponſo, & tandem ratione & opere explorandam eſſe capitis fracturam. Quatuor autem proponit cranij violati ſigna, quamuis alia multa eſſe poſſint indicia, cuiuſmodi ſunt bilis vomitus, ſanguinis per nares vel aures effluxus, ἀφωνία, vocis priuatio, & prætereа ἔκπληξις καὶ παραφροσύνη ideſt ſtupor & deſipientia ex aphoriſmo 14. lib. 7. Primùm ſignum eſt κάρος grauis & altus ſopor, qui commentario in aphoriſmum 5. lib. 5. propriè dicitur totius corporis repentina motus ſenſúſque priuatio, ſpirandi tamen facultate illæſa quem affectum per ἀφωνίαν ſolet ſæpius Hippocrates exprimere. Galenus lib. de ſymptomatum differentiis cap. 5. κάρον τῆς φανταστικῆς παράλυσιν facit, ideſt, carum imaginatricis facultatis reſolutionem. Sopor autem iſte profundus fracto cranio compreſſionibus cerebri, vel oblæſis menyngibus ſuperuenit. Secundum ſignum eſt σκό-

τος, tenebricoſa oculorum caligo, quę fit cùm commoto cerebro, vapores aut humores craſsi caliginem menti inducunt, *σκότωμα* etiam dici poteſt. Tertium ſignum eſt *δῖνος* ſiue vertigo, cum omnia circum agi & in orbem verti videntur. Fitque cùm læſo cerebro humores in ventriculis inordinatè mouentur. Aliquando duo hæc ſymptomata, nempè tenebricoſa oculorum caligo, & omnium rerum apparens quædam circumactio ſimul concurrunt, tuncque fit *σκοτόδινος* ſiue tenebricoſa vertigo. Vertigo autem ita cerebrum, ſenſúſque exagitat vt ſæpe laborans corruat, hic autem caſus noxæ grauitatem indicat. Meminiris autem hæc ſigna & præterea vomitum & *παραφροσύνην* ſuperuenire vulneribus muſculorum temporalium etiam citra cranij aut cerebri noxam. Quod vidimus in Petro Blanchardo puero 14. aut 15. annorum, qui dũ hæc ſcribebamus, accepto vulnere circa originem muſculi temporalis tribus digitis ſupra aurem ſiniſtram non ſolum vomitu premebatur, ſed, etiam inexpugnabili tenebatur dormiendi cupiditate cum deſipientia. Cúmque Chirurgus hæc non niſi oſſe fracto euenire diceret, & ideo ſecandum & dilatandum eſſe vulnus, ad oſſis læſi inſpectionẽ, & ſpeciei fracturæ dignotionẽ, eius conſilium probare noluimus, primùm quod os carne ſua nudatum non appareret, ſecundo quod temporum regio ſine periculo incidi minimè poſſet, diximuſque iſta ſymptomata minimè eſſe indicia cranij violati, ſed à plaga muſculi temporalis proficiſci. Scribit enim Hippocrates ſententia. 7. lib. 2. de articulis, plagas in tempo-

rum musculis graues esse & stuporem inferre siue κάρον. Itáque intra septem dies sine vlla plagæ dilatatione cõualuit æger, qui sine periculo conuulsionis incidi non poterat. Quod si vulneri vulnus additum fuisset, curatio certe morbo sæuior extitisset & longior.

Ὅτ' ἂν δὲ τύχῃ ψιλωθὲν τὸ ὀστέον τῆς σαρκὸς ὑπὸ τοῦ βέλεος, καὶ τύχῃ κατ' αὐτὰς τὰς ῥαφὰς γενόμενον τὸ ἕλκος, χαλεπὸν γίνεται καὶ τὴν ἕδρην τοῦ βέλεος φράσασθαι τὴν ἐν τῷ ἄλλῳ ὀστέῳ φανερὴν γινομένην, εἴτ' ἔνεστιν ἐν τῷ ὀστέῳ, εἴτε μὴ ἔνεστιν. ἤν τὲ τύχῃ γινομένη ἡ ἕδρη ἐν αὐτῇσι τῇσι ῥαφῇσι. συμβλέπει γὰρ αὐτὴ ἡ ῥαφὴ τραχυτέρη ἐοῦσα τοῦ ἄλλου ὀστέου. καὶ οὐ διάδηλον ὅτι τὲ αὐτοῦ ῥαφή ἐστιν, καὶ ὅτι τοῦ βέλεος ἕδρη. ἢν μὴ κάρτα μεγάλη γένηται ἡ ἕδρη. προσγίνεται δὲ καὶ ῥῆξις τῇ ἕδρῃ ὡς ἐπὶ τὸ πουλὺ αὕτη ἐν τῇσι ῥαφῇσι γινομένη, καὶ γίνεται καὶ αὐτὴ ἡ ῥῆξις χαλεπωτέρη φράσασθαι ἐρρωγότος τοῦ ὀστέου διὰ τοῦτο, ὅτι κατ' αὐτὴν τὴν ῥαφὴν ἡ ῥῆξις γίνεται, ἣν ῥηγνύηται ὡς ἐπὶ τὸ πουλύ. ἕτοιμον γὰρ ταύτῃ ῥήγνυσθαι τὸ ὀστέον, καὶ διαχαλᾶν διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς φύσιος τοῦ ὀστέου ταύτῃ, καὶ ἀραιότητα, καὶ διά τε τῆς ῥαφῆς ἑτοίμης ἐούσης ῥήγνυσθαι. καὶ διαχαλᾶν. τὰ δ' ἄλλα τὰ ὀστέα τὰ περιέχοντα τὴν ῥαφὴν μένει ἀρραγέα, ὅτι ἰσχυρότερά ἐστι τῆς ῥαφῆς ἡ δὲ ῥῆξις ἡ κατὰ τὴν ῥαφὴν γινομένη καὶ διαχάλασίς ἐστιν τῆς ῥαφῆς, καὶ φράσασθαι οὐκ εὐμαρής ἤ, οὔτε ὑπὸ ἕδρης τοῦ βέλεος γενομένης ἐν τῇ ῥαφῇ, ἐπει-

δαν ῥαγῇ καὶ διαχαλάσῃ, ἀλλ' ἐστι χαλεπώτερον φράσασθαι τὴν ἀπὸ τῆς φλάσιος ῥωγμὴν. συγκλέπτουσι γὰρ τὴν γνώμην καὶ τὴν ὄψιν τοῦ ἰητροῦ αὗται αἱ ῥαφαὶ ῥωγμοειδέες φαινόμεναι καὶ τρηχύτεραι ἐοῦσαι τοῦ ἄλλου ὀστέου, ὅτι μὴ ἰσχυρῶς διεκόπη καὶ διεχάλασε. διακοπὴ δὲ καὶ ἕδρη τωὐτόν ἐστιν, ἀλλὰ χρὴ εἰ κατὰ τὰς ῥαφὰς τὸ τρῶμα γένοιτο, καὶ πρόσω γε τὸ ὀστέον σημείξειε τὸ βέλος, προσέχοντα τὸν νόον ἀνευρίσκειν ὅτι πέπονθεν τὸ ὀστέον· ἀπὸ γὰρ ἴσων βελέων τὸ μέγεθος καὶ ὁμοίων, καὶ πολλόν τε ἐλασσόνων καὶ ὁμοίως τρωθεὶς, καὶ πολὺ ἥσσων, πολλῷ μεῖζον ἐκτήσατο τὸ κακὸν ἐν τῷ ὀστέῳ ἐς τὰς ῥαφὰς δεξάμενος τὸ βέλος, ἢ ὁ μὴ ἐς τὰς ῥαφὰς δεξάμενος.

SI verò carne sua nudatum os fuerit à telo, vulnusque ad ipsas suturas extiterit, difficile est asserere teli vestigium, quod in alio osse apparet, sit ne in osse, necne, cùm præsertim teli vestigium in ipsis suturis fuerit. Apparet enim ipsa sutura reliquo osse asperior, nec perspicuũ quid in ipso vel sutura sit, vel teli vestigium, nisi admodum insigne fuerit vestigium. Adiungitur autem fissura sedi plerumque in ipsis suturis existens, eaque fissura difficilius deprehenditur, si findatur os, quia tunc fissura plerumque in suturis accidit. Facile enim est os findi ac

resolui, propter ossis hac in parte infirmitatem ac raritatẽ, tùm quòd etiã ipsa sutura facilè findatur ac resoluatur. Cætera ossa quæ suturã ambiunt, infracta manent, quoniam sutura sunt robustiora. Fissura verò quæ fit in sutura, resolutio est ipsius suturæ, nec facile deprehenditur cùm sedi adiungitur in sutura, cùm nempe sutura ipsa finditur ac resoluitur. Sed multò difficilius est fissuram quæ fit à collisione deprehendere. Suturæ enim fissuræ ipsi assimiles, & reliquo osse asperiores, medici mentem & oculos fallunt, nisi os admodum præcidatur aut dissoluatur Præcisio autem & sedes idem est. Verùm oportet cum vulnus in suturas inciderit, telumque ipsi ossi insederit, animum adhibere, vt deprehendamus, quid os patiatur. Etenim à paribus telis magnitudine, atque similibus, aut etiam multo minoribus si quis sauciatus fuerit eodem modo, aut etiam multò leuius, longe grauiori noxa afficietur os, si ad suturas telum exceperit, quàm si ad easdem suturas non exceperit.

DIxit Hippocrates sententia 20. huius libri sedem telique vestigium oculorum sensu & specilli vsu facilè posse deprehendi, nunc au-

tem demonstrat sedem ipsam non facilè discerni posse à sutura, cum fortè teli vestigium in ipsis suturis fuerit, nisi ampla sit, latéque patens sedes, præterea difficilius cognosci fissuram in suturis existentem, sedi ipsi adiunctam, difficillimè verò dignosci fissuram, quam contusio peperit, si fortè vulnus ipsum in suturas inciderit. Ad exactam autem fracturarum cognitionem non solum necessaria est causarum & signorum diligens inquisitio, sed etiam corporum vulnera excipientium distinctio, quoniam sutura, vt dictum est sententia vndecima huius libri, in vulnere si appareat osse nudato, quacumque tandem capitis parte vulnus exriterit, infirmissima est ad resistendum ictui & telo. Hic autem contextus obscurus videtur, miréque lectorum ingenia torquet, quia multa videntur addita, aut sæpius frustra repetita, ideoque quidam interpretes plurima quæ putant mala inserta, delent. Inserit etiam Vidius quæ nusquam in Græcis exemplaribus leguntur. Ego quinque Græcorum exemplarium fidem secutus nihil immutare volui. Sensus autem verborum Hippocratis est huiusmodi. In osse capitis vulnerato & carne sua nudato, non facile deprehenditur sedes, si in suturas incidat, quæ alioquin in alia ossis parte esset manifesta, cum enim in osse integro, nihil nisi lene & lubricum occurrat, si quid asperi est, fractum os esse testatur, vtique qua suturæ non sunt, suturarum autem certa perpetuo non est sedes. Itaque cum sutura reliquo osse asperior appareat, difficile est sedem à sutura distinguere. Difficilius verò dignoscitur fissura sedi adiuncta,

cum vulnus est in suturis, vulnus enim si in suturas incidat, facilè suturæ franguntur & dissoluuntur. Difficillimè deprehenditur rima ex contusione, si sit in suturis, quoniam suturæ ipsius rimæ speciem referunt. Si verò magna & ampla sit suturarum dissolutio aut dissectio, iam nō erit rima, sed sedes, fissuram autem & contusionem sedi adiungi posse, dictum fuit sententia decimaquinta huius libri.

Καὶ τούτων τὰ πολλὰ πρίεσθαι δεῖ. ἀλλ' οὐ κατ' αὐτὰς τὰς ῥαφὰς πρίειν, ἀλλ' ἀποχωρήσαντα ἐν τῷ πλησίον ὀστέῳ τὴν πρίσιν ποιέεσθαι, ἢν πρίῃς.

Atque horum plurima serra aperire oportet, suturis verò non est admouenda serra, cuius cum erit vsus necessarius, declinando suturas, in osse vicino sectionem moliri oportet.

Cum enumeraret fracturarum differentias, docuit Hippocrates in quibus fracturæ modis ad serram esset veniendum, vt videre licet sententia decima septima huius libri. Quia tamen fieri potest, vt noxæ hæ quæ sectionem requirunt, in suturas incidant, idcirco nunc admonet suturis nunquam admouendam esse serram, sed tunc proximum os esse secandum.

Duabus potissimum de causis sutura serræ

vſum ferre non poteſt. Cùm enim per ſuturas dura meninx oſſi capitis alligetur, cumque per ſuturas vaſa tenuia ingrediantur & excidant, ſerra duræ meningi vim inferret, & eiuſmodi vaſa ſecaret, ſequereturque inde non leuis hæmorrhagia, ſicque non leuior eſſet ſerræ calamitas, quàm fracturæ: præterea cùm ſuturæ ſint infirmiſſimæ ad reſiſtendum ictui & telo, ſerræ etiam vſum non ferrent. Cùm autem dicit Hippocrates recedendum eſſe à ſutura, et os vicinum eſſe ſecandum, id ex vtroque latere ſuturæ fieri debet. Si enim vnius tantum lateris ſuturæ vicinum os ſecaretur, ex ea parte tantum efflueret ſanies, & retineretur in altera, propter interpoſitam membranam. Galenus autem in fine ſexti libri methodi medendi, docet cur in cranij fracturis ſectio ſit neceſſaria. Neceſſe eſt, inquit, fracturam cranij aperire, vt detergere & abluere ſaniem à membrana liceat, nam ſi ex læſis partibus nulla ſanies intro conflueret, ſuperfluum eſſet os excindere, vnicum autem remedium in huiuſmodi capitis fracturis eſt ſectio ſiue apertio nam neque diligaturã, quam in alijs fracturis ceu phlegmonas maximè arcentẽ ratio inuenit, capiti adaptare poſſis, itaque nec quod affluit reprimi, nec quod in ægris partibus continetur, exprimere queas, ſine quibus præſidijs nec reliquorum oſſium vllum ſeruari ſanum poteſt, nec medicamentum eſt vllum, quod vel in alijs partibus citra deligaturam os fractum ſiccum atque ab ſuper vacuis purum reddere valeat. Celſus li. 8. apertionis cranij rationem hanc affert. Cùm humor ad membranam deſcendit, ſed exitum

non habet, ne eam irritet & graues inflammationes moueat, aut cum eandem cerebri membranam, os quod medium desedit, vrget, vel ex fractura veluti aculei quidam pungunt, his ita succurrendum est, vt tamen quam minimum ex osse dematur.

Περὶ δὲ ἰήσιος τρώσιος τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ ὡς χρὴ ἐξελέγχειν τὰς πάθας τὰς ἐν τῷ ὀστέῳ γινομένας τὰς μὴ φανερὰς, ὧδέ μοι δοκέει. Ἕλκος ἐν τῇ κεφαλῇ οὐ χρὴ τέγγειν οὐδενὶ, οὐδὲ οἴνῳ ἄλλος ἥκιστα.

DE curatione autem plagarum capitis, & quomodo noxas ossis minime manifestas deprehendere liceat, ita censeo. Vulnus in capite nulla re madefacere oportet, ne quam minimum quidem, vino.

CVrationem vulneris capitis nunc exponit, vulnusque capitis nulla re humectandum esse dicit, quemadmodum nec aliarum etiam partium, omnia enim vulnera desiccari postulant, cuius rei causam reddit Hippocrates, initio libri de vulneribus, quia siccum sano vicinum est, humidum non Sano. Cùm autem vnaquæque pars, quatenus siccior est, eatenus sicciorem curationem requirat, idcirco ossa caluariæ fracta curationem sicciorem requirunt, quàm ossa aliarum partium. Et remedia quæ fracturis capi-

tis admouentur, communi nomine καταγματικὰ, proprio verò κεφαλικὰ dicta, detergendi, digerendi & ſiccandi facultate prædita ſunt, ſuntque catagmaticis fortiora & valentiora cephalica propriè dicta. Funit verò vtraque ex thure, myrrha, aloë, ex Iridis Ariſtolochiæ & gentianæ radice, farina erui, alumine, maſtiche, Symphyti radice, ſanguine draconis, ſpuma argenti, ſquama æris panacis radicis cortice, & ſimilibus. Cephalicorum remediorum Syluam vide apud Galenum libro 2. κατὰ γένη. Hippocrates autem in curatione vulnerum capitis, vinum reijcit, quia nō ſimplicis vulneris curationem tradit, ſed illius, in quo caluaria carne ſua nudata, noxa aliqua afficitur. Vinum quidem vulneris, qua vulnus eſt, optimum eſt medicamentum, ait Galenus libro 3. methodi medendi capite 4. Hippocrati etiam initio libri de vulneribus, vulnera quælibet madefacere non oportet, niſi vino. Cum enim vulnus omne deſiccandum ſit, vinum nigrum & auſterum, quod intelligit Hippocrates, optimum eſt remedium, quia & per ſe & per accidens deſiccat: habet enim per ſe naturam ſiccandi, repellendo etiam deſiccat, repulſis enim humoribus, qui alioquin affluerent, locum affectum reddit ſicciorem: præterea cum ſimplex vulnus poſtulat tantum agglutinari, optimum κολλητικὸν eſt vinum, cùm enim ſit auſterum & aſtringens coniungit & vnit diuiſas partes, vt in priſtinam vnitatem reducantur. Ergo cum vinum ſimplici vulneri admoueatur, quia ſiccat & agglutinat, neutrum in vulneribus capitis cum cranij fractura præſtare poteſt. Cranium enim non ſolum quali-

qualitate, ſicca medicamenta, ſed etiam tactu ipſo requirit, agglutinatio præterea in caluariæ fractura, minimè ſperanda eſt, nec violato oſſe, vulnus capitis agglutinari expedit, ergo vinum in curatione vulnerum capitis locum habere non poteſt. ἄλλως ἥκιστα quidam vertunt, ne temerè quidem ac ſine delectu, alij verò interpretantur, aut certè quam minimùm: quaſi concedat Hippocrates vſum vini, ſed pauci, in frõte & in reliquo capite ad aliquod tempus, cùm inflammationis ſuſpicio eſt, aut cum ſcalpelli opera neceſſaria eſt. Ego tamen verto, quam minimum, aut minimè, vt ἄλλως ἥκιστα ſit quaſi ὡς ἥκιστα. Videtur enim Hippocrates vini vſum in omnibus capitis vulneribus oſſe patefacto ſemper reiicere. Paulo enim poſt, quamuis in fronte, ad oculos, ad ſupercilia cataplaſmata & vincula admittat, quæ prius reiecerat, & ſtatim alio loco, dum plaga ſecatur, vulnus vniuerſum linamentis impleat, & cataplaſma imponat, nullam tamen vini mentionem facit, quaſi omnino reſpuat. Paulus tamen dum carnem incidit, vt totum os, quod ſecandum eſt, nudum exiſtat, ſi ſuperueniat hæmorrhagia, linamentis ex oxycrato iniectis cohibet, deinde linteolo complicato ex ænolæo vtitur, ſed aduertendum eſt Pauli hæc remedia non ad vulnerum curationem, ſed ad ſymptomatum correctionem admoueri.

Οὐ δὲ καταπλάσσειν, ὐ δὲ μοτῷ τὴν ἕλκος ποιέεσθαι.

NEque cataplaſmate, neque linamento curare.

CAtaplaſma propriè eſt medicamentum molle & conſiſtentia mediocre, quod concoquendo, laxando, repellendo, digerendo, dolorique ſedando potiſſimum adhibetur, etſi ad alios etiam vſus referri poteſt. Cataplaſmatis nomen ſumitur aliquando etiam pro emplaſtro, cerato, vnguento, linimento, hoc autem loco intelligit Hippocrates cataplaſma, quod humectat & calefacit, purique mouendo aut dolori ſedando adhibetur, cuiuſmodi eſt quod ex farina hordej vel tritici cum oleo, vel aqua, vel aceto componitur, vt paulo poſt docebit, cum aget de pericranio ab oſſe diducendo. Itaque in curatione vulnerum capitis cataplaſma reijcit, quoniam oſſa caluariæ, medicamenta qualitate & conſiſtentia ſicca poſtulant. Sic in fractura auris cataplaſmata aliena inducat Hippocrates in fine ſecundi libri commentariorum de articulis, quia maximi ſunt ponderis, abſceſſum concitant, & ſuppurationem infeſtam reddunt. Sic initio libri περὶ ἑλκῶν, quædam vulnera cataplaſma ferre non poſſunt, potiuſque recentia, & ea quæ ſunt in articulis. Μοτὸς ſiue μοτὸν. Latine penicillus aut penicillum, & linamentum, eſt linteum carptum, aut ſimile aliquid, quod vulneribus, vlceribus aut corporis ſectionibus inditur, aut ſiccum aut medicamentis quæ ἔμμοτα dicuntur, oblitum, ad dilatandum, ſiccandum, detergendum, exedendum, ſanguinem ſiſtendum, pus educendum & ad alios vſus, & potiſſimum

ad caua vulnera carne implēda. μοτὰ enim dicū-tur, τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς κοίλοις τραύμασιν ὀθόνια πρὸς ἀναπλήρωσιν τῆς σαρκός. Lintea quæ vulneribus cauis imponuntur, vt carne expleantur, apud Fauorinum. Sunt autem τῶν μοτῶν quinque differentiæ. στρεπτὸς, linamentum tortile, ξυστὸς, rasile, πλαστὸς, concerptum, ἐλλυχνιωτὸς, quod ex ellychnio fieret, erat autem ellychnium apud antiquos, certum quoddam materiæ genus molle quod εἰς τοὺς λύχνους, ad funiculos lucernarum aptissimum erat, ex eo format linamenta Galenus in fine quinti capitis, libri 13. methodi medendi, ad cicatricem inducendam. Initio verò tertij capitis libro decimoquarto methodi eiusdem, ad curationem œdematis vtitur ellychnio molli, loco nouæ spongiæ, vbi vtrumque in oxycrato in quo aliquid aluminis sit, infundit & præparat. πριαπίσκωτὸς, à pudendi humani similitudine, linamentum oblongum, ad Galani formam. Apud Celsum etiam libro septimo capite 28. λημνίσκος est linamentum in longitudinem implicitum, & aliquando linamentum inuolutum & oblongum. Apud Actium etiam est σφηνίσκος linamentum in cuneiformam conuolutum, id autem maius ferè est, quo chirurgi potissimum vtuntur in separandis ab inuicem durioribus corporibus. Apud Hippocratem lib. 2. περὶ γυναικείων est μοτὸς μολύβδινος, linamentum plumbeum. Apud eundem libro secundo περὶ νούσων est μοτὸς κασσιτέρινος isque duplex κοῖλος καὶ στερεὸς, linamentum stanneum duplex cauum & solidum. Cæterum à linamentis abstinet Hippocrates in curatione vulneris capitis osse disse-

cto, vel in conſpectu poſito & ſectionem non requirente, quia neque tunc dilatandum, neque plaga aperta ſeruanda, neque pus effundendum eſt, ſolíſque tunc medicamentis ſiccis, quæ cephalica dicuntur, ad finem vſque medendum eſt, vt ait Galenus in fine ſexti libri methodi medendi. Animaduerte autem Hippocratem, vbi cataplaſma reijcit, à linamentis quoque abſtinere, Sic in fine libri ſecundi commentariorum de articulis, in aure ſecta ab omni cataplaſmate, atque ab omni linamento dicit abſtinendum, quia onerant & dolorem excitant. Paulò poſt cum vulnus in capite ſecat ad oſſis noxas minimè manifeſtas deprehendendas, vulnus omne linamentis implet, quæ in poſterum diem vulnus ipſum ampliſſimum præbeant, & quandiu linamentis, tandiu cataplaſmate vtendum eſt, vtrũque autem non ad curationem oſſis, ſed ad dignotionem fracturæ vſurpatur.

Οὐδὲ πιέζειν χρὴ ἕλκος ἐν κεφαλῇ, ἢν μὴ ἐν τῷ μετώπῳ ἢ τὸ ἕλκος, ἢ ἐν τῷ ψιλῷ τῶν τριχῶν, ἢ περὶ τὴν ὀφρὺν καὶ τὸν ὀφθαλμόν. ἐνταῦθα δὲ γινόμενα τὰ ἕλκεα, καταπλάσιος καὶ ἐπιδέσιος μᾶλλον κέχρηνται, ἢ που ἄλλοθι τῆς κεφαλῆς τῆς ἄλλης. περιέχει γὰρ ἡ κεφαλὴ ἡ ἄλλη τὸ μετώπον πᾶν, ἐκ δὲ τῶν περιεχόντων τὰ ἕλκεα καὶ ἐν ὅτῳ ἂν ᾖ τὰ ἕλκεα φλεγμαίνει καὶ ἐπανοιδίσκεται δι᾽ αἵματος ἐπιρροήν.

NEc verò conſtringere conuenit vulnus capitis niſi in fronte fuerit

vulnus,aut in parte pilis nudata, aut circa ſupercilia & oculos. Vulnera enim quæ hîc fiunt, cataplaſmate & vinculo magis opus habent, quàm alia capitis parte,reliquum enim caput totam frontem continet. Vulnera verò quacumque parte oborta fuerint, ex partibus continentibus inflammantur & intumeſcunt ob ſanguinis influxum.

VInculum vt ait Hippocrates ſententia 4. ſectionis 2. commentarij de officina medici,aliud per ſe remedio eſt, aliud ijs quæ remedio ſunt,ſubſeruit. Vinculum per ſe remedio eſt, quod ſeparata coniungit, quod influentem materiam repellit, & contentam exprimit. Vincuculum ſubſeruit ijs, quæ remedio ſunt, & efficiendi veluti ſocium eſt,quod impoſita præſidia & medicamenta continet. Neutrum vinculum in vulneribus capitis conuenire poteſt, neque enim illud aptum eſt, quod per ſe remedio eſt, cum neque diductas vulneris oras coniungere neceſſe ſit,patefacto & violato oſſe,deligaturam etiam quam in aliis fracturis ceu maximè phlegmonas arcentem ratio inuenit, capiti adaptare non poſſis, vt paulò ante diximus, Itaque nec quod affluit reprimere,nec quod in ægris partibus continetur,exprimere queas, vt docet Gal. in fine ſexti libri methodi medendi. Vinculum verò ſubſeruiens & medicamentum retinens, multò minùs neceſſarium eſt, cum capitis vul-

nus simplex osse in conspectu posito neque linamenta neque cataplasmata requirat: expedit enim cum cataplasma non inducitur, à vinculo quoque abstinere sententia secunda libri περὶ ἑλκῶν.

Hippocrates libro περὶ ἰνβοῦ, quatuor potissimùm medico & chirurgo consideranda dicit in curatione vulnerum, ἐπιδέσματα, φάρμακα, καὶ τὰ περὶ τὸ ἕλκος ὀθόνια, καὶ τὰ καταπλάσματα, fascias medicamenta, lintea circa vulnus, & cataplasmata. Cùm enim hæc in partibus affectis diutius relinquantur, longiori mora vel prosunt magis vel obsunt, quam ea quæ pauco tempore absoluuntur, neque diu parti affectæ inhærent. Itaque hîc in curatione vulnerum capitis, quatuor hæc potissimum examinauit & destinxit, solumque pharmacum cephalicum, idque siccum & aridum vsurpandum esse suadet, frons autem capitis pars anterior est crinibus nuda & superciliis superposita, & lineis quibusdam distincta, quam Hippocrates hîc videtur distribuere in partem capillis nudatam, & eam quæ circa supercilia est, frons verò non habet pilos, quod à capitis pilis tegi possit, si velimus, & si pilos ipsa produceret, oculis esset impedimento, natura autem magna cura prouidit, ne corpus homini negotium facesseret, eumque mancipij instar sibi seruiendo semper addictum haberet, ob eamque etiam causam, superciliorum & palpebrarum pilos æqualem semper seruare magnitudinem instituit, cum capitis & genarum pili plurimùm augeri possint. Ait Gal. cap. 14. lib. 11. de vsu partium.

Cæterum frontis vulnera indigent cataplas-

mate & vinculo, propter inflammationem & tumores, quibus ea pars opportuna est ob defluxiones: Fiunt enim facilè defluxiones ex partibus superioribus in inferiores, aut ex membris continentibus in contenta, vnde scribit Hippocrates frontem à reliquo capite contineri, duobus autem modis pars dicitur contineri situ, & vasorum productione.

Χρὴ δὲ οὐ δὲ τὰ ἐν τῷ μετώπῳ διὰ παντὸς τοῦ χρόνου καταπλάσσειν καὶ ἐπιδεῖν ἀλλ' ἐπιδὰν παύσηται φλεγμαίνοντα, καὶ τὸ οἴδημα καταστῇ, παύσασθαι καταπλάσσοντα, καὶ ἐπιδέοντα, ἐν δὲ τῇ ἄλλῃ κεφαλῇ ἕλκος οὔτε μοτοῦν χρὴ, οὔτε καταπλάσσειν, οὔτ' ἐπιδεῖν, εἰ μὴ καὶ τομῆς δέοιτο.

NEc verò frontis vulnera toto morbi tempore cataplasma aut vinculum requirunt, sed quùm inflammatio cessat & tumor remittitur, tunc & cataplasmata admouendi & viciendi finem facere oportet. In reliquo capite vulnus neque linamentis, neque cataplasmate neque fascijs curare oportet, nisi sectione sit opus.

SI propter inflammationem & tumores vulnera frontis cataplasmate & vinculo opus habent, rationi consentaneum est, vt finita in-

flammatione & sublato tumore, à cataplasmate & vinculo abstineamus. Repetit deinde quod supra docuit vulnera reliqui capitis non esse curanda linamẽtis, cataplasmate, aut fascijs, sed ea solum hîc excipit, in quibus sectioni locus est, quæ linamentis implenda sunt, vt in posterum diem minimè labore aperta seruentur, sicque possit medicus inspicere, qua noxa os teneatur. Quandiu autem adhibentur linamenta, tandiu imponendum cataplasma vt dolorem leniat & inflammationem arceat, vt statim docebit Hippocrates, fascia etiam tandiu necessaria, quandiu cataplasma admouebitur, vt ipsum contineat. frontis verò sectio, cum cutis satis non patet ad ossis læsi inspectionem, recta sit secundum longitudinem aut saltem obliqua, nunquam enim secanda cutis musculosa frontis per transuersum aut secundum fibras, alioquin supercilia non attollerentur, essetque horridus aspectus.

Notabis hic Hippocratem in vulneribus capitis, dum fit sectio, cataplasmata, linamenta & vincula concedere, nullam autem vini facere mentionem, quod vino, nullo modo humectanda capitis vulnera existimet.

Τάμνειν δὲ χρὴ τῶν ἑλκέων ἐν τῇ κεφαλῇ γινομένων καὶ ἐν μετώπῳ· ὅπη ἂν τὸ μὲν ὀστέον ψιλὸν ᾖ τῆς σαρκὸς, καὶ δοκέῃ τι σίνος ἔχειν ὑπὸ τοῦ βέλεος. τὰ δὲ ἕλκεα μὴ ἱκανὰ τὸ μέγεθος τοῦ μήκεος καὶ τῆς εὐρύτητος, ἐς τὴν σκέψιν τοῦ ὀστέου, εἴτι πέπονθεν ὑπὸ τοῦ βέλεος

κακόν, καὶ ὁποῖόν τι πέπονθεν, καὶ ὅσον ἡ μὲν σὰρξ πέφλασται. καὶ τὸ ὀστέον ἔχει τὸ σίνος. Καὶ δ' αὖτε εἰ ἀσινές τέ ἐστιν τὸ ὀστέον ὑπὸ τοῦ βέλεος. καὶ μηδὲν πέπονθε κακόν, καὶ ἐς τὴν ἴησιν, οἵης δεῖται τινὸς τότε ἕλκος, ἥ τε σὰρξ, καὶ ἡ πάθη τοῦ ὀστέου: τὰ δὴ τοιαῦτα τῶν ἑλκέων τομῆς δεῖται. ἂν καὶ τὸ μὲν ὀστέον ψιλωθῇ τῆς σαρκὸς ὑπόκοιλα δὲ ἢ ἐς πλάγιον ἐπὶ πολὺ, ἐπανατάμνειν τὸ κοῖλον, ὅκου μὴ εὐχερὲς τῷ φαρμάκῳ ἀφικέσθαι, ὁκοίῳ ἄν τινι χρῇ. καὶ τὰ κυκλοτερέα τῶν ἑλκέων ὑπόκοιλα ἐπὶ πολὺ, καὶ τὰ τοιαῦτα ἐπανατάμνων τὸν κύκλον διχῆ κατὰ μῆκος, ὡς πέφυκεν ἄνθρωπος, μακρὸν ποιέειν τὸ ἕλκος.

CApitis & frontis ea vulnera secanda sunt, in quibus os carne sua nudatum est, atque à telo violatum esse videtur, vulnera verò in longitudinem & latitudinem non satis sunt patefacta ad inspectionem ossis, num detrimenti quid à telo acceperit, quaúe noxa teneatur, tum quantùm caro ipsa sit contusa, quãtáque sit ossis calamitas, & rursus vtrum os inuiolatum manserit, nihilque mali à telo susceperit, & quod ad curationem attinet, quo tandem remedio indigeat vulnus, siue caro, siue os afficiatur, huiusmodi sane vulnera sectionem postulant.

Quin etiam si os carne nudatum fuerit, vulneráque valde, subcaua in obliquum sint, quod cauum est dissecare conuenit, quâ medicamentum facile non admittitur quocumque tandem indigeat. Vulnera etiam rotunda multumque subcauà sectionem requirunt, orbemque vulneris duabus lineis diuidere oportet, secundum naturalem hominis longitudinem, vulnusque ipsum longum efficere.

VVlnera capitis quæ sectione indigent, admittunt linamenta, cataplasmata & fascias, idcirco nunc docet in quibus vulneribus necessaria sit sectio. Constituit autem tres vulnerum differentias, quæ sectionis vsum requirant. Primùm ea plaga secanda est & latius aperienda, in qua os quidem nudatum est, & à telo videtur esse violatum, sed non satis patefacta est, vt os læsum in conspectu esse possit, eiusque fracturæ species deprehendi, & conueniens remedium admoueri. Secundò, secandum & dilatandum est vulnus, quod osse nudato subcauum est, vt admittat medicamentum. Tertiò plaga rotunda & caua dissecanda est in longitudinem hominis duabus lineis, hoc postremum generalius repetitur libro περὶ ἑλκῶν his verbis. Circularia vlcera si subcaua sint, circulo præcidere oportet vndequaque quæ abscesserunt aut omnia, aut dimi-

dium circuli, secundum naturalem hominis longitudinem.

Cur autem vlcera rotunda fiant, cur difficilius curentur, curque in longitudinem secanda sint, docet Alexander Aphrodiseus problemate 97. libri primi, vide commentarium in sententiam 16. libri περὶ ἑλκῶν. Hinc autem discant Chirurgi non quæuis capitis vulnera temerè dissecare aut dilatare, sed diligenter obseruent tria hæc vulnerum genera, quæ sectionem postulant, quod à paucis hodie obseruatur qui κακουργίαν potius quam Chirurgiam exercent.

Τάμνοντι δὲ κεφαλὴν, τὰ μὲν ἄλλα τῆς κεφαλῆς ἀσφαλείην ἔχει τεμνόμενα. ὁ δὲ κρόταφος, καὶ ἄνωθεν ἐπὶ τοῦ κροτάφου κατὰ τὴν φλέβα τὴν διὰ τοῦ κροτάφου φερομένην, τοῦτο δὲ τὸ χωρίον μὴ τάμνειν, σπασμὸς γὰρ ἐπιλαμβάνει τὸν τμηθέντα, καὶ ἢν μὲν ἐπ' ἀριστερὰ τμηθῇ κροτάφου, τὰ ἐπιδεξιὰ ὁ σπασμὸς ἐπιλαμβάνει, ἢν δ' ἐπὶ τὰ δεξιὰ τμηθῇ κροτάφου, τὰ ἐπ' ἀριστερὰ ὁ σπασμὸς ἐπιλαμβάνει.

Quoties caput secandum est, aliæ quidem partes sine periculo inciduntur, sed tempus, regioque superior iuxta venam quæ per tempora ducitur, tutò non secantur, itaque eam partem minimè incidere oportet, eum enim qui dissectus fuerit, conuulsio corripit, ac si

ſiniſtrum tempus inciſum fuerit, conuulſio dextrum apprehendit, ſin autem dextrum fuerit diſſectum, conuulſio ſiniſtrum occupat.

SEcandum & dilatandum vulnus capitis, Cũ eſt anguſtum, cùm culoſum aut rotundum, tempus tamen vtrumque eiuſmodi ſectionem non fert, Cùm enim per muſculum crotaphitam (qui à temporum cauitate exoriens oſſa omnia temporum contegit) ferantur vena iugularis interior, carotis arteria, rami neruorum à ſexta & quinta coniugatione, non ſine periculo conuulſionis, aut hæmorrhagiæ incidi poſſunt temporum partes. Præterea cum maxillæ inferioris κόρωνον à muſculo temporali deſcendentem tendonem recipiat, motus maxillæ labefactaretur inciſo crotaphita muſculo, eiuſque muſculi vulnus difficillimè agglutinaretur propter motum maxillæ in mandendo & loquendo. Hippocrates autem horum incommodorum non meminit, ſed vnius duntaxat conuulſionis, oppoſitæ & ſanæ partis. Si enim, inquit, incidatur tempus ſiniſtrum, conuulſio corripit dextrum, aut contra. Nam vbicumque muſculi ſunt congeneres, pares numero, robore ac magnitudine, in oppoſitis partibus, reſolutio vnius partis, conuulſionem efficit alterius. Muſculos autem congeneres vocat Hippocrates ἀδελφιξίας commentario tertio de fracturis & commentario 3. de articulis, quaſi frarres, cognatos, germanos, valde ſimiles, maxime coniunctos quique inter ſe

consortium ita habeant, vt vna parte vitiata, alterius actio, situs, habitus & figura læditur. Itaque vbi musculi ab altera maxillæ parte resoluuntur, fit vt altera pars breuior appareat & quasi contracta, ait Galenus commentario 100. in librum tertium de articulis: vbi notandum est Galenum dicere partem quasi contractam & conuulsam, οἷον συνεσπασμένην, quasi ea non sit vera conuulsio, vnde etiam Vessalius conuulsionem quæ fit inter musculos fraternos dicit esse naturalem. Hippocrati autem hoc loco σπασμὸς simpliciter dicitur, vt etiam est, Cùm enim conuulsio sit musculi aut nerui ad suum principium contractio citra voluntatem, in parte opposita & sana erit conuulsio inciso musculo temporali, quamuis enim musculi suo fungantur munere, dum principium suum versus contrahuntur, quia tamen præter voluntatem retrahuntur, conuulsione tentantur. cùm musculus sit motus voluntarij instrumentum, de conuulsione quæ superuenit morituris ex vulnere capitis dicemus postea.

Ὅτ᾽ ἀνατάμνης ἕλκος ἐν κεφαλῇ, ὀστέων εἵνεκα τῆς σαρκὸς ἐψιλωμένων, θέλων εἰδέναι ἔπι ἔχει τὸ ὀστέον κακὸν ὑπὸ τοῦ βέλεος, ἢ καὶ οὐκ ἔχι, τάμνειν χρὴ τὸ μέγεθος τὴν ὠτειλὴν, ὅση ἂν δοκέη αὐτῷ χρῆναι. τάμνοντα δὲ χρὴ ἀναστεῖλαι τὴν σάρκα ἀπὸ τοῦ ὀστέου, ἣ πρὸς τῇ μήνιγγι καὶ πρὸς τῷ ὀστέῳ πέφυκεν. ἔπειτα διαμοτῶσαι τὸ ἕλκος πᾶν μοτῷ, ὅς τις ἂν εὐρύτατον

τὸ ἕλκος παρέξει ἐς τὴν ὑστεραίην ξὺν ἐλαχίστῳ πόνῳ. μοτώσαντα δὲ καταπλάσματι χρῆσθαι ὅσον ἂν χρόνον καὶ τῷ μοτῷ, μάζ ἣν ἐκ λεπτῶν ἀλφίτων, ἐν ὄξει διαμάσσειν ἢ ἕψειν, καὶ γλίσχρην ποιέειν ὡς μάλιστα.

CVm vulnus in capite secas ossium carne nudatorum causa, vt scias sit necne os à telo violatum, ea magnitudine incidenda est plaga, quę videbitur necessaria, incidendo autem diducere ab osse oportet carnem quæ membranæ & ossi adiuncta est, deinde vulnus omne linamentis implere, quæ in posterum diē vulnus amplissimum præbeant minimō dolore. Cum linamenta immiseris, tandiu cataplasmate vtendum, quandiu linamentis, mazáque ex tenui polenta in aceto subigenda & incoquenda est donec maxime glutinosa fiat.

QVid obseruandum sit in capitis incisionē demonstrat, & quatuor nobis potissimūm proponit, primum, plagam eatenus dilatandam, quatenus os læsum conspici possit, deinde, pericranium esse ab osse diducendum, vt nihil ex eō super os relinquatur, siquidem vt ait Celsus, mē-branula quæ sub cute caluariam cingit, scalprō terebrísue lacerata vehementes febres cum in-

flammationibus excitat. Tertiò, vniuersum vulnus esse linamentis implendum, vt in posterum diem apertum seruetur sine dolore, & cohibeatur sanguis, si forte quis erumpat. Quartò, vt superponatur cataplasma ex tenuissima farina hordei torrefacti aceto subacta & incocta donec glutinosa & tenax reddatur. Cuius cataplasmatis vsus dolorem lenit, inflammationem arcet, & nonnullam desiccandi habet facultatē. Cæterùm per carnem ossi & meningi adiunctā, intelligit pericranium, quod ab osse diducendum est vt os conspicuum sit. Non describit Hippocrates qua figura secandum sit vulnus & dilatanda plaga, id Paulus exprimit lib. 6. cap. 90. his verbis, deraso super vulnus capite, duas lineas iuxta rectos angulos mutuò se secantes, quæ literæ X figuram accipiant, incidemus. Harum autem alteram esse conuenit, quæ iam antea erat, deinde quatuor in vertice angulos excoriantes, vt totum os quod perforabitur nudū existat: siquidem sanguis fertur, linamentis ex posca obiectis, cohibebimus, sin minus, siccis, deinde implicito linamēto ex vino & oleo iniecto, conuenienti vinculo vtemur, sequenti die nisi recentius aliquod symptoma prohibeat, perforare os vitiatum aggrediemur. Idem etiam declarat Celsus libri octaui capite quarto, his verbis, plaga si manu facienda est, ea fere commodissima est, quæ duabus transuersis lineis literæ X figuram accipit, vt deinde à singulis procedentibus angulis cutis subsequatur, inter quæ si sanguis fertur, spongia subinde in aceto tincta cohibendus est, occupandusque obiectis lina-

mentis, & caput altius excitandum. Μᾶζα Latinum vocabulum non habet. Scribit autem Aetius libri primi capite de hordeo, mazam esse polentam hordeaceam, quæ sit humore conspersa, & liquore aliquo subacta. Ἄλφιτον, apud græcos quamlibet farinam significat, sæpius verò denotat farinam hordei tosti vel fricti quæ latinis polenta dicitur, polenta enim distat à farina hordei, eo quòd torretur, Plinio lib. 22. cap. 25. Pluribus autem modis fieri polentam scribit idem Plinius libri decimi octaui cap. 7. Græci perfusum aqua hordeum siccant nocte vna, ac postero die frigunt, deinde molis frangunt. Sunt qui vehementius tostum, rursus exigua aqua aspergant, siccentque prius, quàm molant. Alij verò virentibus spicis decussum hordeum recens purgant, madidumque in pila tundunt, atque in corbibus eluunt, ac siccatum sole rursus tundunt, & purgatum molunt. Galenus libro primo de alimentorum facultatibus ex hordeo recenti & nouo mediocriter tosto laudatissimam fieri polentam scribit.

Τῇ δ' ὑστεραίῃ ἡμέρῃ ἐπειδὰν ἐξέλῃς τὸν μοτὸν, κατιδὼν τὸ ὀστέον ὅτι πέπονθεν, ἐὰν μή σοι καταφανὴς ᾖ ἡ τρῶσις, ὁποίη τίς ἐστιν ἐν τῷ ὀστέῳ, μὴ δὲ διαγινώσκῃς εἴ τέ τι ἔχει τὸ ὀστέον κακὸν ἐν ἑωυτῷ, ἢ καὶ οὐκ ἔχει, τὸ δὲ βέλος δοκέῃ ἀφικέσθαι ἐς τὸ ὀστέον καὶ σινάσθαι, ἐπιξύειν χρὴ τῷ ξυστῆρι κατὰ βάθος καὶ κατὰ μῆκος τοῦ ἀνθρώπου ὡς πέφυκεν, καὶ αὖθις, ἢν ᾖ κάρσιον τὸ ὀστέον,

ὀστέον, τῶν ῥήξεων εἵνεκα τῶν ἀφανέων ἰδεῖν, καὶ τῆς φλάσιος εἵνεκα τῆς ἀφανέος τῆς οὐκ ἐσφλωμένης εἴσω ἐκ τῆς φύσιος τῆς κεφαλῆς τοῦ ἄλλου ὀστέου. ἐξελέγχει γὰρ ἡ ξύσις μᾶλλον, ἢν μὴ καὶ ἄλλως καταφανέες ἔωσιν αὗται αἱ πάθαι ἐοῦσαι ἐν τῷ ὀστέῳ ὑπὸ βέλεος. καὶ ἢν ἕδρην ἴδῃς ἐν τῷ ὀστέῳ τοῦ βέλεος, ἐπιξύειν χρὴ αὐτήν τε τὴν ἕδρην τοῦ βέλεος, καὶ τὰ περιέχοντα αὐτὴν ὀστέα, μὴ πολλάκις τῇ ἕδρῃ προσγένηται ῥῆξις καὶ φλάσις, ἢ μούνη φλάσις, ἔπειτα λανθάνῃ οὐ καταφανέα ἐόντα.

Postridie cum linamentum exemeris, osque læsum inspexeris, si non perspicua sit noxa, quæ in osse est, nec discernere possis, an os in se aliquid vitij habeat, necne, ipsum verò telum ad os penetrasse & violasse videatur, tunc os scalpro deradendum est secundum profunditatem & longitudinem hominis, atque ex aduerso, si os transuersum fit, propter fissuras quæ aspectum fugiunt, & propter obscuram contusionem, quũ caput ex suo naturali statu nõ intrò cessit dimotum ab alio osse vicino. Scalpro enim facile deprehenduntur affectiones ossis à telo illatæ, siquidem alioquin manifestæ non fuerint. Quod si teli vesti-

gium in osse animaduertas, deradendū erit ipsum teli vestigium, & quæ in vicino sunt ossa, ne forte sæpius sedi adiuncta sit fissura & contusio, aut sola contusio, quæ cum perspicuę non sunt, postea latent & sensum fugiunt.

PLaga à Chirurgo incisa linamentis impletur, vt in posterum diem aperta maneat, vtque patefacto osse & dilatato vulnere, tunc oculis subijciatur ossis fractura si quæ sit. Si verò ne tunc quidem deprehendi possit, ex sermone verò saucij, ex ictu, ex telo, & ex symptomatis quæ superuenerunt, probabile sit os à telo esse violatum, tunc ad scalpri vsum veniendum esse docet. Itaque nunc demonstrat, quomodo deradendum sit os, & quibus fracturæ modis necessarius sit scalpri vsus. Admonet autem Hippocrates os abradendum esse non solum in altitudinē & longitudinem hominis, sed etiam in latitudinem, aut aliter, si forte os violatum transuersum sit. Itaque nihil mutandum in verbis Græcis Hippocratis. Cum autem rima tenuis & angusta non sit perspicua, neque statim post ictum, neque ijs diebus, quibus opis aliquid contra mortem homini possit afferri: cumque quod contusum est, statim ab ictu sub oculos non cadat, neque etiam specillum eiusmodi rimas, & contusiones deprehendere possit, meritò dixit antea, eiusmodi ossium noxas opere esse explorandas. Quid per ἔργον sine opus intellexerit, nūc aperit, dum os scalpro deradendum dicit, ad co-

gnoſcēdas eiuſmodi fracturas, paulo poſt adiunget, atramenti, vel medicamenti nigri admotionem. Sedem autem reliquè veſtigium, ipſámque effracturam indicat ſpecillum, quæ etiam oculis facile cognoſcuntur; ſi quis velit intueri, dixit antea Hippocrates, ſed quoniam ſedi adiungitur etiam aliquando fiſſura, & contuſio, vel ſola cōtuſio, idcirco etiam ſuadet vt & ſedem & adiacentia oſſa ſcalpro abradamus; vt latentes rimæ & contuſiones in conſpectum venire poſſint.

Ἐπειδὰν δὲ ξύσῃς τὸ ὀστέον τῷ ξυστῆρι, ἢν μὴ δοκέῃ ἐς πρίσιν ἀφήκειν ἡ τρῶσις τοῦ ὀστέου, πρίειν χρὴ, καὶ τὰς τρεῖς ἡμέρας μὴ ὑπερβάλλειν ἀπρίωτον, ἀλλ' ἐν ταύτῃσι πρίειν ἄλλως τε καὶ τῆς θερμῆς ὥρης, ἢν ἐξ ἀρχῆς λαμβάνῃς τὸ ἴημα.

Cum os ſcalpro deraſum fuerit, ſi videatur oſſis noxa ſerræ vſum deſiderare, tunc protinus ſerra excidendum, nec tertium diē præteribis, vt excidas, ſed intra triduum ſecabis, tùm alias tum potiſſimum tempore calidiore, ſi modo ab initio curationem ſuſceperis.

Os deraſum ſcalpro ſi habeat rimam aut contuſionem, aut ſedem rimæ & contuſioni adiunctam, vel ſoli contuſioni, ſerra ſecandum eſt, & intra triduum, ſi modo ægrum ſtatim ab initio curandum ſuſceperis, potiſſimumque tempore calidiore, quoniam vt prius dixit, ho-

mo quacumque parte capitis acceperit vulnus, diutius vitam protrahet hyeme, quam æstate. Intra triduum os excidendum dicit, antequã nempe inflammatio & alia mala symptomata superueniant. Hanc autem sententiam sic exprimit Celsus lib. 8. cap. 2. Si ossis capitis excidendi necessitas est, non sunt audiendi, qui osse nudato, diem tertium expectant, vt tunc excidant, ante inflammationem enim tutius omnia tractantur, itaque quantum fieri potest eodem momento & cutis incidenda est, & os detegendum & omni vitio liberandum. Paulus autem libro sexto Hippocrati repugnare videtur, qui hyeme quidem ante decimum quartum, æstate verò ante septimum os auferri iubet, cum vulneratum ab initio curandum susceperis, priusquam praua oboriantur symptomata. Tutius tamen consiliũ Hippocratis quàm Pauli. Nonnulli etiam hunc Pauli contextum mancum & mutilum existimant, sicque restituendum censent, membrana quidem si abscessit, & tu ab initio ægrum curandum suscepisti, continuò serra eximendum os, nec vltra triduum differendum. Si verò ab initio curandum ægrotum non suscepisti, hyeme quidem ante decimum quartum omnino os auferre tentato, æstate ante septimum, priusquam commemorata oboriantur symptomata. Consulit Hippocrates sectione tertia de fracturis sententia 40. ossa fracta & luxata impellenda & extendenda esse eodem die vel postridie, non autem tertio, quarto verò vel quinto minimè, nam si his diebus lacessita ossa nequeant in suam sedem reuerti, inflammatio superueniet, in vniuersum

enim, inquit ſententia 33. eiuſdem ſectionis, omnia vulnera tertio & quarto die minimè vexanda ſunt, omnisque opera ſpecilli fugienda eſt his diebus, & quibuſcumque alijs vulnera recrudeſcunt & exaſperantur, in ſumma enim vulnera pleraque tertio aut quarto die recrudeſcunt, tū quæ inflammatione tum quæ ſordibus grauiter excipiuntur aut febrem inferunt, quo præcepto nullum aliud tradi poteſt vtilius, nam quæ ſunt in arte medendi grauiſſima, quibus id non ſit commune? non enim pertinet ad vulnera tantum ſed ad alios quoque morbos complures. Vbi autem ſeptem dies aut paulo plures tranſierint, ait ſententia 42. eiuſdem ſectionis, ſi febris non adſit, atque vulnus inflammatione vacet, tunc minus prohibemur eniti ad reponendum, vbi voti compotes fieri poſſe non deſperemus, ἢν δὲ μὴ, οὐδὲν δεῖ μάτην ὀχλέειν, καὶ ὀχλέεσθαι. Aliter non conuenit temerè ſuſcipere & exhibere moleſtiam. In vulneribus autem capitis non licet expectare. Septimum diem, aut tempus quo inflammationis impetus conquieuerit, quia periculum eſt, ne interim corrumpatur cerebrum. Cæterum quæ hîc præcipiuntur, peragenda ſunt cum per initia ad ægrum curandum vocatus fueris, poſtea docebit, quid agendum ſit, cum ab initio curationem non ſuſceperis, neque enim eodem modo ſecandum os initio & alijs diebus.

Ἢν δὲ ὑποπτεύσῃς μὴ τὸ ὀστέον ἐρρωγέναι, ἢ πεφλάσθαι, ἢ ἀμφότερα ταῦτα, τεκμαιρόμενος ὅτι ἰσχυρῶς τέτρωται ἐκ τῶν λόγων τοῦ τρωμα-

πίϛ, καὶ ὅτι ὑπὸ ἰσχυρῦ τῦ τρώσαντος, ἢν ἕτερος ὑφ' ἑτέρυ τρωθῇ, καὶ τὸ βέλος ὅτῳ ἐτρώθη, ὅτι τῶν κακούργων βελέων ἦν. ἔπειτα τὸν ἄνθρωπον ὅτι δῖνός τε ἔλαβεν. καὶ σκότος, καὶ ἐκαρώθη, καὶ κατέπεσεν. τύτων δὲ ὕτω γινομένων, ἢν μὴ διαγνώσκῃς, εἰ ἔρρωγε τὸ ὀστέον, ἢ πέφλασται, ἢ καὶ ἀμφότερα ταῦτα, μήτε ἄλλως ὁρῶν διειδῇς, ἐπὶ τὸ ὀστέον τήκων τὸ μέλαν, φαρμάκῳ τῷ μέλανι φαρμάκῳ τῷ τηκομένῳ τὸ ἕλκος, ὑποτείνας ὀθόνιον, ἐλαίῳ τέγξας, εἶτα καταπλάσας τῇ μάζῃ ἐπιδῆσαι. τῇ δὲ ὑστεραίῃ, ἀπολύσας καὶ ἐκκαθήρας τὸ ἕλκος ἐπιξῦσαι. καὶ ἢν μὴ ᾖ ὑγιές, ἀλλ' ἐρρώγῃ καὶ πεφλασμένον ᾖ, τὸ μὲν ἄλλο ἔσται ὀστέον λευκὸν ξυόμενον, ἡ δὲ ῥωγμὴ καὶ ἡ φλάσις, καταξκεχέντος τῦ φαρμάκου, δεξαμένη τὸ φάρμακον ἐς ἑωυτὴν μέλαν ἐόν, ἔσται μέλαινα ἐν λευκῷ τῷ ὀστέῳ τῷ ἄλλῳ.

QVod si suspiceris os fissum, aut contusum, aut vtroque modo læsum esse, coniecturam faciens ex vulnerati sermone, quod vehemẽter sauciatus fuerit, & à valido vulnus inferente, si alter ab altero fuerit læsus, quódque telum quo percussus fuit, ex genere maleficorum sit. Quòd præterea vertigo superuenit, oculi obcæcati sunt, sine sensu quasi dormiens iacuit, & concidit. Quæ cùm

ita ſint, ſi tamen perſpectum non habeas, ſit ne fiſſum os, aut contuſum, aut vtroque modo violatum, nec aliter oculis dignoſcere poſſis, ſuper os inducendum eſt atramentum ſcriptorium, plagáque nigro medicamento liquido oblinenda, linteúmque oleo imbutum ſupertēdendum, & dein cataplaſma ex diluta polenta imponendum, faſcijſque alligandum: poſtridie autem reſoluto & expurgato vulnere, os abradendum eſt, quod ſi non fuerit integrum, ſed vel fiſſum, vel contuſum, reliquum quidem os abraſum, album erit, fiſſura verò vel contuſio quæ medicamentum nigrum dilutum imbiberit, nigra conſpicietur in alio oſſe albo.

CVm ex vulnerati reſponſo, ex vulneris magnitudine, ex vulnerantis robore, ex teli genere, ex ſymptomatis ſuperuenientibus probabile eſt os eſſe violatum, neque tamen oſſe nudato, noxa deprehendi poteſt, oculis, ſpecillo, aut ſcalpro, poſt vſum ſcalpri, vel atramentū ſcriptorium, vel nigrum medicamentum dilutum, ſuper os inducit, plagæ linteum prætendit, oleoque madefacit, cum cataplaſma ex polenta diluta imponit, & alligat, poſtridie verò iterum abradit, nigritiem continet ſi quid fiſſum aut cōtuſum eſt. Hic autem locus apud Hippoc. Græcum, mendoſus & corruptus apparet, ideoque

asterisco notatus, quem nos restituimus nonnullis tantum literis immutatis, vt veterem lectionem tot sæculis totque doctorum medicorum calculis comprobatam retineremus. Vt etiam τὸ μέλαν γραφικὸν, καὶ τὸ μέλαν φάρμακον non mutarem, suasit Paulus qui libro sexto ad explorandam rimam angustam & capillarem sensum fugientem, infundit φάρμακόν τι μέλαν ὑγρὸν ἢ καὶ αὐτὸ τὸ γραφικὸν μέλαν. pharmacum aliquod nigrum liquidum, aut etiam atramentum scriptorium. Cornelius item Celsus aperto vulnere, si ne tum quidem rima manifesta est, inducit super os atramentum scriptorium, deinde scalpro id deradendum dicit, continet enim nigritiem, siquid fissum est. Galenus etiam in exegi linguarum Hippocratis hîc μέλαν φάρμακον legit, & in dictione μέλανι φαρμάκῳ admonet hoc nigrum medicamentum ab Hippocrate describi libro περὶ ἑλκῶν, quod est vel Caricum vel aliud simile: quamuis etiam describat Hippocrates aliud μέλαν φάρμακον, in notis quæ adiecta sunt libro primo de morbis mulierum, quod fit ex squama æris, & flore æris, seorsim tritis, & simul mistis. Itaque nihil temere in authoribus obliterandum. Cum autem oleum vlceribus alienũ sit, eaque reddat sordida, cumque oleum cranio humectando sit inimicum, cur linteum plagæ supertensum oleo madefacit? non certè, vt quidam putant ad dolorem leniendum, qui osse, deducto pericranio, nullus esse potest, sed ad penetrationem atramenti, quod cum astrictione sit præditum, non penetraret in in rimulas tenues & angustas, nisi adderetur oleum, quod cum aereum, humidum & tenuium

partium fit, facile huc & illuc deffluit. Itaque valeat Auicennas qui statim super fissuram oleum rosatum tepidum infundendum censet. Eo vsque autẽ olei rosati vsus processit, vt Chirurgi quodlibet capitis vulnus ad satietatem & nauseam vsque eo perfundant, quod contra Hippocratis præcepta fieri nemo non videt.

Ἀλλὰ χρὴ αὖθις τὴν ῥωγμὴν ταύτην φανεῖσαν ἐπιξέειν κατὰ βάθος, καὶ ἢν μὲν ἐπιξύων τὴν ῥωγμὴν ταύτην φανεῖσαν μέλαιναν ἐξέλῃς καὶ ἀφανέα ποιήσῃς, φλάσις μὲν γεγένηται τοῦ ὀστέου ἢ μᾶλλον ἢ ἧσσον, ἥ τις περ ἔρρηξε καὶ τὴν ῥωγμὴν τὴν ἀφανισθεῖσαν ὑπὸ τοῦ ξυστῆρος. ἧσσον δὲ φοβερὸν, καὶ ἧσσον ἂν πρῆγμα ἀπ' αὐτῆς γένοιτο ἀφανισθείσης τῆς ῥωγμῆς. ἢν δὲ κατὰ βάθος ᾖ, καὶ μὴ ἐθέλῃ ἐξιέναι ἐπιξυομένη, ἀφίκει ἐς πρίσιν ἡ τοιαύτη ξυμφορή.

Iterum autem rimam quæ nigra paret, profunde radere oportet, quod si radendo rimam hanc quam nigram conspicis, exémeris, & è conspectu omnino summoueris, contusio quidem fuit ossis magis aut minus, quæ rimam hanc à scalpro detractam, interrupit. Sed minus verenda, minusque negotij exhibet rima eiusmodi delitescens. Sin autem profunda sit & abradendo non possit deleri, serrę vsum postulat ista calamitas.

CVm inductum fuerit ſuper os atramentum vel medicamentum aliquod nigrum, poſteróque die reſoluto & expurgato vulnere, ſi os abraſum fiſſuram aut contuſionem in ſe habeat, nigritiem retinebit, quo loco fiſſum aut contuſum erit, ideò nunc admonet, vt iterum rimam quam nigram intuemur, profunde abradamus. Sunt enim quædam rimæ ſuperficiales, quædam quæ ad diploem vſque perueniunt quædam minùs profundæ, tuncque conuenit tandiu raſuræ inſiſtere, donec rimæ ſignum aboleatur. Cùm autem rima per totum os ad imum penetrat, tūc ſerræ vſus neceſſarius eſt, vt ſaniei & lædentibus membranam pateat exitus. Hic locus ſubobſcurus eſt, & à Vidio non deprehenſus, quod vim verbi græci ἔῤῥηξε non conſiderarit. Sic enim tranſtulit, Colliſum quidem os fuit magis aut minùs, atque ob id etiam rima fiſſum, quā ſcalper detraxit. Alius ita vertit, Contuſio facta eſt in oſſe, vel magis vel minus, quæ rimam fecit. Cornarius propius ad ſenſum Hippocratis accedit, ſic, Contuſio oſſis aut magis aut minus facta fuit, quæ ſanè etiam fiſſuram à ſcalpro raſorio deletam, rupit. Vult enim ſignificare Hippocrates, non os ideo fiſſum, quod colliſum, nec à contuſione oſſis fieri iſtam rimam, ſed à contuſione abrumpi, dirimi, interſecari, reprimi. Cùm enim quod contunditur, in ſeſe cogatur, fiſſurā dirimit & intercidit, quod videre licet in plumbeis & æneis vaſis, quæ colliduntur quidem & contunduntur, nec facile finduntur. Dixit quidem Hippocrates, antea, quodcumque telum os findit, idem etiam contundit os magis aut mi-

nus, & paulo post. Collidi & contundi potest os, nullaque fissura contusioni adiungitur in osse.

Ἀλλὰ χρὴ πρίσαντα τὰ λοιπὰ ἰητρεύειν τὸ ἕλκος. φυλάσσεσθαι δὲ χρὴ ὅπως μή τι κακὸν ἀπολαύσῃ τὸ ὀστέον ἀπὸ τῆς σαρκὸς, ἢν κακῶς ἰητρεύηται. ὀστέῳ γὰρ καὶ πεπρισμένῳ, καὶ ἄλλως ἐψιλωμένῳ, ὑγιεῖ δὲ ἐόντι, καὶ ἔχοντι τὶ σίνος ὑπὸ τοῦ βέλεος, δοκέοντι δὲ ὑγιεῖ εἶναι, κίνδυνός ἐστι μᾶλλον ὑπόπυον γενέσθαι ἢν καὶ ἄλλως μὴ μέλλῃ, ἢν καὶ ἡ σὰρξ ἡ περιέχουσα τὸ ὀστέον κακῶς θεραπεύηται, καὶ φλεγμαίνηται, καὶ περισφίγγηται. πυρετώδες γὰρ γίνεται, καὶ πολλοῦ φλογμοῦ πλέον. καὶ δὴ τὸ ὀστέον ἐκ τῶν περιεχουσῶν σαρκέων ἐς ἑωυτὸ θέρμην τε καὶ φλογμὸν, καὶ ἄραδον ἐμποιέει καὶ σφυγμὸν, καὶ ὅσα περ ἡ σὰρξ ἔχει κακὰ ἐν ἑωυτῇ, καὶ ἐκ τουτέων ὧδε ὑπόπυον γίνεται.

Verumenimverò postquam serra os aperueris, vulneri adhibenda curatio, cauendúmque nequid detrimenti percipiat os ex carne perperam curati. Ossi enim aperto, aut alioquin carne nudato, sed integro, aut quamuis à telo violatum sit, sed integrum appareat, periculum imminet magis ne purulentum euadat, quod alioquin euenturum non esset, si caro ipsum ambiens male curetur, in-

flammetur & comprimatur: igneum enim euadit, multóque calore flagrat: etenim os ipsum ex ambiente carne, calorem, inflammationem, perturbationem, pulsationem in se contrahit, & quæcumque caro in se habet mala, & ab ijs sic purulentum euadit.

FRacturæ vbi carnis vulnus adijcitur, duplicem curationem admouet Hippocrates, initio tertię sectionis commentar. de fracturis. Sic etiam hoc loco, explorata ad vnguem ossis nudati fractura, cum os serra excidendum docuit, non negligendam esse vulneris quod in carne est, curationem præcipit, quum os ambientis carnis mala in se facile contrahat. Curandi autem vulneris quod in carne est præcepta repetenda sunt ex libro de vulneribus. In curatione autem vulneris, quod in carne est, tria proponit, ex quibus ossa vitiari protinus contingit, cùm caro male curatur, inflammatur, & constringitur. Caro autem male curatur, cùm medicus abstinentiam & aquam non imperat, cum sanguinem non mittit, cum aluum non purgat, cum vulnus non desiccat, sed nimium humectat, cum carnem contusam & contritam non celerrimè suppurat, cum carnem supercrescere sinit. Inflammatur etiam caro ab ijsdem neglectis, & præterea cum cataplasma non vicinis partibus impositum, sed oris plagæ receptum pus supprimit, dum caput multis operimentis oneratur,

dum linamenta, lintea copiosa inijciuntur, quæ calorem mouent. Comprimitur caro ab arctioribus vinculis, a fascijs multis, & similibus. Sic etiam Hippocrates in fine sectionis secundæ commentariorum de articulis, vinculum quodlibet in fractura auris inimicum esse dicit, neque enim ita laxum circumdabitur, quod si magis astringatur, plurimum officiet, quandoquidem integra auris sub vinculo astricta dolet, pulsu vexatur atque inflammatione. Quomodo os fiat ὕπυπνον & purulentum declarat postea Hippocrates cum agit de prognostico mortis. Os fieri dicit πυρετώδες febricitans, vt libro de vulneribus, sententia quinta. Pus nominat πυρώδες igneum. Sic sententia octaua lib. 3. commentar. de fracturis, vlcus appellat σφυγμώδες καὶ πυρώδες, pulsu affligens & igneum, & Galenus in commentario inquit. Poterat Hippocrates vlcus dicere πυρετώδες febricitans, sed dixit πυρώδες igneum, sumpto vocabulo ab igne quem πῦρ vocant, quo ardorem, vt mea fert opinio, nobis reduceret in memoriam, quoniam & febris quæ πυρετὸς, Græce nuncupantur, ab eodem vocabulo ducitur, quum nihil aliud sit febris quam igneus calor. Omnibus malis afficitur os, quibus caro vexari solet, inquit Hippocrates, quod ne mirum videatur, asserit os ex carne ambiente contrahere calorem, inflammationem, perturbationem, & pulsationem, addit postea sphacelum siue corruptionem, quæ mala per accidens ossi communicantur. Caro inflammata & putrescens, os viciniuin igneum & calidum reddit, cariem etiam & corruptionem inducit: veram autem inflam-

mationem non patitur os, ſed inflammatorium quid, & potius phlogoſim, quam phlegmonem: Dicit etiam perturbationem cadere in os. Eſt autem ἄραδος ſiue perturbatio, turbulenta motio & pugna, quàm in ventriculo affert ciborum varietas, aliquando eſt cordis pulſatio & motio ex vehementi exercitatione, hîc autem ſignificat agitationem & ταραχὴν ſiue turbulentam motionem quæ in oſſibus oboritur. Σφυγμὸς ſiue pulſus, motus eſt cordis & arteriarum. Commentatio verò in aphoriſmum 21. lib. 7. σφυγμὸς ſiue pulſatio, moleſtus eſt quidam ſenſus & dolor, arteriarum motione factus. Arteriæ quidem in homine bene valente, ſine dolore pulſant, cum dolore verò quando oborta eſt inflammatio, aut affectus aliquis phlegmonodes, aut abſceſſus, καὶ ὀδύνη σφυγμώδης ἢ σφυγματώδης, dolor pulſatorius, propriè & per ſe ad arterias pertinet, eſtque inflammationi propriùs, non omni quidem, ſed maiori. Pulſatio autem in oſſe, ad arterias, quæ in diploe ſunt, referri poteſt. Cùm enim inter duas cranij laminas contineantur venæ & arteriæ, cur non ibi pulſatio & ſuppuratio fieri poteſt.

Καλὸν δὲ καὶ ὑγρὴν τε εἶναι τὴν σάρκα ἐν τῷ ἕλκει, καὶ μυδῶσαν, Καὶ ἐπὶ πολλὸν χρόνον καθαίρεσθαι· ἀλλὰ χρὴ διάπυον μὴ ποιῆσαι τὸ ἕλκος ὡς τάχιστα. οὕτω γὰρ ἂν ἥκιστα φλεγμαίνοι τὰ περιέχοντα τὸ ἕλκος, καὶ τάχιστα καθαρὸν εἴη. ἀνάγκη γὰρ ἔχει τὰς σάρκας τὰς κοπείσας, καὶ φλασθείσας

ὑπὸ τοῦ βέλεος ὑποπιύους γενομένας, ἐκτακῆναι· ἐπειδὰν δὲ καθαρθῇ, ξηρότερον χρὴ γίγνεσθαι τὸ ἕλκος. οὕτω γὰρ ἂν τάχιστα ὑγιὲς γένοιτο ξηρῆς σαρκὸς βλαστούσης καὶ μὴ ὑγρῆς, καὶ οὕτως οὐκ ἂν ὑπερσαρκίσῃ τὸ ἕλκος.

CAlamitosum etiam in vulnere carnem humidam esse, & perniciosa sanie madentem, & longiori tempore expurgari, sed vt quàm celerrimè vulnus suppuret, elaborandum, sic enim minimè inflammabuntur vicinæ partes, ipsúmque purum citissimè reddetur, necesse est enim carnes contritas & à telo contusas, in pus versas tabescere: postea cùm expurgatum fuerit, siccius reddatur vulnus necesse est. Sic enim statim sanum fiet, emergente carne sicca, non humida, sic etiam caro vulneri minimè supercrescet.

CVm siccum ad sanum propius accedat, humidum ad non sanum, caro vulneris humida, vulnus à sanitate longius abesse testatur. Caro etiam perniciosa sanie madens, & nimia vligine marcescens, nimioque humore putrescens, vulnus malignum ostendit. Galenus commentario in sententiam 20. lib. 2. de fracturis, cùm os ex toto corrumpitur, Veteres id vitium σφάκελον appellasse scribit, quod vbi carnosis par-

tibus accidit, alijs nominibus nuncupasse. Vocat etiam Hippocrates carnem tota substantia corruptam, σάρκα σαπρὰν, μυδῶσαν, σηπομένην, putridam humore vitioso madentem & marcidam. Μύδησις etiam propriè est putredo earum partium quæ vitioso aliquo humore madent & defluunt. Perniciosum est etiam vulnus longiori tempore expurgari, id enim arguit partis aut natiui caloris infirmitatem, aut humoris affluentis copiam & prauitatem, quod potissimum prouenit ex vulneris carne lacerata & contusa, expirat enim per vulnus calor natiuus, & ex perruptis venulis suffunditur sanguis, qui inhiberi non potest quominus putrescat, vnde elaborandum, vt quàm celerrimè eiusmodi vulnus suppuret. Vbi autem suppurauerit, tolletur & vulneris & partium vicinarum inflammatio, imò & febris, ex Aphorismo 47. libri 2. Inflammatur autem vulnus, & quod iuxta est, cum ad suppurationem spectat, quòd in suppuratione sanguis eo vsque feruet & immutatur, donec putrescens conuertatur in pus, ait Hippocrates lib. περὶ ἑλκῶν. Idem etiam declarat Galenus commentario in aphorismum 47. lib. 2. Dum pus conficitur fit dolor, extenta simul & calefacta præter naturam inflammata particula, febres sequuntur, vbi cor vitę principium accensum fuerit, & hæc ambo contingunt ex quadam veluti ebullitione atque exustione sanguinis, qui vbi ex toto exustus fuerit, reliquū eius fit pus, quemadmodùm ex lignorum exustione cinis. Necesse autem esse, carnem contusam & contritam a telo, putrefactam & in pus versam tabescere, deinde nouam creari, docuit Hip-

Hippocrates libro περὶ ἑλκῶν, & hoc etiam libro, cùm ageret de telis quæ ossis findendi, collendi, & effringendi vim habent. Caro autem non supercrescit ijs vulneribus quæ rectè, atque vt res postulat assidue purgantur, quæque siccis præsidijs curantur, nisi contusa sint, docet Hippocrates eodem libro περὶ ἑλκῶν, & Galenus lib. 4. Therapeut. cap. 5. Vulnus enim humidum plurimum solet generare carnis infirmioris, quæ supercrescit, siccum verò & bene purgatum, minus quidem carnis sed siccioris & firmioris producit, vnde statim sanescit, sicque caro minimè supercrescit.

Ὁ δὲ αὐτὸς λόγος καὶ ὑπὲρ τῆς μήνιγγος τῆς περὶ τὸν ἐγκέφαλον. ἣν γὰρ αὐτίκα ἐκπρίσας τὸ ὀστέον, καὶ ἀφελὼν ἀπὸ τῆς μήνιγγος ψιλώσας αὐτὴν, καθαρὴν χρὴ ποιῆσαι ὡς τάχιστα καὶ ξηρὴν, ὡς μὴ ἐπὶ πουλὺν χρόνον ψιλὴ ἐοῦσα μυδάη τε καὶ ἐξαίρηται. τούτων γὰρ οὕτω γινομένων, σαπῆναι αὐτὴν κίνδυνος.

EAdem quoque ratio est membranæ quæ cerebrum tegit, nam si protinus secto osse & à membrana separato eam nudaueris, quàm celerrimè purganda & siccanda est, ne diutius nudata existens superfluo humore madeat & intumescat, quæ cùm accidunt, periculum est ne putrescat.

EXciſo oſſe rationem habendam dicit duræ meningis, eámque citiſſimè ſiccandam & expurgandam eſſe, ſi enim diutiùs nuda relinquatur, aërique externo & inſueto exponatur, facilè corrumpetur. Quod etiam docet euenire omento Hippocrates, aphoriſmo 58. lib. 6. Si omentum exciderit, neceſſariò computreſcit. Si vulnerato ventre extra corpus excidat omentum, nudatúmque fuerit, aërique externo exponatur facilè putreſcit, cùm enim omentum ſit πιμελώδες καὶ ἰνώδες, pinguis & neruoſæ ſubſtátiæ, aëris occurſum non fert, & quamuis vel minimo tempore nudetur, tamen putreſcit, ait Galenus in commentario. Sic etiam dura & craſſa cerebri meninx ſi poſt exciſionem oſſis, diutius nuda relinquatur, aërique exponatur, periculum eſt ne computreſcat, citius tamen multo epiploon quàm meninx, cùm hæc ſiccior ſit, illud humidius. Hic autem locus mutilus antea in Hippocrate legebatur, nos ex Hippocrate vocem ψιλὴν quæ deſiderabatur reſtituimus, cùm alij ὑγρὴν, alij οἰδέουσα perperam legant, eadem enim hæc verba poſtea repetuntur, οὐ γὰρ συμφέρει τὴν μήνιγγα ψιλὴν εἶναι τοῦ ὀστέου ἐπὶ πολὺν χρόνον κακοπαθοῦσαν, ἀλλὰ τελευτῶσαν σάπη καὶ διαμυδήσῃ. non enim confert membranam [vexatam diutiùs relinqui nudam, tandem enim putrido & fætido madore corrumperetur. Satim in codice veneto, Baſilieſi, Pariſienſi μυδὴν legebatur, in œconomia Hippocratis à Fœſio deſcripta μυδὴν, quàm lectionem probare non potimus. Scaliger μυδὼν legendum putat. Sed non conuenit cum

modo proximi verbi ἐξαίρηται, itaque μυδᾷν legere malo, ſine contractione, Ionica enim lingua nihil contrahit. Cæterùm Galenus commentario in ſententiam 43. ſectionis 3. de fracturis, docet etiam vulnus muſculorum non eſſe nudandum ſua cute. Scire licet, quæcumque cute conteguntur, hac eadem delectari, καὶ μηδὲν ἀβλαβῶς γυμνοῦσθαι, nihilque nudari innocenter. Nuda caro ſi ſine cute relinquatur ægrè ad cicatricem perducitur, præterquam quòd morſum omnino ſentit & redditur ſordida. Membrana præterea quæ cerebrum tegit, iiſdem etiam afficitur malis quibus os ipſum, nam ignea euadit, inflammatur, pulſatione agitatur, purulenta fit, denique putreſcit; imò & quandóque ſquamas ex ſe emittit. Vnde fortaſſe dixit Hippocrates, eadem quoque eſt ratio membranæ quæ cerebrum tegit. Remedia quæ vim habent ſiccandi & expurgandi propoſuit libro περὶ ἑλκῶν, quibus cerebri membranam, oſſe ſecto purgare & ſiccare licet. Nos ex Galeno, Celſo, & Paulo, huius etiam curationis præſidia proponemus. Mēbranæ igitur cerebri poſt oſſis ſectionem, duplex apud veteres fuit purgatio, vna quidem πρᾳοτάτη καὶ παρηγορικωτάτη, leniſſima & blandiſſima, Altera ἡ ταύτης ἐναντιωτάτη, huic penitus contraria, quæ perficitur per medicamenta vehementiſſimè ſiccantia. Tempore Galeni, Pergameni, atque adeo qui per totam Aſiam, capitis oſſa fracta perforabant, columbæ ſanguinem in craſſam cerebri membranā effundere ſolebant Romani vero oleum ro-

saceum, scribitque Galenus se sexentos nouisse eorum quibus Romæ perforata fuerunt capitis ossa, nec quicquam ab vsu rosacei, citra columbæ sanguinem offensos, verum id calidum sit, æque atque columbæ sanguis necesse est, circa principium 10. libri de simplicium medicamentorum facultatibus. Et hæc fuit lenissima curatio. Contrariam vero per siccantia laudabat Meges Sydonius, & Eudemus ciuis pergamenus, qui nudatæ membranæ ilico emplastrum quod Isin vocant, imponebat, & extrinsecus oxymel. Isis autem emplastrum describitur à Galeno lib. 4. κτ̀ γένη circa finem, & à Paulo lib. 7. hoc modo. Squamæ æris, æris combusti, aristolochię rotundæ, singulorum ʒ.8. aluminis scissi ʒ. 6. salis ammoniaci, thuris, guttę ammoniacæ, singulorum ʒ. 8. myrrhæ, aloes, galbani, singulorum ʒ. 12. dracunculi radicis succi ʒ. 8. ceræ libra, resinæ colophoniæ, libræ duæ, olei veteris, vnciæ tres aceti quod satis est. Galenus in fine libri 6. methodi medendi, testatur Eudemum qui siccante curatione vtebatur, plures sanasse, quàm qui blanda vterentur, concluditque, cùm meatus auditorius cerebri duram membranam attingat, neruúmque recipiat à cerebro, tamen vehementissima remedia tolerat, nihil mirum si post excisiones ossis, crassa meninx antequam ἀξιολόγως inflammetur, vehementissimis gaudeat medicamentis, cùm à natura sicca substantia constet, vnde colligimus, membranæ conuenire medicamenta sicca, cùm neque dolore, neque inflammatione infestatur, vbi autem adsit

dolor vel inflammatio, blanda & leni curatione esse vtendum. Vtraque etiam curatione vtitur Celsus, his verbis, his factis, quæ ad ossis excisionem pertinent, membrana acri aceto inspergenda est, vt siue aliquid sanguinis ex ea profluit, cohibeatur, siue intus concretus cruor remanet, discutiatur, tum aliquod emplastrum quod caluariæ causa componitur, aceto mollitum, ipsi membranæ imponendum est, deinde eodem medicamento illitum linteolum, & præterea succida lana aceto tincta, collocandusque æger in loco tepido, & curandum quotidie vulnus, bis etiam æstate. Quòd si membrana per inflammationem intumuerit, infundenda erit rosa tepida, si vsque eô tumebit, vt super ossa quoque emineat, coercebit eam bene trita lenticula, vel folia vitis contrita, & cum recenti vel butyro, vel adipe anserina mista, ceruixque molliri debebit liquido cerato ex irino facto. At si parum pura membrana videbitur, par modus eius emplastri, & mellis miscendus erit, idque super infundendum, eiusque continendi causa, vnum aut alterum linamentum inijciendum, & super linteolo cui emplastrum illitum sit, contegendum. Vbi plus pura membrana est, eadem ratione adiiciendum emplastro ceratum, vt carnem producat. Paulus etiam tribus primis diebus blanda & leni vtitur curatione, post tertium diem siccante. Sic enim inquit, post Chirurgiam qua os perforatur & aufertur, panniculo simplici lineo vulneri æquali rosaceo madenti, cerebri membranam operiemus, exiguumque lanę floccum similiter rosac-

eo imbutum prædicto panniculo imponemus, deinde linamentum implicitum duplex in vino & oleo, aut ipso rosaceo tinctum, toti vulneri circumponemus, diligentia adhibita ne cerebri membrana grauetur, postea latiore vtemur ligamento, neque hoc astringentes, verum vt linamenta solum retineat. Victus adhibebitur, qui inflãmationem arceat, & febribus peculiaris est, membra cerebri crebrius interea rosaceo superfusa. Post tertium diem, vbi vinculum solueris, & sordes spongia deterseris, remedium induces, quod cruentis iniicitur, & inflammationem repellit, super accommodans membranæ aliquod ex cephalicis aridis, vsque dum carne oppleatur. Frequenter cerebri membrana post Chirurgiam inflammatur. Origo inflãmationis, aut ex acuta quadam ossis eminentia pungente ducitur, aut ex linamentorum grauitate, aut refrigeratione, aut multo esu, aut vini potione, aut alia quadam occasione latente. Si ex manifesta occasione inflammationem contraxerit membrana, ea protinus amputanda est, sin ex latenti, magis pugnare conuenit, vtpote sanguinis missione, si causa non obstiterit, victu qui inflammationi congruat. Item loco induci remedia debent, calentis rosacei fotus, & superfusio ex althææ decocto, aut fœnugræci, seminis lini, chamæmeli, similiumque. Cataplasmata verò ex cruda hordei farina, aut lini semine, cùm prædicto decocto, & gallinarum adipe, ad hæc fomentum ex lana adhibebitur. Capiti & occipitio, meatuíque auditorio oleum aliquod inflammationem prohibens instillabitur. Si per-

ſeueret inflammatio, & nihil aliud prohibet, medicamento cholagogo purgare ipſos Hippocrates præcipit, ait Paulus libro ſexto. Non ſolum autem inflammatur cerebri membrana, ſed aliquando vulneratur, ex eáque copioſus ſanguis fertur, ex quo fluxu, ſi affatim fiat in cerebrum eiuſque ventriculos, mortis certum imminet periculum. Itaque ad ſanguinis fluxum cohibendum, ex aloe & thure pulueres paramus, diluimuſque oui candido ad mellis craſſitudinem, membranæ inſpergimus, aut imponimus linamenta ex pilis leporinis aut ex xylo hoc medicamento tincta, quotidie mutamus, aut alternis dieb. Membranā cerebri vulneratam egregiè glutinat calaminthæ ſuccus infuſus, & farina milij arida inſperſa, deinde butyrum & roſaceum, ac adeps ſuilla vetus inſulſa tepe facta ac miſtim infuſa. Vt recenſet Galenus, ex Archigene, ſecundo libro κτ' τόπ. Recentiores infundunt huiuſmodi puluerē qui habet colophoniæ drachmas tres, myrrhæ, aloës, maſtiches, ſanguinis, draconis ana drachmam vnam, croci ſarcocollæ ana drachmam mediam fiat puluis, & miſceatur. Suppuratur alliquando membra-ex inflammatione ſtatimque aperienda eſt, ne vomica rumpatur ad interiora, & in cerebrum feratur pus. Periculoſa eſt eiuſmodi ſuppuratio, periculoſa etiam membranæ apertio, ſed incertum periculum certa deſperatione optabilius, & ſatius eſt anceps experiri remediū, quàm nullum. Rupto abſceſſu, ſtatim infundimus mel roſatum cum oleo roſato, vel ſyrupum roſatū miſtum ſanguini columbæ, vel terebinthinam

cum melle rosato, deterso prius pure ex membrana xylo vel linteo molliori. Quod si effluxerit inter cranium & crassam meningem puris aut saniei copia, linteum molle duplicatum, his medicamentis imbutum, aut syrupo rosato, aut absinchite imponendum, vt puri pateat exitus, vtque membrana non offendatur à cranio asperiore propter excisionem. Et quoties vulnus soluis & medicamentum immutas, iube vt ægrotus clausis naribus & ore insufflet & expiret, vt purgetur quod inter cranium & membranam continetur. Cerebri crassa meninx diutius nudata, aërique exposita, non secus atque os squamas emittit, tuncque primis quatuor diebus infundimus oleum rosatum cum terebinthina, deinde post quartum diem possumus pulueres siccantes imponere, quemadmodum autem in osse, cùm natura squamas emiserit, & quod ab aëre immutatum alioquin vitiatum fuerit, separarit, apparet caruncula adhuc tenera, quæ tandem firmior & solidior fit. Idem accidit in membrana quæ cerebrum cingit, itaque inspergentur pulueres siccantes sine corrosione, ne consumatur & tabescat eiusmodi caro.

Cerebri membrana si in superficie nigra fuerit, medicamentorum vsu, mel triplum rosaceo miscentes, & per linamenta id applicantes, curabimus, & deinceps reliqua admouentes. At si nigrities sua sponte prouenerit, idque in imo potissimum, cùm alijs grauibus indiciis, attingi tunc non debet, vt quæ natiuum calorem emortuum innuat. Ait Paul. lib. 6. Nigrescit membrana vel à contusione & ictu valido, vel à san

guine effuſo & concreto, vel ab aëre frigidiore, vel medicamentis in id efficacibus, vel ex putredine, contra quæ ſingula propriis remediis pugnandum.

Ὀστέον δὲ ὅτι δὴ ἀποστῆναι δεῖ ὅτου ἄλλου ὀστέου ἕλκεος ἐν κεφαλῇ γενομένου, ἕδρης τε ἐούσης τοῦ βέλεος ἐν τῷ ὀστέῳ, ἢ ἄλλως ἐπὶ πουλὺ ψιλωθέντος τοῦ ὀστέου, ἀφίσταται ἐπὶ πουλὺ ἔξαιμον γινόμενον. ἀναξηραίνεται γὰρ τὸ αἷμα ἐκ τοῦ ὀστέου ὑπό τε τοῦ χρόνου, καὶ ὑπὸ φαρμάκων τῶν πλείστων. τάχιστα δ' ἂν ἀποσταίη, εἴ τις τὸ ἕλκος ὡς τάχιστα καθήρας ξηραίνοιτο λοιπὸν τό τε ἕλκος καὶ τὸ ὀστέον, καὶ τὸ μεῖζον καὶ τὸ ἧσσον. τὸ γὰρ τάχιστα ἀποξηρανθὲν καὶ ἀποστρακὸς, ἐν τούτῳ μάλιστα ἀφίεται ἀπὸ τοῦ ἄλλου ὀστέου τοῦ ἐναίμου τε καὶ ζῶντος αὐτέου, ἔξαιμόν τε γενόμενον καὶ ξηρὸν τῷ ἐναίμῳ καὶ ζῶντι μάλα ἀφίσταται.

OS autem quod ab alio quouis oſſe abſceſſurum eſt, capite vulnerato ſiue teli veſtigium in oſſe appareat, ſiue alioquin multum denudatum ſit os, abſcedit tunc cum admodum exangue factum eſt. Sanguis enim exhauritur ab oſſe & tempore & multis medicamentis. Celerrimè autem abſceſſerit, ſi quis vulnus ipſum citiſſime purgaue-

rit, & deinceps ipsum vulnus, ipsumque os siccauerit, idque magis aut minus. Quod enim celerrimè resiccatum est, & in testæ modum induruit, ideo maximè ab alio osse sanguinem habente & viuente abscedit Quodque exangue & aridũ est, ab eo quod sanguinem habet & viuit, potissimùm separatur.

DOcuit Hippocrates quando serra sit os excidendum, eoque exciso non esse neglig ẽdum vulnus carinis, cum carnis mala ossibus facilè cõmunicentur, præterea cum osse secto & à mẽbrana separato necesse sit mẽbranã nudari admonuit protinus membranam esse purgandam & siccandam, nec diutius nudam relinquẽdam. Iterum redit ad ossis curationem, sine qua nec tegi membrana, nec vulnus carne impleri aut agglutinari potest. Os autem capitis siue à telo violatum sit, siue aeri expositum, necessario squamas ex se emittit, & ab alio osse abscedit. Recedunt autem ab osse aliquando tenues admodum partes, aliquando maioris ossis portio aut fragmentum, appellat Hippocrates ἀποστασίας λεπτῶν πάνυ ὀστέων, καὶ μείζονος ὀστέου, tenues partes ab osse recedentes, vel grandius fragmentum ab osse abscedens, sententia 20. & 21. sectionis tertiæ de fracturis, abscedit os, quùm exangue factum est, quod enim exangue est, nutrimento caret, quodque non nutritur, emoritur, itaque

exanguis & arida ſuperficies mortua eſt, omn. autem mortuum à viuo ſeparandum. Cognoſcimus inter abradendum ſuperficiem oſſis viuere, quando ſanguinem emittit, ex oſſe enim viuente flores emittuntur & caruncula quædam, quæ ad agglutinationem plurimum faciunt. Celſus idem dicit euenire oſſe aduſto, cap. tertio libri octaui, ſiquod os, inquit, aduſtum eſt, à parte ſana recedit, ſubitque inter integram atque emortuam partem caruncula, quæ quod abſceſſit, expellat, eaque fere quia teſta tenuis & anguſta eſt, ſquama eſt, id λεπὶς à græcis nominatur. Os fit exangue cùm alimento & ſanguine deſtituitur, quod temporis ſpatio fit, & vſu medicamentorum cephalicorum citius contingit. Itaque cùm voluerimus os læſum ab integro recedere, vulnus purgandum eſt, deinde & ipſum & os etiam ſiccandum. Quod autem reſiccatum eſt & in teſtæ modum induruit, non ſolum exangue, ſed etiam mortuum redditur, ideoque facile ſeparatur à reliquo oſſe viuente & ſanguinem habente, Hoc in contextu ἀποσφακὸς retinui, quod præcedẽtem vocẽ oculis quaſi ſubijcit, illud autem lenicum ἀποισακός pro ἀφεσακὸς probare non poſſum, eſt enim ridiculum, dicere os quod iam abſceſſit, abſcedere, circa finem huius contextus nihil volui delere, ſed mallem legere τοῦ ἐναίμου καὶ ζῶντος μάλα ἀφίσαται.

Ὅσα δὲ τῶν ὀστέων ἐσφλᾶται ἔσω ἐκ τῆς φύσιος τῆς ἑωυτῶν καταῤῥαγέντα, ἢ καὶ διακοπέντα πάνυ εὐρέα, ἀκινδυνότερα τὰ τοιαῦτα γίνε-

ται, ἐπὴν ἡ μήνιγξ ὑγιὴς ᾖ. καὶ τὰ πλέοσι ῥωγμῆσιν ἐσκαταρραγέντα, καὶ εὐρυτέρησιν, ἔτι ἀκινδυνότερα καὶ εὐμαρέστερα ἐς τὴν ἀφαίρεσιν γίνεται. καὶ οὐ χρὴ πρίειν τῶν τοιούτων οὐδὲν, οὐδὲ κινδυνεύειν τὰ ὀστέα πειρώμενον ἀφαιρέειν πρὶν ἢ αὐτόματα ἐπανίῃ, ὑγιέος πρῶτον χαλάσαντος, ἐπανέρχεται δὲ τῆς σαρκὸς ὑποφυομένης. ὑποφύεται δὲ ἐκ τῆς διπλόης τοῦ ὀστέου καὶ ἐκ τοῦ ὑγιέος, ἢν ἡ ἄνωθεν μοῖρα τοῦ ὀστέου μούνη σφακελίσῃ. οὕτω δ' ἂν τάχιστα ἥτε σὰρξ ὑποφύοιτο καὶ βλαστάνοι, καὶ τὰ ὀστέα ἐπανίοι, εἴ τις τὸ ἕλκος ὡς τάχιστα διάπυον ποιήσας, καθαρὸν ποιήσηται. καὶ ἢν διὰ παντὸς τοῦ ὀστέου ἄμφω αἱ μοῖραι ἐσφλασθῶσιν ἔσω ἐς τὴν μήνιγγα, ἥτε ἄνω μοίρη τοῦ ὀστέου καὶ ἡ κάτω, ἰητρεύοντι ὡσαύτως τὸ ἕλκος ὑγιὲς τάχιστα ἔσται, καὶ τὰ ὀστέα τάχιστα ἐπάνεισιν τὰ ἐσφλασθέντα ἔσω.

Qvæcumque autem ossa desidunt è suo statu effracta aut dissecta valde lata, minus eiusmodi periculosa sunt, vbi membrana fuerit integra. Et quæ multis fissuris & latioribus perfracta sunt, multò etiam minus sunt periculosa, & facilius auferuntur nihilque horum serra excidendum, neque periculum subeundum est enitendo detrahere ossa, priusquam sponte sequantur, sano osse primùm relaxante, recedunt autem su-

percrescente carne. Caro subnascitur ex ossis diploe, & ex osse sano, si superior ossis pars sola fuerit corrupta. Sic verò quàm celerrimè & caro subnascetur ac producetur, & ossa recedent, si quis vulnus statim purulentum reddiderit & expurgarit. Sicque totius ossis pars vtraque superior & inferior effracta desidat ad duram meningem, modo curatio similis adhibeatur, & vulnus ipsum celerrimè sanescet, & ossa intro effractę statim sequentur.

PAradoxon quoddam proponere videtur Hippocrates, nempe effracturam aut valde patentem diacopen, inuiolata meninge, exigui esse momenti, ossa etiam multis & amplioribus rimis perfracta minùs esse periculosa, cùm antea dixerit, angustas & capillares fissuras, & contusiones ipsas periculosas esse, quòd non sint aspectabiles, neque statim post ictum, neque ijs diebus, quibus opis aliquid contra mortem homini possit afferri. Idem etiam scribit libro de locis in homine, ἢν μὲν τὸ ὀστέον τῆς κεφαλῆς καταγῇ καὶ συντειδῇ, ἀκίνδυνον, ἢν δὲ ῥαγῇ καὶ ῥωγμὴ ἐγγένηται ἐπικίνδυνον. Si os capitis fractum ac contritum sit, periculo vacat, si verò fractum sit ita vt adsit rima, periculosum. Idcircò verò insignis effractura & ampla diacope periculo vacat, quod statim à medico dignoscantur, quòd serræ vsum non requirant, quòd ossa facile detrahan-

tur,quod pateat exitus saniei, & alijs lædentibus membranam. Fissura verò angusta & contusio medici visum & intellectum fallunt, serræ vsum requirunt, vt sanies exitum habeat, vtque excidatur quod membranam cerebri vrget, eiusmodi autem curationes quæ periculosæ videntur, nec sunt, libenter suscipiendas esse monet Hippocrates sententia 37. sectionis 4. commentar. de articulis, quia magis terrent dum accipiuntur, quam dum adhibentur. Sic iugulum ex toto fractum videtur malum graue & ægre sanabile, contra fractum in longitudinem, leuius, quod tamen secus se habet, iugulum enim ex toto fractum facilius curatur, in longitudinem ægrius, circa finem sectionis primæ commentar. de articulis, multa etiam alia, inquit Hippocrates sententia 54. sectionis 3. commentar. de articulis, in medica arte quis inspiciet, quorum quæ vehementia sunt, quum morbi momentum omne in se continent, non nocent: quæ leuiorem offensam afferunt, mala concitant diuturna, & reliquum corpus plurimum afficiunt, quod accidit costis fractis, in quibus si fractura simplex & sola sit, in qua costa fracta non nudetur superiecta carne, nec scindatur membrana quæ costas cingit, casus quidem asperior videtur, licet leuior sit, quam vbi atteritur, celerrimè enim curatur, & sine periculo, sed absque fractura, vbi caro circa costas atteritur, in maximo interdum periculo sunt, qui sic affecti sunt, vt statim post docet Hippocrates & Galenus in commentario. Consulit autem hoc loco, ne magno conatu, aut ferramentis ossa detrahamus, sed expectemus

vt facilè & ſponte ſequantur, oſſe ſano primùm remittente & relaxante. Hic omnes codices legunt, εἰκὸς πρῶτον χαλάσαντος. Admonuit me Boiſſonadus medicus doctiſſimus Collega & cõterraneus meus, illud εἰκὸς pro ὑγιέος, malè inſertum fuiſſe, quam lectionem maximè probo, illũque ſua laude fraudare nolo. Os autem abſceſſurum a carne ſubnaſcente expellitur. Signa autẽ quæ denũciant os, quod carne vulnerata tegitur, abſceſſurum, demonſtrat Hippocrates ſententia 18. ſectionis tertiæ comment. de fracturis, his verbis, denunciat futurum eſſe, vt recedant, pus quod ex vlcere amplius profluit, & videtur ὀργᾶν & ad exitum feſtinare. Galenus illud dilucidius explicat in commentario, vbi copioſius, quam pro vlceris magnitudine pus profluit, verendum eſt ne ſubiectum os vitiatum ſit, ſed ſi præter id videtur turgere, hoc eſt, ſi feſtinanter à vitiata parte expellatur, iam certa res eſt. At vnde cognoſcemus partem feſtinare ad expellendum? primum ex oris plagę, quæ inter ſe non committuntur, ſed dehiſcunt & inuertuntur, deinde ex ægrotantis ſenſu, qui exiguum quendam motum ſentire, ſibi in profundis partibus videtur, vbi cæteras non animo, non ſenſu aduertens, hanc vnam obſeruat, cui hæc ſuperueniunt. Vnde producatur & ſuboriatur caro, & quomodo celerrimè ſubnaſcatur, curue oſſa facile ſequantur, ex Hippocratis verbis luce meridiana clarius eſt. An verò cum os abſceſſerit, cicatrix caua inducatur, vt ait Hippocrates libro περὶ ἑλκῶν ſententia 14. & Aphoriſmo 45. lib. 6. & quomodo reſtituatur, vide commentarium in eandem ſententiam 14.

Τῶν δὲ παιδίων τὰ ὀστέα καὶ λεπτότερα ἐστὶ καὶ μαλθακώτερα διὰ τοῦτο, ὅτι ἐναιμότερα ἐστὶ, καὶ κοῖλα, καὶ οὔτε σκληρώδεα, καὶ οὔτε πυκνὰ, οὔτε στερεὰ, καὶ ὑπὸ τῶν βελέων ἴσων τε ἐόντων, καὶ ἀσθενεστέρων, καὶ τρωθέντων ὁμοίως τε καὶ ἧσσον, τὸ τοῦ νεωτέρου παιδίου, καὶ μᾶλλον καὶ θᾶσσον ὑποπυΐσκεται, ἢ τὸ τοῦ πρεσβυτέρου καὶ ἐν ἐλάσσονι χρόνῳ. καὶ ὅσα ἂν ἄλλως μέλλῃ ἀποθανεῖσθαι ἐκ τοῦ τρώματος, ὁ νεώτερος τοῦ πρεσβυτέρου θᾶσσον ἀπόλλυται.

PVerorum ossa tenuiora sunt & molliora, quoniam plus habent sanguinis, & caua sunt, non dura, non densa, neque solida. Et si à telis paribus vel infirmioribus æqualiter & leuius vulneretur iunioris pueri os, magis & citius purulentum redditur, quam senioris, & breuiori tempore. Quòd si ex vuln re alioquin moriturus sit, iunior citius morietur, quàm ætate prouectus.

EXtremæ dementiæ est putare communem quandam esse omnium hominum curationem. Ratio enim & experientia confirmant nō omnem naturam eadem medicamenta requirere, sed infirmiores mollioresque mitiora, validiores siccioresque valentiora, ait Galenus libro 3. methodi medendi. cap. 7. Idcirco nunc Hippocrates agens de ossibus suppurandis, vel tesic-

ſeſiccandis, puerorum oſſa molliora, tenuiora, humidiora rariora eſſe dicit, eaque magis & citiùs purulenta reddi, calida enim & humida citius putreſcunt, omniáque remedia quæ calefaciunt & humectant pus celerrimè mouent, vt docet Galenus libri quarti methodi medendi capite quinto. Oſſa in pueris nuper natis tanquam cerea ſunt, eſtque ſumma in eorum corpore humiditas, ita vt prima hominis ætas ſit calidiſſima & humidiſſima, poſtrema nempe ſenilis ſicciſſima & frigidiſſima, ait Galenus 2. de tẽperamentis. Cæterùm quod ait vulnus alioquin mortiferum, iunioribus citius mortem afferre, quàm ætate prouectis, controuerſia non videtur carere. Confert enim aliquid vulneribus ætas, quia faciliùs ſaneſcit puer vel adoleſcens, quam ſenior, Ex celſo libri 5. cap. 26. Ariſtoteles etiam problemate 7. ſectione 32. probat vlcera iuniorum promptius agglutinari, quam ſeniorum, quod partes calidiores & humidiores conſolidari faciliùs poſſunt, vt apparet in plantis tenellis, & viridibus, in quibus coïtus & corporum vnio facilius peragitur. Galenus etiam commentario in Aphoriſmum 42. lib. 7. ſcribit ſenibus mala omnia peiora & grauiora eſſe ſolere, propter ætatis imbecillitatem: hoc quidem in carnis vulneribus & alijs pleriſque morbis locum habet, in cranij tamen fractura, ex vulnere lethali citius morietur Iunior, quam ſenior, propter oſſis mollitiem & infirmitatem, quod minùs & ictui & putredini reſiſtat. Et ſi quis rurſus obijciat ex Hippocrate circa finem ſectionis primę commentario de articulis. Saneſcere citò iugulum

fractum, atque alia ossa quæcumque rara sunt, ideóque puerorum ossa, quæ caua, rara, & spongiosa sunt, celeriter etiam sanescere posse. Dic Hippocratem hoc loco de conglutinatione iuguli propriè loqui, quæ etiam facilis & prompta est in ossibus raris sed in fractura cranij puerorum, non est commoda eiusmodi conglutinatio, quum os serræ vsum requirat, vtitur etiam eo loco Hippocrates, verbo συμφύεται, quod non propriè significat, sanescit, sed coalescit & conglutinatur. In codice Aldino lego σκληρώδεα, in alijs omnibus στεγγώδεα, retinui σκληρώδεα vna cum Vidio, quia tamen dictionem hanc non alibi reperio, vel σκληρὰ legendum suspicor, vel vna cum alijs codicibus retinendum στεγγώδεα, detracta negatione οὔτε. tunc enim sensus quadrabit. Puerorum ossa tenuiora sunt & molliora, quoniam plus habent sanguinis, & caua & spôgiosa sunt, non autem densa, neque solida.

Ἀλλὰ χρὴ ἢν ψιλωθῇ τῆς σαρκὸς τὸ ὀστέον προσέχοντα τὸν νόον πειρῆσθαι διαγινώσκειν, ὅ,τι μὴ ἐστὶ τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν ἰδεῖν καὶ γνῶναι, εἰ ἔρρωγε τὸ ὀστέον, καὶ εἰ πέφλασται, ἢ μοῦνον πέφλασται. καὶ εἰ ἕδρης γενομένης τοῦ βέλεος πρόσεστι φλάσις ἢ ῥωγμὴ, ἢ ἄμφω ταῦτα. καὶ ἢν τι τούτων πεπόνθῃ τὸ ὀστέον, ἀφεῖναι τοῦ αἵματος τρυπῶντα τὸ ὀστέον σμικρῷ τρυπάνῳ φυλασσόμενον ἐπ' ὀλίγον. λεπτότερον γὰρ τὸ ὀστέον, καὶ ἐπιπολαιότερον τῶν νέων ἢ τῶν πρεσβυτέρων.

VErùm si carne nudatum os fuerit, oportet omni animi contentione in eam curam incumbere, vt dignoscamus quod oculis videre & cognoscere non licet, fissúmne sit os & contusum, an solùm modò contusum, & si, relicto teli vestigio, accedat contusio aut rima, aut vtrumque & si aliquo horum violatum sit os, extrahendus est sanguis osse parua terebra perforato, sæpiusque foraminis altitudo consideranda, est enim tenuius, minúsque profundũ puerorum os, quàm seniorum.

DOcuit antea Hippocrates in genere, nulla habita ętatis ratione, in contusione obscura siue manifesta, in rima latente siue perspicua: in sede etiam cui adiuncta sit rima & contusio, ad serram esse veniendum. Idem admonet nunc etiam in cranijs puerorum esse obseruandum, sanguinémque qui per eiusmodi noxas ad meningem confluxit, esse extrahendum. Circumspectiùs tamen & maiori cura perforandum & excidendum est os puerorum. Itaque parua & exigua terebra vtendum est, eaque lentius ducenda, sæpius attollenda & foraminis altitudo consideranda, vt quandocunque os perrumpi tur sentiamus, caueamúsque ne mucrone membrana cerebri lædatur, ex quo graues inflammationes cum mortis periculo suboriuntur. Cùm enim ossa puerorum tenuia sint, minúsque alta

& profunda, si quis terebram magnā adhibeat, audaciúsque impellat, & grauius imprimat, nec sæpius remoueat, ad os obseruandum, facilè cerebri membranam violauerit. Somniat autem interpres ille, qui putat Hippocratem hîc ex professo fracti ossis apertionem, vt fieri debeat, præscribere, sanguinēque prius mittere, ne ex apertione inflammatio accersatur, & medicamentū aliquando exhibere, quem tamen admonuerat Vidius initio commentarij, animaduersionem ponere Hippocratem in osse puerili.

Ὅτῳ δὲ μέλλει ἐκ τρωμάτων ἐν κεφαλῇ ἀποθνήσκειν, καὶ μὴ δυνατὸν αὐτὸν ὑγιᾶ γενέσθαι, μὴ δὲ σωθῆναι, ἐκ τῶν δὲ τῶν σημείων χρὴ τὴν διάγνωσιν ποιέεσθαι τοῦ μέλλοντος ἀποθνήσκειν, καὶ προλέγειν τὸ μέλλον ἔσεσθαι. πάσχει γὰρ τάδε. ὁπόταν τις ὀστέον κατεηγὸς, ἢ ἐῤῥωγὸς, ἢ πεφλασμένον, ἢ ὅτῳ τρόπῳ κατεηγὸς ἐννοήσας ἁμάρτῃ, καὶ μήτε ξύσῃ, μήτε πρίσῃ, μήτε δεόμενον, ὡς ὑγιέος ὄντος τοῦ ὀστέου, πρὸ τῶν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμερέων πυρετὸς ἐπιλήψεται ὡς ἐπιπολὺ ἐν χειμῶνι, ἐν δὲ τῷ θέρει, μετὰ τὰς ἑπτὰ ἡμέρας ὁ πυρετὸς ἐπιλαμβάνει. καὶ ἐπειδὰν τοῦτο γένηται, τὸ ἕλκος ἄχροον γίνεται, καὶ ἐξ αὐτοῦ ἰχὼρ ῥέει σμικρός. καὶ τὸ φλεγμαῖνον ἐκτέθνηκεν ἐξ αὐτοῦ καὶ γλισχρῶδες γίνεται. καὶ φαίνεται, ὥσπερ τάριχος, χροιὴν πυῤῥὸν, ὑποπέλιον, καὶ τὸ ὀστέον σφακελίζειν τηνικαῦτα ἄρχεται, καὶ γίνεται ὑφαιμὸν λευκὸν ὄν. τε-

λευταῖον δὲ ἔπωχρον γενόμενον ἢ ἔκλευκον. ὅτ' ἂν δ' ἤδη ὑπόπυον ᾖ, ἐπὶ τῇ γλώσσῃ φλυκταῖναι γίνονται, καὶ παραφρονέων τελευτᾷ, καὶ σπασμὸς ἐπιλαμβάνει τοὺς πλείστους τὰ ἐπὶ θάτερα τοῦ σώματος. ἢν μὲν ἐν τῷ ἐπ' ἀριστερὰ τῆς κεφαλῆς ἔχῃ τὸ ἕλκος, τὰ ἐπὶ δεξιὰ τοῦ σώματος ὁ σπασμὸς λαμβάνει. ἢν δ' ἐν τῷ ἐπὶ δεξιὰ τῆς κεφαλῆς ἔχῃ τὸ ἕλκος, τὰ ἐπ' ἀριστερὰ τοῦ σώματος ὁ σπασμὸς ἐπιλαμβάνει. εἰσὶ δ' οἳ καὶ ἀπόπληκτοι γίνονται, καὶ οὕτως ἀπόλλυνται πρὸ ἑπτὰ ἡμερέων ἐν θέρει, ἢ τεσσάρων καὶ δέκα ἐν χειμῶνι. ὁμοίως δὲ τὰ σημεῖα ταῦτα σημαίνει, καὶ ἐν πρεσβυτέρῳ ἐόντι τῷ τρώματι, ἢ καὶ ἐν νεωτέρῳ.

CVm verò aliquis ex capitis vulneribus moriturus eſt, neque ſaneſcere, ſeruarique poteſt, his notis colliges moriturum, prædicéſque quod euenturum eſt. Hæc enim ei acccidunt. Quotieſcumque aliquis os fractum, aut fiſſum, ſiue contuſum, aut alio quouis modo fractum percipiens deliquerit, neque abraſerit, neque ſerra aperuerit, neque quod opus erat præſtiterit, tanquam os integrum eſſet, ante decimum quartum diem febris ſuperueniet hyeme vt plurimum, æſtate verò poſt ſeptimum diem febris inuadit. Quòd cùm acciderit,

vulnus fit decolor, ab eóque ſanies pauca effluit, quodque ex ipſo inflammatum eſt moritur, & glutinoſum fit, & apparet tanquam caro ſale condita, colore ruffo, ſubliuido, túmque corrũpi os incipit, & nigrũ fit, quod fuit albũ, tandẽ ſupallidũ aut albidũ euadit. Cùm verò iã purulentum fuerit, in lingua puſtulæ ſuboriuntur, & cum delirio moritur. Plurimóſque conuulſio corripit in altera corporis parte, ac ſi parte ſiniſtra capitis vulnus fuerit, dextram corporis partem occupat conuulſio, ſin autem dextra capitis parte fuerit vulnus, ſiniſtra corporis pars conuulſione tentatur. Sunt verò qui apoplectici fiunt, atque ita pereunt ante ſeptimum diem æſtate, aut ante decimum quartum hyeme. Hæc verò ſigna idem ſignificant & in vetuſto vulnere & in recenti.

PRudentis hominis eſt, eum qui ſeruari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem eius vt occiſi, quem ſors ipſius peremit, ait Celſus libri 5. capite 26. Et Hippocrates libro περὶ τέχνης, ſuadet ne victis à morbo, manus admoueamus, medicus autem præno ſcens & prædicens morituros, ἀναίτιος eſt & culpa vacat, ex primo prognoſtico. Itaque indicia & notas mortis

in vulneribus capitis nunc proponit. Primum autem mortis indicium, in tromate capitis malè curato, aut neglecto, febris est superueniẽs hyeme, ante decimum quartum diem, vt plurimum, æstate verò post septimum. Solet etiam febris inuadere primis diebus ob dolorem, inflammationem, aut suppurationem, quæ non est ita periculosa, febris enim terrere non debet si in magno vulnere, dum inflammatio est, permanet, illa periculosa est, quæ vltra tempus inflammationis durat, vel delirium mouet, ait Celsus lib. 5. cap. 26. Præterea vt scribit Hippocrates sententia 33. sectionis tertiæ commentariorum de fracturis, Vulnera pleraque tertio aut quarto die pariunt exacerbationes & recrudescunt, tum quæ inflammatione tùm quæ impuritate & sordibus tentantur, tum quæ febrem inferunt. Cum autem septem dies aut paulò plures transierint, opportunissimum inflammationis & febris tempus præterijt, ex sententia 36. & 42. eiusdem sectionis de fracturis. Si ergo post septimum diem æstate, aut ante decimum quartum diem hyeme, superueniat febris, terrere medicum debet, suspicio enim non leuis est, eiusmodi febrem excitari à corruptione cerebri, membranæ, aut cranij, tuncque potissimùm cum alia sinistra signa comitantur, quæ Hippocrates recenset, vt vulnus malè coloratum, vulnus autem illud sinistrum est cuius color liuidus, aut pallidus, aut varius, aut niger est, Album enim aut rubicundum esse vulnus commodissimum est, Celso lib. 5. capite de ratione victus & notis vulnerum. Ab eo vulnere profluit pauca sanies, vnde vulneris κακοήθεια

colligitur. Cum enim tria ex vulneribus procedere soleant, sanguis, sanies, pus. Exit sanguis ex vulnere recenti aut sanescente. Pus ex vulnere iam ad sanitatem spectāte. Sanies autem ex malo vlcere profluit, eáque pauca, quia cum pars iam corrumpi incipiat, facultas attractrix paucũ ad se trahit alimentũ, pars inflāmata & alimento destituta, emoritur, fitq; glutinosa & pinguis, à carnis consumptione & collignatione. Hîc Erotianus videtur legisse ἕλκος γλισχρῶδες, vulnus lento humore sordidum & turgescens, sed in meis quinque exemplaribus græcis γλισχρῶδες legitur. Apparet deinde tanquam caro sale condita, quia redditur vlcus siccum & aridum, non solum excrementis, sed & propria substantia. Sic dixit prognostico 18. lib. primi, In homine morituro vlcus, si aliquod sit, reddi liuidum aut siccũ, aut pallidum & siccum. Color autem ruffus qui in vulnere apparet, medius est inter flauum & pallidum, sequiturque calorem & siccitatem. Deinde subliuidus fit, cum calor natiuus suffocatur & extinguitur, tunc os incipit σφακελίζειν & corrumpi. Omnibus enim malis afficitur os, quibus caro vexari solet, vt paulò ante dixit, quo tempore nigrum fit, quod erat prius album, lego enim hîc, λευκὸν ὂν, cum legant alij λεῖον ὄν. facilis enim fuit scribentis lapsus, si quis autē mali retinere, λεῖον ὂν legat antè, κεγχρὸν, sicque conueniet sensus. Os enim secundum naturam læue est & æquale, cùm verò cariem sentit, fit asperum. Subpallidum tandem & albidum euadit os, quia inflammatio sanguinem omnem exhaurit, vt etiam ligna humiditate omni ab igne consumpta

in cinerem mutantur, cuius color subpallidus aut albicans est. Tunc os purulentum dicit Hippocrates, quæ enim suppurant albidiora euadũt, cum pus cinerei coloris sit, Galeno commentario in sententiam. 32. sectionis 2. de fracturis, hic autem ἔκλευκον albidum dixi, quasi ὑπόλευκον subalbidum. Sic lienosi lenticolores apud Hippocratem 2. epidem. ἔκλευκοι dicuntur, qui idem tertio epid. ὑπόλευκοι nominantur, vnde apparet ἔκλευκον aliquando subalbidum significare. Cumque purulentum os fuerit, in lingua pustulæ nascuntur, ex cerebro enim defluit sanies acris, quæ in lingua subsistens, pustulas eiusmodi excitat, quo tempore delirium superueniens, consumpto per inflammationem cerebro aut corrupto, ad vltima ventum esse testatur. Magnis autem capitis vulneribus peculiare symptoma est conuulsio, itaque plurimos corripit conuulsio in altera corporis parte. Cur autem conuulsio occupet dextram corporis partem, si capitis sinistra pars sit violata, aut contra, causam se nescire fatetur ingenuè Vidius. Sunt qui putent in opposita & sana parte fieri conuulsionem ab inanitione & penuria humorum & spirituum. Cum enim in parte læsa sit acerrimus dolor, humores & spiritus partis oppositæ, vt suppetias ferant, ad eam concurrunt, sicque exhausta remanet pars sana, & idcirco conuulsione tentatur. Verùm dices conuulsionem de qua hîc loquitur, queque mortis certissimum est indicium, superuenire carnis gangrenæ, & ossis sphacelo, quo tempore sanies mali odoris ex parte læsa in sanam defluit, vapor item malignus & putridus ex parte corrupta

promanans partem sanam afficit, hinc fit vt opposita pars, cuius sensus integer est & exactus, ad expellendum quod est molestum sese concutiat, hincque nascatur conuulsio. Addit Auicennas lib. 3. fen. 1. tract. 3. cap. vltimo resolutionem accidere parti læsæ, his verbis, In vulneribus peruenientibus ad panniculum cerebri, accidit laxitas in latere vulnerum & spasmus in opposito eius, quod intelligendũ est superuenire morituris, cum iam adest carnis gangrena aut ossis sphacelus aut cerebri corruptio, tunc enim spiritus animalis ad partes inferiores eiusdem lateris descendere non potest, & si fortasse liberum etiam habeat aditum, vim tamen sentiendi & mouendi partibus non communicat, cùm sit omnino impurus, & à partium ex quibus profluit corruptione labefactatus, vnde pars è latere vulnerum paralysi tentatur. In non morituris contra sępius euenit, videmusque per multos cadere in resolutionem partis integræ, offenso capite. Apoplexia quæ est repentina motus & sensus priuatio, omnisque animalis functionis, si statim ab ictu hominem corripiat aut paulo post superueniat, ægrotum de medio tollit. Apoplexiæ nomen apud Hippocratem non solum totius corporis motus, sensus, mentisque resolutionem significat, sed aliquando etiam partis alicuius ἀκινησίαν καὶ ἀναισθησίαν denotat, & pro paraplegia sumitur. Hic autem veram aploplexiam, eamque fortem intelligit.

Ἀλλὰ χρὴ εἰ ἐννοίης τὸν πυρετὸν ἐπιλαμβάνοντα, καὶ τῶν ἄλλων τὶ σημεῖον τούτῳ προσγε-

νόμενον, μὴ διατρίβειν, ἀλλὰ πρίσαντα τὸ ὀστέον πρὸς τὴν μήνιγγα, ἢ καταξύσαντα τῷ ξυστῆρι. εὐπριστον δὲ γίνεται καὶ εὔξυστον. ἔπειτα τὰ λοιπὰ οὕτως ἰητρεύειν ὅπως ἂν δοκέῃ ξυμφέρειν, πρὸς τὸ γινόμενον ὁρῶν.

CVm autẽ animaduertes febrẽ inuadere, & aliquod aliud ſignum accedere, cum ea non eſt cunctandum, ſed os ad membranam vſque ſerra ſecandum, aut ſcalpro deradendum, facilè verò ſecatur & facile deraditur, deinde reliqua ſic curare oportet, quemadmodum conſentaneum videbitur, rebus præſentibus bene perſpectis.

SI forſan non deprehenſa cranij fractura intra triduum os non ſit exciſum, & tandem ſuperueniat, poſt ſeptimum diem æſtate, aut ante decimum quartum hyeme, febris, febrique coniungatur ſignum aliud ſiniſtrum & funeſtũ, tunc eodem momento excidendum os aut radendum, omnique vitio liberandum. Ad membranam autem vſque ſecandum os eo tempore, quia ex dolore & febre, alijſque prauis ſymptomatis colligimus à cranio receſſiſſe membranã. Si enim cranio affixa permanet, inflammatio nulla vulnus infeſtat, ſi receſſit membrana ab oſſe, augentur dolores & febris Paulo lib. 6. cap.

90. Cum verò ante diem tertium in principio os secatur, præcipit paulo post Hippocrates ad meningem vsque os excidatur, ne diutius denudata relinquatur meninx, aut ne laceretur, cum adhuc sit affixa cranio. Os autem purulentum aut sphacelo tentatum facilius secatur & raditur, quia mollius, minúsque solidum euasit. Exciso vel deraso osse, non negligendum vulnus carnis, habenda etiam est ratio membranæ, curandum etiam vt citò abscedat os, si quod abscessurum est, non negligenda etiam symptomata, si quæ superueniant.

Ὅταν δ' ἐπὶ τρώμοτι ἐν κεφαλῇ ἀνθρώπου ἢ πεπριωμένου, ἢ ἀπριώτου, ἐψιλωμένου δὲ τοῦ ὀστέου, οἴδημα ἐπιγένηται ἐρυθρὸν καὶ ἐρυσιπελατῶδες ἐν τῷ προσώπῳ. καὶ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν ἀμφοτέροισιν, ἢ τῷ ἑτέρῳ, καὶ εἴ τις ἅπτοιτο τοῦ οἰδήματος ὀδυνῷτο, καὶ πυρετὸς ἐπιλαμβάνοι, καὶ ῥῖγος, τὸ δὲ ἕλκος αὐτό τε ἀπὸ τῆς σαρκὸς καλῶς ἔχοι ἰδέσθαι καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ ὀστέου, καὶ τὰ περιέχοντα τὸ ἕλκος ἔχοι καλῶς; πλὴν τοῦ οἰδήματος τοῦ ἐν τῷ προσώπῳ. καὶ ἄλλην ἁμαρτάδα μὴ δὲ μίαν ἔχοι τὸ οἴδημα, τῆς ἄλλης διαίτης, τούτου χρὴ τὴν κάτω κοιλίην ὑποκαθῆραι φαρμάκῳ ὅ, τι χολὴν ἄγει. καὶ οὕτω καφαρθέντος ὅ, τε πυρετὸς ἀφίησιν, καὶ τὸ οἴδημα καθίσταται, καὶ ὑγιὴς γίνεται. τὸ δὲ φάρμακον χρὴ διδόναι πρὸς τὴν δύναμιν τοῦ ἀνθρώπου ὁρῶν, ὡς ἂν ἔχῃ ἰσχύος.

VBi in vulnere capitis, cùm ægrotus serra sectum os habeat, vel non dissectum, os tamen nudatum existat, si tumor rubicundus erysipelatis naturam præ se ferens superueniat in facie, & in ambobus oculis, vel in alterutro, & si quis tumorem contingat, doleat, febrisque corripiat & rigor, vulnus verò quantum ad carnem pertinet, bene habere videatur, eaque pariter quæ ad os spectant, tùm etiam ambientes vulnus partes, excepto tumore qui faciem occupat, nullúsque tumori in reliqua victus ratione adiungatur error, huius aluus per inferiora purganda est, medicamento quod bilem ducat, sicque purgato cessat febris, euanescit tumor, restituitur sanitas. Sed ita dandum medicamentum, vt prius quid valeant ægrotantis vires, perpendamus.

SI in vulneribus capitis osse nudato superueniat erysipelas aut phlegmone erysipelatodes, occupétque faciem aut oculos, medicamento cholagogo aluum per inferiora purgandam esse docet. Solet autem erysipelas vulneribus superuenire ex sententia 17. libri περὶ ἑλκῶν. Sequitur etiam erysipelas ossa denudata ex aphorismo 19. lib. 7. Non tamen semper aut plerumque nu-

datis ossibus superuenit erysipelas, sed potiùs rarò, ex commentario Galeni in eundem aphorismum, prauum tamen symptoma est cum nudato osse, circunstans caro erysipelate occupata apparet, significat enim, vt inquit Philotheus, affluxum sanguinis flaui & biliosi, qui supra positas carnes exedit & absumit. Non solùm autem vulneri superuenit, sed sine hoc quoque oriri consueuit. Celso lib. 5. Occupat autem faciem & oculos, incipitque maximè ab ea parte nasi, quæ vulgò lepus appellatur, deinde in faciem totam expanduntur, gemina quidem occasione, ob faciei raritatem, & bilis leuitatem, ait Guido. Erysipelata dolor mordicans & pungens comitatur ob bilis acrimoniam, cumque sit erysipelas inflammatione calidius, febrem etiam excitat maiorem. Rigor fit ob bilem flauam quæ per membra sententia veloci motu differtur. Addit Hippocrates tumorem hunc erysipelatodem, si non adiungatur alius error in ratione victus, medicamento cholagogo per inferiora esse vacuandum, quod Galenus etiam docet libro 14. therapeutic. cap. 2. his verbis, in erysipelate pro sanguinis missione, medicamento quòd bilem trahat purgamus, ipsamque particulam affectam refrigeramus. Hippocrates autem libro περὶ ἑλκῶν, sic inquit, In omni vlcere, cui superuenit erysipelas, purgare corpus conuenit, qua parte vlceri conducit siue per superiora, siue per inferiora. Hoc autem loco, aluum per inferiora purgandam dicit, Cùm enim bilis feratur in partes superiores, ad eius cursum reuellendum, satius est aluum mouere, quam vomitum ciere. Exhibito

medicamento chalogogo, & euacuante bilem quæ febrem & tumorem excitabat, tollitur febris & euanescit tumor. Cæterum in curatione erysipelatis Hippocrates & Galenus phlebotomiam omittunt, quam tamen commendant plurimum Celsus libro quinto, capite 26. Paulus libro quarto, capite 21. Sed hæc in vero & legitimo erysipelate locum vix habet in erysipelate phlegmonode si vires patiuntur, vtilis est. In hoc contextu omnia exemplaria constantissimè retinent οἴδημα, quod & ego retinendum censeo, nec οἴδημα τῆς διαίτης coniungo, sed ἁμαρτάδα τῆς ἄης διαίτης, sic etiam apud Hippocratem lib. 4. epidem. ἁμαρτάδες βρωμάτων, errata in ratione ciborum dicuntur. Itaque altius penetrent critici, si velint Hippocratem intueri, non autem immutent pro arbitrio, quæ non intelligunt. Miror Mercurialem ipsum assensum præbuisse & ascripsisse margini, ἴημα.

Περὶ δὲ πρίσιος, ὅταν καταλάβῃ ἀνάγκη πρίσαι ἄνθρωπον, ὧδε γινώσκειν. ἢν ἐξ ἀρχῆς λαβὼν τὸ ἴημα πρίῃς, οὐ χρὴ ἐκπρίειν τὸ ὀστέον πρὸς τὴν μήνιγγα αὐτίκα. οὐ γὰρ συμφέρει τὴν μήνιγγα ψιλὴν εἶναι τοῦ ὀστέου ἐπὶ πολὺν χρόνον κακοπαθοῦσαν, ἀλλὰ τελευταῖον σαπῆ καὶ διαμυδήσῃ. ἔστι δὲ καὶ ἕτερος κίνδυνος, ἢν αὐτίκα ἀφαιρέης πρὸς τὴν μήνιγγα ἐκπρίσας τὸ ὀστέον, τρῶσαι ἐν τῷ ἔργῳ τῷ πρίονι τὴν μήνιγγα. ἀλλὰ χρὴ πρίοντα, ἐπειδὰν ὀλίγου πάνυ δέῃ διαπεπρίσθαι, καὶ ἤδη κινέεται τὸ ὀστέον, παύσασθαι πρίοντα. καὶ ἐὰν

ἐπὶ τὸ αὐτόματον ἀποστῆναι τὸ ὀστέον. ἐν γὰρ τῷ διαπριωτῷ ὀστέῳ καὶ ἐπιλελειμμένῳ τῆς πρίσιος, οὐκ ἂν ἐπιγένοιτο κακὸν οὐδέν. λεπτὸν γὰρ τὸ λειπόμενον ἤδη γίνεται. τὰ δὲ λοιπὰ ἰῆσθαι χρὴ, ὡς ἂν δοκέῃ ξυμφέρειν τῷ ἕλκει.

DE sectione verò, cum secandi hominis necessitas fuerit, sic statuēdum. Cùm à principio curatione suscepta ad vsum serræ venis, os ad membranam vsque non statim excidendum est, neque enim confert membranam vexatam diutius relinqui nudam, tandem enim putresceret & fætido madore corrumperetur. Subest & aliud periculum, si os sectum ad membranam vsque statim auferas, ne in ipso opere, serra cerebri membranam lædat. Verùm secantem oportet cum iam parum abest, quin os sit dissectum, iamque mouetur, secandi finem facere, & sinere vt os sponte sua abscedat, nihil enim mali superuenire potest ossi dissecto, & à sectione relicto, quod enim relinquitur tenue iam est. Cætera curanda sunt, pro vt vulneri conducere videbitur.

DOcet quomodo capitis os sit serra excidendum, cùm à principio ægrum curandun

dum quis suscipit, & intra triduũ os secat, præcipitque ne ad membranam vsque totum os excidatur duabus de causis, quia tunc membrana diutius alioquin afflicta, denudata relinqueretur, aërique externo & insueto exposita alienaretur; tandemque putresceret, superfluóque madens humore intumesceret. Periculum etiam impendet, si statim initio perforatum os ad membranam vsque detrahamus, ne cerebri membranam violemus & laceremus, cùm enim iis diebus inflammatio nulla vulnus infestet, nulláque febre æger teneatur, veri-simile est membranam à cranio non recessisse, sed affixam permanere, vt docet Paulus libro sexto. Itáque si statim initio os dissecare & ad meningem vsque perforare & auferre tentemus, periclitabimur, ne cerebri membrana lædatur, cùm cranio adhuc adhæreat. Hic locus in codice græco corruptus legebatur, & in codice Parisiensi asterisco notatus, quem multi restituere conati sunt. Ego duabus aut tribus literis solùm mutatis. Sic lego, ἀλλὰ τελευταῖον σάπῃ καὶ διαμυδήσῃ. Suadet deinde vt in sectione ossis, cùm fere totum os fuerit perforatum, & iam moueri incipit, secandi finem faciamus, sinamúsque vt os sponte suâ abscedat, non enim periculum subeundum est, vt antea dixit, conando detrahere ossa, priusquam sponte sequantur. Recedent enim facilè succrescente carne, & vt ait Galenus sexto therapeutic. Circa finem, membrana ipsa ab ossibus quæ vehementer sunt afflicta, celerrimè recedet. Itaque tunc nullus erit metus, eam, quæ iam seiuncta est, membranã violare, si

velimus os auferre. Initio tamen nonnunquam etiam totum os ſecatur, & à membrana ſtatim detrahitur, vt Paulo poſt docebit ſententia penultima.

Πρίοντα δὲ χρὴ πυκνὰ ἐξαιρέειν τὸν πρίονα, τῆς θερμασίας ἕνεκα τοῦ ὀστέου, καὶ ὕδατι ψυχρῷ ἐναποβάπτειν. θερμαινόμενος γὰρ ὑπὸ τῆς περιόδου πρίων, καὶ τὸ ὀστέον ἐκθερμαίνων, καὶ ἀναξηραίνων, κατακαίει, καὶ μεῖζον ποιέει ἀφίστασθαι τὸ ὀστέον τὸ περιέχον τὴν πρίσιν, ἢ ὅσον μέλλει ἀφίστασθαι. καὶ ἢν αὐτίκα βούλῃ ἐκπρίσαι τὸ πρὸς τὴν μήνιγγα, ἔπειτα ἀφελέειν τὸ ὀστέον, ὡσαύτως χρὴ πυκνά τε ἐξαιρέειν τὸν πρίονα καὶ ἐναποβάπτειν τῷ ὕδατι τῷ ψυχρῷ.

SEcantem verò ſæpius oportet ſerrã attollere & ſubinde in aquam frigidam immittere, metu incendij oſſis, incaleſcens, etenim ſerra dum circumagitur, oſque ipſum calefaciens & deſiccans adurit, efficitque vt maior oſſis quod ſerram attigit, portio abſcedat, quam abſceſſura eſſet. Quod ſi ſtatim ad membranam vſque velis os excidere, ipſúmque auferre, eodem modo ſerra ſæpius eſt attollenda, & in aquam frigidam demittenda.

PRoponit quid Chirurgus in osse secando obseruare debeat, ne serra dum circumagitur, nimis incalescat, sæpius est attollanda & retrahenda, & sæpius in aquam frigidam demittenda. Cum enim serra sit ferrea, agatque in corpus durum, nempe cranium, ex circumductione & motu flammam facilè concipit, diu retinet, vehementer imprimit in ipsum cranij os, calefactum autem os & desiccatum aduritur, cumque adustum est, à parte sana recedit. Cumque soleat natura squamas reijcere ex osse, circa quod serra circumacta est, maior ossis portio abscedet, si serra incalescens os ipsum adurat, vtile est autem vt quam minimum ex osse dematur, cum in osse plus propugnaculi cerebrum habeat, quam habiturum fuit eo exciso, hocque præceptum de serra sæpius remouenda & in frigidam immergenda, non solum locum habet in sectione ossis quæ ad membranam vsque non penetrat, sed etiam cum os statim ad membranam vsque perforatur & detrahitur. Addit Celsus aliud præceptum cap.3. libri 8. neque alienũ est, inquit, instillare paulum rosæ vel lactis quo magis lubrico circumagatur, quod ipsum tamen si copiosius est, aciem ferramenti hebetat.

Ἢν δὲ μὴ ἐξ ἀρχῆς λαμβάνῃς τὸ ἴημα, ἀλλὰ παρ' ἄλλου παραδέχῃ ὑστερίζων τῆς ἰήσιος, πρίονι χρὴ χαρακτῷ ἐκπρίειν μὲν αὐτίκα τὸ ὀστέον πρὸς τὴν μήνιγγα. θαμινὰ δὲ ἐξαιρεῦντα τὸν πρίονα σκοπεῖσθαι καὶ ἄλλως καὶ τῇ μήλῃ περιξ κατὰ τὴν ὁδὸν τοῦ πρίονος. καὶ γὰρ πολὺ θᾶσσον διαπρίεται

τὸ ὀστέον, ἢν ὑπόπυόν τε ἐὸν ἤδη καὶ διάπυον πρίῃς. καὶ πολλάκις τυγχάνει ἐπιπόλαιον ἐὸν τὸ ὀστέον, ἄλλως τε καὶ ἢν ταύτῃ τῆς κεφαλῆς ᾖ τὸ τρῶμα, ᾗ τυγχάνει λεπτότερον ἐὸν τὸ ὀστέον, ἢ παχύτερον. ἀλλὰ φυλάσσεσθαι χρὴ ὡς μὴ λάθῃς προσβαλὼν τὸν πρίονα. ἀλλ᾽ ὅπη δοκέῃ παχύτατον εἶναι τὸ ὀστέον, ἐς τοῦτο αἰεὶ ἐνστηρίζειν τὸν πρίονα, θαμινὰ σκοπούμενος, καὶ πειρᾶσθαι ἀνακινέων τὸ ὀστέον ἀναβάλλειν. ἀφελὼν δὲ τὰ λοιπὰ ἰητρεύειν ὡς ἂν δοκέῃ ξυμφέρειν τῷ ἕλκει.

At si ab initio curationem non susceperis, sed ab alio exceperis, serius ad curationem accedens acutiori serra statim præcidere os oportet ad mēbranam vsque, sæpius autem attollenda est serra, & vndique considerandus tùm aliter, tùm etiam specillo serræ circuitus. Etenim celerius preciditur os si purulentum iam & pus fundens perforaueris. Ac sæpe contingit, vt non admodum profundum sit os, tùm alibi, tum si ea parte capitis sit vulnus, qua tenuius os quàm crassius existit. Sed cauendum ne serram adhibens, fallaris, qua verò parte crassissimum os esse videbitur, in eam semper serram imprimas, sæpiúsque inspicias, tentésque dimouendo ipsum os auferre,

quod cum abſtuleris, cætera curare oportet, vt ratio vulneris poſtulat.

DOcuit antea quomodo excidendum ſit os, cùm ab initio vulnerati cura chirurgo demandatur, nunc autem docet quomodo ſecandum ſit os, ſi non ſtatim inter initia ad curam vocetur, ſed ægrotantem ab altero malè curatum, ſerius curandum ſuſcipiat. Debet enim tũc chirurgus os ad membranam vſque prædicere, nec præcidendi finem facere, donec totum os ſit perforatum: quoniam ſanies inter os & membranam putreſcens celerem exitum requirit, nec ſubeſt periculum, ne ſerra cerebri membranam laceret, cùm à cranio ſeparata ſit, quòd ſymptomata quæ ſuperuenerunt, oſtendunt. Acutiori ſerra vtendum conſulit, vt citiùs, tutiúſque os perforetur, Πρίονα χαρακτὸν, verti ſerram acutiorem, cùm alij interpretes ſerram cauam, aſperam, aut exſculptam dicant. Serra enim minus acuta os ferè iam purulentum & mollius laceraret potius quam ſecaret. Serra ſæpius attollenda, & foraminis altitudo conſideranda & oculis & immiſſo ſpecillo, quia cùm totum os ſit excidendum, periculum eſt, ne cerebri membranam ſerrà lædat, cum os eiuſmodi purulentũ & mollius citiſſime præciditur. Præterea cum cranij hominis figura ſit ſphærica & rotunda, ſerra vel modiolus æqualiter præcidere non poteſt, cumque ſit os cranij alia parte craſſius alia tenuius, periculum eſt ne prius in vna parte, quam in alia perforetur. Itaque remouenda ſubinde ſerra, &

considerandа altitudo foraminis, grauiúsque semper imprimenda & adigenda serra in eam partem quæ minus perforata, quæue crassior apparebit. Præcipit postremò vt quùm parum abest, quin os perforatum sit, inspiciamus sæpius, tentemúsque dimouendo detrahere os, ne fortè membranam cerebri violemus. Addit Celsus, quæ labant & ex facili remoueri possunt, forfice ad id facta colligenda esse, maximéque ea, quæ acuta membranam infestant, si id ex facili fieri non potest, subijciatur lamina membranæ custos, & super eam quicquid spinosum est & intus eminet, excidendum, eadem lamina quicquid deorsum insedit, attollendum. Paulus aures obturat lana propter sonitum qui ex ferramenti illisu redditur, recentiores etiam nunc aures occludunt xylo, ne ferrę strepitus sit molestus. Fallopius tamen hoc deridet, quia cum ossa capitis colliduntur, finduntur, franguntur aut forantur, statim communicant passiones auribus, & siue occlusæ siue apertæ sint aures, sonũ semper percipiunt.

Καὶ ἢν ἐξ ἀρχῆς λαβὼν τὸ ἴημα, αὐτίκα βούλῃ ἐκπρίσας τὸ ὀστέον ἀφελεῖν ἀπὸ τῆς μήνιγγος, ὡσαύτως χρὴ πυκινά τε σκοπεῖσθαι τῇ μήλῃ καὶ περίοδον τοῦ πρίονος, καὶ ἐς τὸ παχύτατον ἀεὶ τοῦ ὀστέου τὸν πρίονα ἐντείζειν, καὶ ἀνακινέων. βούλεσθαι ἀφελέειν τὸ ὀστέον.

QVod si curationem ab initio suсceperis, velísque statim os præcisum

à membrana detrahere, eodem modo ſerræ circuitum ſpecillo ſæpius explorare oportet, & in partem oſſis craſſiſſimam ſemper ſerram adigere, & os dimouendo tentare detrahere.

ANte hunc contextum in exemplaribus græcis continentur plurima quæ huius libri fere molem æquant, quia tamen ad rem propoſitam nihil faciunt, ea ab interpretibus omittuntur & in quibuſdam etiam exemplaribus Græcis non leguntur. Aldinus codex hoc in fronte habet ſcriptum, quod etiã retinuit Baſilienſis, πάντα προσγεγράφθαι τῷδε τῷ βιβλίῳ παλαιός φησι. Hoc autem dicit Galenus in procemio commentariorum in quartum librum de diæta in morbis acutis. Quod nunc explicamus circa finem legitur, quod etiam miſſum faciunt plures interpretes Latini, & in quibuſdam codicibus Græcis non legitur. In codice Parienſi hoc poſtremum cum ſuperioribus iunctum legitur, quod etiam vertit & commentarijs amplificauit Vidius quamuis ante hæc in codice Aldino & Baſilienſi ſcriptum ſit, καὶ τάδε τὰ τελευταῖα ὑπό τινος προσγεγράφθαι δῆλον ἐστί. Cùm quis curando ægro per initia præficitur, non debet ſtatim ad membranam vſque os excidere & auferre, ob eas cauſas quas paulò ante commemorauit. Si quando tamen cogatur aliquis, quamuis initio ad curationem adhibeatur, protinus os excidere ad membranam vſque & remouere, debet obſeruare eadem præcepta, quæ paulo an-

te propoſuit, cum ageret de modo ſecandi oſſis, cum ſeriùs ægrotus, alijs prius commiſſus, nos ad curationem vocat. Tunc enim attollenda ſæpius ſerra, conſideranda ſectionis altitudo, in partem oſſis craſſiſſimam adigenda & imprimenda ſerra, conandumque vt os cum labat & nutat, dimouendo detrahamus. Cogitur autem medicus ſtatim primis diebus os excidere ad meningem vſque & auferre, ſi copia ſanguinis in cerebrum confluxerit ſi os quod deſedit, vehementer cerebri membranam vrgeat, ſi ex fractura quidam veluti aculei eandem pungant.

Ἢν δὲ τρυπάνῳ χρῇ, πρὸς δὲ τὴν μήνιγγα μὴ ἀφικνέεσθαι, ἢν ἐξ ἀρχῆς λαμβάνων τὸ ἴημα τρύπαις, ἀλλ' ἐπιλιπεῖν τοῦ ὀστέου λεπτὸν, ὥσπερ καὶ ἐν τῇ πρίσει γέγραπται.

CVm autem terebra vteris, ad membranam vſque ne penetres, ſi per initia curationem ſuſcipias per terebrã, ſed tenuem oſſis partem relinque, vt in ſerræ vſu præſcriptum eſt.

OS capitis non ſolum ſerra præciditur, ſed aliquando etiam terebra, nunc docet quomodo ſit excidendum cùm ab initio curatio per terebram ſuſcipitur. Suadet autem ne ad membranam vſque ſtatim os excidatur, ob eaſdem cauſas quas in vſu ſerrę recenſuit, præterea cùm os fere totum perforatum erit, & iam nutare in

cipit,perforandi finem facere oportet, & finere vt os sponte sua abscedat. Quoniam autem apud veteres non vna & eadem fuit ossis secandi & excidendi ratio,non ineptum fuerit hoc loco, & modum secandi ossis,& instrumenta paucis proponere.

Hippocrates hoc libro meminit tantum triũ ferramentorum, quibus vtitur in osse radendo & excidendo,scalpri,serræ,& terebræ.

Scalper autem quem ξυστῆρα vocat,qualis fuerit non satis constat. Eo quamuis vsi sint veteres ad os radendum & excidendum, Hippocrates tamen hoc libro censet os abradendum scalpro,in longum, latum & profundum ad deprehẽdẽdas rimas latentes & contusiones obscuras, quæ si admodum profundæ sint, & abradendo non possint deleri, ad vsum serræ accedit, nec penitus os scalpro excidit. Ex Celso tamen aliũ scalpri vsum colligimus,ad excidendum spatium medium inter foramina, quę terebra fiunt. Apud Galenum tria scalprorum genera leguntur, Est enim ἐκκοπεὺς κοῖλος, scalper excisorius cauus, qui etiam κύκλισκος, & Paulo κυκλισκωτὸς dicitur, quod ima sui parte ad circuli figuram accedat, eius vsus est in magnis fracturis capitis, vel cum contusione aliqua. Eo enim quod contusum est, excidi debet. Cùm verò scalper iste cauus malleolo adigatur vitio omnino non caret, quod caput immodicè concutiat. Est alius scalper qui ἐκκοπεὺς φακωτὸς siue φακοειδὴς dicitur, quòd lenticulæ speciem in imo habet obtusam, aciem verò per longitudinem acutam, eoque vtitur, quùm vel scalpro cauo os excidens, vel

forcipe quod valdè comminutum est attollens vel conuertens, aditum facit, per quem lenticula immittatur, vbi autem latam partem lenticulæ super membranam constituit, ferit malleolo, ac si caluariam diuidit, nullúsque modus excidendi inueniri potest, qui minùs cum periculo, nec qui celerius perficiatur. Est etiam tertius scalper, qui ξυστὴρ στενὸς id est angustus ducitur, quo vtitur Galenus in simplicibus fracturis quæ ad diploem vsque perueniunt, & hic scalper est Hippocrati familiaris. Apud Paulum etiam est scalper excisorius ἀντίθετος id est oppositus, qui nihil est aliud, quam forfex qua fabri vtuntur ad aliquid excidendum, quamuis aliter sentiat Fallopius.

Serra siue πρίων ferramentum Hippocrati familiare, ad ossa secanda & excidenda, cuius plures extant apud veteres differentiæ, aliæ enim sunt longæ, cuiusmodi sunt illæ, quibus fabri vtuntur, quæ adhibentur in excisione ossis tibiæ, femoris, aut brachij, quædam sunt exiguæ, quæ in sectione cranij vsurpari possunt, aliæ sunt teretes, concauæ & imis oris serratæ, quibus verisimile est Hippocratem vsum fuisse in capitis ossibus excidendis, admonet enim subinde attollendam esse serram, eiúsque circuitum considerandum, περὶξ id est ἐν κύκλῳ, & hæ mediolum Celsi representant, de quo paulò post. Est etiam apud Hippocratem hoc libello πρίων χαρακτὸς serra acuta, quæ videtur esse πρίων μαχαιρωτὸς Galeni, id est serra similis cultello quæ polit & læuigat, vt ὀδοντωτὸς est serra dentata, quæ incidendo altiora crenularum vestigia relinquit.

Tertium Hippocratis ferramentum est τρύ-

πανον siue terebra, cuius bis meminit in hoc libello, cum agit de ossibus puerorum parua terebra perforandis & in fine libri. Terebrarum autem, vt ait Celsus, duo genera sunt, alterum simile ei, quo fabri vtuntur, alterum capituli longioris, quod ab acuto mucrone incipit, deinde subito latius fit, atque iterum ab alio principio paulò minùs quàm æqualiter sursum procedit. Vsum terebræ docet idem Celsus. Terebra foramen fit in ipso fine ossis vitiosi atque integri; deinde alterum non ita longè, tertiúmque, donec totus is locus qui excidendus est, his cauis sit cinctus, tunc excisorius scalper, ab altero foramine ad alterum malleolo adactus, id quod inter vtrumque modium est, excidit, ac sic ambitus similis ei fit, qui in angustiorem orbem modiolo imprimitur. Est etiam apud Galenum τρύπανον ἀβάπτιστον, terebra quæ mergi non potest, nec tota in cauitatem subiectam descendere, supra cuius mucronem circulus quidam latus parum extans circumcurrit, hic prohibet, ne terebra dum agitur, altiùs descendat quam par sit, & subiectas partes violet.

Celsus Hippocratis Latinus interpres duobus modis os excidit, vtitúrque quatuor instrumentis, modiolo, terebra, scalpro, & lamina membranæ custode, μηνιγγοφύλακα Græci vocant. Si paruulum est, quod læsum est, modiolo exciditur, si spatiosum, terebris.

Modiolus qui χοινίκιον vel χοινικὶς Græcè dicitur ferramentum est concauum, teres, imis oris serratum, per quod medium clauus ipse quoque interiore orbe cinctus demittitur, modiolus au-

tem eſt ſerra teres qua vtitur Hippocrates. Paulus vſum ſerræ & modioli à recentioribus tanquam noxium improbari ſcribit. De terebra & ſcalpro ſatis dictum.

Μηνιγγοφύλαξ membranæ cuſtos, & lamina ænea firma, paulum reſima, ab exteriore parte læuis, quę demiſſa eſt, vt exterior pars eius cerebro propior ſit, ſubinde ei ſubijcitur, quod ſcalpro diſcutiendum eſt, ac ſi excipit eius angulum, vltra tranſire non poteſt, eóque & audaciùs & tutius ſcalprum malledo ſubinde medicus ferit, donec exciſum vndique os eadem lamina leuetur, tollíque ſine vlla noxa cerebri poteſt, eadem lamina quicquid deorſum inſedit, attollendum. Loco meningophylacis vtuntur Chirurgi ſpecillis in extremo dilatatis & attenuatis.

Galenus circa finem libri ſexti therapeutic. capitis os præcidi poſſe dixit varijs modis, parúmque tutam exiſtimat χειρουργίαι quæ terebra perficitur, quia dum paulò audaciùs tractatur, dura membrana quæ oſſi ſubſternitur, non rarò violatur. Vſum etiam modioli non videtur approbare, cum dubitat, an eo vtentes, timidiores alijs ſiue tutiores appellet. Exciſionem quæ fit cycliſcis plurimum commendat, cæterum quod excidi oportet, id totum circulo cycliſcis non nudat, ſed ex ea maximè parte, qua fractura eſt grauiſſima, vbi verò vnam ſemel nudauerit partem, ac ſcalprum φακωτὸν ſubmiſerit, ferit malleolo, acſic caluariam diuidit, aliquando inſtrumento quod ὀστάγρα vocant, aliquibus oſſium quæ vehementer ſunt comminuta vel exaltatis vel conuerſis, lenticularem ſcalprum demittit,

quo facto, ſuccedunt omnia quibus opus eſt cum ſecuritate ſimul ac celeritate.

Scalper tenuis, φακωτὸς, cycliſcus, terebra etiam ἀβάπτιστος, inſtrumenta ſunt quibus vtitur Galenus, de quibus iam dictum eſt, ſupereſt vt quid ſit ἐξάγρα paucis explicemus. Eſt autem ἐξάγρα inſtrumentum Chirurgicum, quo oſſa attolluntur, deprimuntur, loco mouentur vel euelluntur, huius loco Celſus vtitur forfice, inquit enim oſſa quæ labant & ex facili moueri poſſunt forfice ad id facta colligenda ſunt, maximéque ea quæ acuta membranam infeſtant. Paulus os violatum aufert, ſiquidem fieri poteſt digitis, ſin minùs ὀδοντάγρᾳ ἢ ἐξάγρᾳ, ἢ τειχολαβίδι, aut eiuſmodi quopiam inſtrumento.

Paulus libro ſexto os capitis imbecillum naturа aut fracturæ vitio aufert ſcalpris exciſorijs antithetis & acie inter ſe aduerſis, id eſt forfice ad id facta, ſed prius aditum facit cycliſcis, ſcalpris, malleolo ſenſim adactis. Si autem validum ſit os, terebra quam ἀβάπτιστον vocant, primum perforat, deinde ſcalpris exciſorijs præcidit, detrahítque non ἀθρόως, ſed ſenſim & per partes, & hæc, inquit, ratio chirurgiæ maximè communis, facilis & prompta. Laudat etiam exciſionem Galeni per ſcalprum cycliſcum & φακωτὸν. Auicennas eadem vtitur Chirurgia, qua & Paulus.

Recentiores medici & Chirurgi ingenioſi & in artis operibus feliciter verſati ſerram teretem ſiue modiolum probant & vſurpant, & vulgari nomine, improprio tamen τρύπανον vocant, eiuſque vſum ſuis inuentis facillimum, tutiſſimum, & omnino ἀκίνδυνον reddiderunt.